JOH. HENRICI HEIDEGGERI

סוד בבל רבת

ſeu

In Divi Johannis Theologi

APOCALYPSEOS

Prophetiam

DE

BABYLONE MAGNA,

DIATRIBÆ.

Tomus Poſterior.



LUGDUNI BATAVORUM,

Apud PETRUM VAN DER Aa. 1687.

Cum Privilegio D. D. Ordinum Hollandiæ & Weſt-friſiæ.

Digitized by Google

Digitized by Google

ELENCHUS
DISSERTATIONUM,
TOMI HUJUS POSTERIORIS.

XI. *Hierarchiam Babylonem M. eſſe, demonſtratur* Sextò; *quia populum ſibi obnoxium, à vero veri Dei cultu ad ſui & creaturarum cultum, falſámque Religionem modis omnibus ſeducit.* Diſſertationis hujus duæ ſunt Sectiones; quarum Pag. 1

PRIORE. *Hierarchiam populum ſibi obnoxium, à vero veri Dei cultu ad falſam Religionem ſeducere, ex erroribus ejuſdem tyrannicis, in Chriſtum & Officia ejus arietantibus, demonſtratur.* Ibid.

POSTERIORE. *Hierarchiam populum ſibi obnoxium, à vero veri Dei cultu ad cultum creaturarum, falſámque Religionem ſeducere, ex erroribus ejuſdem idololatricis probatur.* 57

XII. *Hierarchiam Babylonem M. eſſe, probatur* Septimò, *quia Sanctos, veri Dei Cultores, omnéſque diſſentientes, atrociter perſequitur.* 141

XIII. *Hierarchiam Babylonem M. eſſe, probatur* Octavò, *quia blaſphemiis multifariis ſe nefariè polluit.* 235

XIV. *Hierarchiam Babylonem M. eſſe, probatur* Nonò, *quia luxuriâ & impuritate carnali ſeſe multis modis polluit.* 297

DISSERTATIONIS UNDECIMÆ

QUA

Hierarchiam, ſeu Clerum Eccleſiæ Romanæ dominantem Babylonem Magnam eſſe, probatur Sextò, *quia populum ſibi obnoxium à vero veri Dei cultu, ad ſui & creaturarum cultum, falſámque religionem modis omnibus ſeducit.*

SECTIO PRIOR.

QUA

Hierarchiam populum ſibi obnoxium à vero veri Dei cultu ad falſam Religionem ſeducere ex erroribus ejuſdem tyrannicis, in Chriſtum & officia ejus arietantibus, demonſtratur.

BREVIARIUM.

I. *Argumentum principale ſextum, inde petitum, quòd Hierarchia, cæteris paribus, populum ſibi obnoxium à vero veri Dei cultu ad ſui & creaturarum cultum, fal-*

ſámque religionem ſeducat ſyllogiſmo conſtringitur; ejuſque propoſitio probatur.

II. III. *Aſſumptionis lemma alterum, quòd Hierarchia à vero Deo, Chriſtóque ad falſam religionem & cultum creaturarum ſeducat, demonſtrandum ſuſcipitur.*

IV. *Capitales ſedis Romanæ errores, ex triplici Papæ diademate tripertiti, tyrannici, idololatrici & Magici conſtituuntur.*

V. *Tyrannici ii ſunt, quibus Hierarchia tyranni inſtar, alienam Chriſti poteſtatem invadit, & uſurpat; triplex inprimis ejus officium, Propheticum, Sacerdotale & Regium impetit. Quod per ſingulas eas partes probatur.*

VI. *Chriſtus ſolus N.T. Propheta eſt. Ejus revelatio ſeu verbum Propheticum Scripturis mandatum nunc extat.*

VII. *Extra quas revelatio Prophetica Chriſti hodie nulla reperitur.*

VIII. *Atque earundem ſenſus & interpretatio non aliunde quàm ex Scripturis ipſis arceſſitur.*

IX. *Quisquis ergo Scripturas impetit, Chriſti Propheticam authoritatem oppugnat. Quod Hierarchiam ſtrenuè facere oſtenditur.*

X. *Oppugnat enim potentiam Scripturæ, qua ſuam ipſa Divinitatem cuivis conſcientiæ demonſtrare valeat.*

XI. *Blaſphemiæ Hierarchicorum notatæ.*

XII. *Divinitatem Scripturæ à teſtimonio Eccleſiæ, ſeu Papæ preſentis, ſuſpendunt.*

XIII. *Iidem Canonis Divini figendi refigendique authoritatem ſibi rapiunt.*

XIV. *Canonis Divini ſcripti ſufficientiam nefariè laceſſunt.*

XV. *Verſionem Latinam corruptam, ceu authenticam ipſiſmet fontibus præferunt.*

XVI. *Sen-*

Digitized by Google

XVI. *Senſum Scripturæ ſui arbitrii, ſuæque poteſtatis omnem faciunt. In quo ſecuritatis eorum palladium conſiſtit.*

XVII. *Tyrannidem ſic exercent. Spiritum S. liberáſque ejus operationes in ordinem redigendo.*

XVIII. XIX. *Adeóque facultatis prophetandi monopolium ſibi vendicando.*

XX. *Spiritus privati Scripturam ex Scriptura interpretantibus objecti opprobrium depellitur.*

XXI. *In Scripturæ reddendo ſenſu infallibilitatem ſibi nec quicquam arrogant; etiam cùm diligentiam nullam adhibent.*

XXII. *Eam à Cathedra S. Petri nullo jure arceſſunt.*

XXIII. *Infallibilitatis illius monſtrum ampliùs demonſtratur.*

XXIV. XXV. *Et emblemate conſpirantium Sacri Nemoris equitum, piraticam publicam prætextu infallibilitatis ſimilis ſibi arrogatæ, exercentium, exagitatur.*

XXVI. *Ultimus Scripturas debellandi conatus, in hominibus ab ejus lectione vi & dolo arcendis conſiſtit.*

XXVII. *Papa Pſeudopropheta Chriſti Prophetæ æmulus, ſicut hic verbum ſuum Propheticum miraculorum ſigillis confirmavit, ita ille pariter verbum ſuum Pſeudopropheticum ſignis & miraculis ſtabilire annititur.*

XXVIII. *Miraculorum Pſeudopropheticorum ſpecimen proponitur.*

XXIX. *Sicut totus Papatus entibus fictis & pictis conſtat: ſic miracula ejuſdem fingi pingique debuerunt.*

XXX. *Hierarchia veros Chriſti Prophetas occidendo, Chriſtum Prophetam ipſum debellare conatur.*

XXXI. *Progreſſus ad Sacerdotale Chriſti munus.*

XXXII. *Ab Hierarchia illud oppugnari & infringi ex Sacerdotii Chriſti & Papæ antitheſi demonſtratur.*

XXXIII. *Etenim 1. Chriſtus Sacerdotium à Deo vocatus*

Digitized by Google

tus occupavit: Papa ſuum ἀνθαίρετος. Non ergo Papæ Sacerdotium Chriſti Sacerdotium eſt.

XXXIV. II. *Chriſtus Sacerdotio ſuo ceremonias veteres induxit: Papa ſuo eas poſtliminio reſtituit, & graviori conſcientias jugo premit.*

XXXV. *Sacerdotii illius adulterini pompa externa perſtringitur.*

XXXVI. *Et cum præcepta adoratione Dei in ſpiritu & veritate comparatur.*

XXXVII. III. *Chriſtus ſemel in ara crucis ſe ipſum obtulit.*

XXXVIII. *Hierarchia eum creberrimè ſacrificat.*

XXXIX. *Et propitiatorio Chriſti unico Miſſaticum opponit.*

XL. *Atque ſic illud funditus deſtruit.*

XLI. XLII. *Contumeliæ Chriſto in Miſſa illatæ.*

XLIII. *Adductis etiam Franciſci, Alex. de Ales, Thomæ;*

XLIV. *Et Gabrielis Biel teſtimoniis confirmatæ.*

XLV. *Unde de fructibus idolomaniæ Miſſaticæ proclive judicium eſt.*

XLVI. IV. *Chriſtus morte ſua juſtitiam, ſalutem ſolus impetravit.*

XLVII. XLVIII. *Hierarchia Juſtitiæ Chriſti perfectiſſimæ juſtitiam propriam, ſeu inhærentis juſtitiæ infuſum habitum.*

XLIX. *Satisfactioni ejus abſolutiſſimæ ſatisfactiones humanas tum proprias;*

L. *Etiam poſt hanc vitam in purgatorio præſtandas,*

LI. *Tum alienas, indulgentiarum beneficio auxiliares manus porrigentibus impertiendas,*

LII. *Quarum abſurditas nimia oſtenditur,*

LIII. *Merito Chriſti conſummatiſſimo merita juſtitiæ propriæ opponit.*

LIV. *Fucus Hierarchiæ meretricius, quòd juſtitia,*

crux,

crux, ſatisfactio, meritum Chriſti juſtitiæ, ſatisfactioni, meritis humanis ſubordinentur, atque illa per hæc applicentur, abſtergitur.

LV. v. *Hierarchia Mediatori & Paracleto unico Chriſto innumeros Mediatores opponit.*

LVI. LVII. *Impietatis illius progredientis gradus notantur.*

LVIII. *Fraus & periculum ingens ex multiplicatis Mediatoribus gliſcens detegitur.*

LIX. *Eadem impietate Hierarchia Officium Chriſti Regium impetit, unius Papæ imperio libidinique cuncta ſubjiciens.*

LX. *Alia oppugnati ejuſdem ſpecimina panduntur.*

LXI. *Regno gratiæ per jactatas naturæ & liberi arbitrii vires immane quantum Hierarchia derogat.*

LXII. *Sub laudibus naturæ latent inimici gratiæ.*

LXIII. *Hierarchia raptæ poteſtatis Chriſti Regiæ ſpoliis ad horrendas fidelium Regni Chriſti ſubditorum vexationes abutitur.*

LXIV. *Chriſtum & Chriſtianam religionem ab Hierarchia his modis everſam eſſe, & eandem poſt Chriſtum ſcortari, adeóque Babylonem Magnam eſſe, concluditur.*

LXV. *Objectioni, quòd Chriſtum ejuſque officia Hierarchia apertè profiteatur, occurritur.*

LXVI. *Et Leonis X. contraria profeſſione ex Maſſæo producta eadem retunditur.*

I. INſtitutæ demonſtrationis noſtræ caput, ſeu argumentum *Sextum*, inde videlicet petitum, *quòd Hierarchia Romanæ Eccleſiæ populum ſibi obnoxium à vero veri Dei cultu ad ſui & creaturarum cultum, falſámque reli-*

Argumentum principale ſextum, inde petitum, quòd Hierarchia, cæteris pari-

 gionem

bus populum ſibi obnoxium à vero veri Dei cultu ad ſui & creaturarum cultum, falſámque religionem ſeducat ſyllogiſmo conſtringitur; ejuſque propoſitio probatur.

gionem modis omnibus ſeducat, ſuccedit. Demonſtratio ordine cœpto & hucuſque continuato, Syllogiſmo ἀκριβείας καὶ σαφηνείας ἕνεκα conſtricta, hoc ferè talo procedet:

Is cœtus Babylon Magna eſt, qui, cæteris paribus, populum ſibi obnoxium à vero veri Dei cultu, ad ſui & creaturarum cultum, falſámque religionem modis omnibus ſeducit.

Atqui Hierarchia, ſeu Clerus Eccleſiæ Romanæ dominans, cæteris paribus, populum ſibi obnoxium à vero veri Dei cultu ad ſui, & creaturarum cultum, falſámque religionem modis omnibus ſeducit.

Ergo Hierarchia ſeu Clerus Eccleſiæ Romanæ dominans, eſt Babylon Magna.

Propoſitionis nexus ſubjecti & attributi proprii nexu neceſſario & indivulſo nititur. Etenim Babyloni M. attribuit Spiritus Dei, quòd ſit πόρνη μεγάλη *Meretrix Magna*, ἡ μήτηρ τῶν πορνῶν *Mater ſcortationum & abominationum terræ, cum qua ſcortati ſunt Reges terræ*, Apoc XVII. 2. 4. 5. &c. Scortationem porro intelligi inprimis ſpiritualem, eámque duplicem, tum qua Meretrix illa ſpiritualis ipſa religioſum cultum creaturis impertitur, & à Chriſto, unico fidelium ſponſo, ad alios abducit, falſámque religionem loco veræ inducit, & homines ad eam ſeducit: tum qua Meretrix ſeipſam pro Numine venditans, ad cultum venerationémque ſui Reges & incolas terræ invitat, iiſque adeò procumbens ſatietatem cupiditatum, deliciarum, bonorum omnium promittit; jam ſupra *Diſſert.* III. 8-13. probare occupavimus.

Aſſumptionis lemma alterum, quòd Hierarchia

II. Aſſumptio duo membra habet. Prius eſt, quòd Hierarchia à vero Dei cultu ad ſui cultum homines ſeducere conetur. Qua in re ſpiritualem fornicationem potiſſimùm conſiſtere, ſupra quoque probavimus. Hæc

quoque

quoque demonſtratione ſuperiori diatriba defuncti abundè ſumus. Poſterius eſt, quòd Hierarchia populum ſibi obnoxium à vero veri Dei cultu ad cultum creaturarum & falſam religionem modis omnibus ſeducat; adeóque fidem Deo & Chriſto, unico Domino datam, nefariè violans erroneum, falſum, idololatricum cultum præcipiat, exerceátque. Id verò ſolidis rationibus aſtruere, hoc nunc opus, hic labor erit.

à vero Deo, Chriſtóque ad falſam religionem & cultum creaturarum ſeducat, demonſtrandum ſuſcipitur.

III. Ingens equidem heic dicendorum campus ſeſe aperiret. Nos præcipua delibaturi, in pauca contrahemus, quæ diductiùs dici poterant. Cardo rei eſt, Hierarchiam rejecta doctrina Apoſtolica, qua Evangelium de Chriſto Salvatore unico, & veri Dei ſanctè colendi ratio continetur, novum errorum capitalium corpus condidiſſe, fidem, quam Chriſto Domino ſuo intemeratam ſervare debuerat, & ſe ſervare verbis equidem profitetur, ſeveréque pertendit, violaſſe denique in meritorium propudium, quod cruci veræ Chriſti valedicens, quæſtum in mundo facere occœpit, & ipſam degeneraſſe, & ad eandem perfidiam populum ſibi obnoxium venereo ſcilicet ceſtu ſuo, qui ad nationes ferociſſimas ſubigendas, quàm veteris Romæ Martiale robur, efficacior fuit; ſeduxiſſe.

IV. Capitales ſedis Romanæ errores, quibus à verbo Dei, Chriſto & Evangelio ejus, & ipſa devia errat, & ad communem errorem alios ſecum abripit, ex triplici Papæ diademate, tripertiri commodè videmur in tyrannicos, idololatricos & Magicos. His enim fidei Apoſtolicæ & cultus unius ac ſolius veri Dei vis omnis reſolvitur, depravatur & evertitur. Poſtremos illos, Magicos videlicet, ſeorſim explicabimus; tyrannicos in præſentiarum & idololatricos, auxiliante Domino, explicaturi, quantum inſtituto noſtro ſatis erit.

Capitales ſedis Romanæ errores, ex triplici Papæ diademate tripertiti, tyrannici, idololatrici & Magici conſtituuntur.

V. Errores ergo *tyrannicos* eos vocamus, quibus Hierar-

Tyrannici ii ſunt, qui-

bus Hierarchia tyranni inſtar, alienam Chriſti poteſtatem invadit, & uſurpat; triplex in primis ejus officium, Propheticum, Sacerdotale & Regium impetit. Quod per ſingulas eas partes probatur.

Hierarchia Romana, tyranni inſtar, legitimi Domini jugum excutientis, & alienam poteſtatem invadentis uſurpantíſque, triplex Chriſti Mediatoris & Capitis noſtri munus Propheticum, Sacerdotale & Regium impetit. Hoc ubi facere Hierarchiam Romanam demonſtraverimus, non poſtrema Babylonicæ impietatis & fornicationis, qua falſam religionem falſúmque cultum induci aſſeruimus, in propatulo erit. Nam characteres hi præcipui, & omnium clariſſimi ſunt, ex quibus de univerſa Hierarchiæ religione proclive judicium erit.

Chriſtus ſolus N. T. Propheta eſt. Ejus revelatio ſeu verbum Propheticum Scripturis mandatum nunc extat.

VI. Quoad munus Chriſti *Propheticum*, ut inde exordiar, ſatis conſtat, ſolum Chriſtum Novi Teſtamenti *Prophetam* voce Moſis Deut. XVIII. 18. προκεχειροτονημένον, *ante deſignatum*, & Cœleſti voce, *Hunc audite* Matth. XVII. 5. proclamatum eſſe. Etenim *Deum nemo vidit unquam. Unigenitus filius, qui eſt in gremio Patris, ille nobis ediſſeruit*. Joh. I. 18. miſſus ſcilicet à Deo, *ut verba Dei loqueretur*, ib. cap. III. 34. Dedit enim Deus המורה לצדקה *Doctorem juſtitiæ*, Joel. II 23. & quidem *docentem*, ὡς ἐξουσίαν ἔχοντα, *ut poteſtatem habentem, non, uti ſcribæ* ſolebant, Matth. VII. 29. Cúmque Deus *olim multis partibus, & multis modis locutus ſit Patribus in Prophetis* (per Spiritum ſcilicet ipſius etiam Magni illius Prophetæ, Chriſti 1. Pet. I. 11. III. 18. 19. unde המדבר λαλοῦντος *Loquentis* & quidem τὴν ἀρχὴν inde *à principio* nomine Eſai. LII. 6. Joh. VIII. 25. venit) *in noviſſimis dierum locutus eſt in Filio*, qui videlicet ceu λόγος *verbum Dei caro factus eſt, & habitavit inter nos, plenus veritatis & gratiæ*, Hebr. I. 1. Joh. I. 14. Ac Propheta ille Magnus in diebus quidem carnis ſuæ Apoſtolos, & una cum iis Eccleſiam docuit, non externo duntaxat affatu, & פה אל פה *ore ad os*; ſed interiori inprimis vi

ac

ac potentia, qua apud animos hominum pollebat plurimum. Digrediens verò ex terris Eccleſiam orphanam non reliquit; ſed reliquit eidem Spiritum ſuum ducem: dedit Apoſtolos, Prophetas, Evangeliſtas, Paſtores, Doctores, Joh. IV. 26. Epheſ. IV. 11. המבשרות צבא רב *Evangelizantium turbam magnam*, Pſal LXVIII. 12. Horum erat teſtari de reſurrectione Chriſti, Evangelium ex præſcripto Domini ſui prædicare in toto mundo, qua ore, qua ſcripto. Nam id ipſum, quod ore prædicârunt, inſpiratione Divina nonnulli ſcribere debuerunt, ut Eccleſia Evangelium à Chriſto & Spiritu ejus dictatum in tabulis conſignatum, adeóque invigilante pro verbo ſuo jugi Providentia Dei, ære fixo perennius haberet.

Extra quas revelatio Prophetica Christi hodie nulla reperitur.

VII. Poſt Chriſti ergo in Cœlum aſcenſionem, & Apoſtolorum diſceſſum, ſic quidem Chriſtus Magnus ille Propheta, intus Spiritus ſui flexanima virtute corda hominum inſtruit, illuminat, flectit; ut tamen verbum ejus externum ἀξιόπιστον, verè Divinum, niſi in Scripturis nullum in mundo extet. Si quod enim extâret *aliud*, vel ſcriptum illud eſſet, vel non ſcriptum. Si ſcriptum, ubi illud extat? Si non ſcriptum, ſed ore traditum, propagatum, vel illud idem eſt cum ſcripto, vel ab eo diverſum. Si idem, omnis ergo revelatio Divina, omnis prophetia Chriſti in ſcriptura continetur. Si diverſum, Dei igitur verbum non erit, tum quia in principii fidei, quod ſcripturis comprehenditur, virtute & fœcunditate haud dubiè articuli fidei, qui copulativi ſunt, continentur omnes: tum quia verbum ſcriptum ſufficiens eſt inſtrumentum inſtitutionis in rebus fidei & morum, neque adeò illi diverſum quidquam addi poteſt, Deut. IV. 2. XII. 32. 1. Cor. IV. 6. Gal. 1. 8. Apoc. XXII. 17. Et quæ verbi Divini non ſcripti, ſed à ſcripto diverſi, & ore traditi propagatíque certitudo,

quæ πληροφορία erit? Etenim notas certitudinis habet vel in ſe, vel in authentica aliqua norma. Non *in ſe*, quia manifeſtatione veritatis ſe conſcientiæ omni hominum commendare nequit. Non *in authentica norma*, tum quia nullum habemus fidum ejus cuſtodem, quomodo Scripturæ fidus comes eſt litera, pro qua Deus vigilaturum ſe recepit: tum quia recipit varietatem & contrarietatem: tum quia corruptioni obnoxium eſt, uti vel ſola hiſtoria primorum temporum ante legem ſcriptam id evidenter oſtendit.

Atque earundem ſenſus & interpretatio non aliunde quam ex Scripturis ipſis arceſſitur.

VIII. Neque tantùm in ſola Scriptura omnis Chriſti prophetia, omne Dei verbum, omnis revelatio Divina continetur; verùm etiam eadem Chriſti prophetia & revelatio ſcripta ſui ipſius in rebus dubiis interpres eſt, neque adeò ἰδίας ἐπιλύσεως *propriæ diſſolutionis*, interpretationis, 2.Pet.1.20. Nulla proin authoritas humana in mundo eſt, quæ Scripturam ex proprio motu, ſine demonſtratione ſenſus ex ipſa Scriptura infallibiliter interpretandi jus, chariſma, poteſtatem ſibi jure vendicare poſſit. Non tantùm enim Chriſtus amandat ad Scripturas, non viſibilem & infallibilem interpretem quenquam, Matth. XXII.29. Luc. X.26. Joh. V 39. Sed etiam Apoſtoli nulla habita proprii privilegii aut infallibilitatis ratione, non alium interpretem, quam Scripturam appellârunt, Act. XV. 6.7. &c. 2.Tim. III.17. 2.Pet.1.19. 20. Cumque interpretatio, ſeu demonſtratio genuini ſenſus Scripturæ ex Scriptura, ſit Divinum chariſma, liberè à Spiritu S. collatum, Eccleſiæ ad ædificationem Rom. XII.6.7.8. tyrannidem igitur exercet, & Spiritum Chriſti Propheticum in ordinem redigere conatur, quiſquis eum ad cœtum particularem, nedum unum hominem reſtringit, & talentum à Deo conceſſum in mercimonium ſpirituale erogari vetat. Quod nonnulli etiam in Tridentino Concilio Theologi, Cajetanum pro

ſe

ſe allegantes, Suave Polano *lib.* 11. 138. teſte, monuerunt.

IX. Conſequens hinc eſt, contra Propheticum Chriſti munus aperto Marte inſurgere, quiſquis Scripturæ convitium facit, vel teſtandi authenticè officium ei eripere, & aliò transferre conatur. Cujus ſacrilegii ream eſſe Hierarchiam, pridem demonſtratum eſt. Cui enim blaſphemiæ ejus de verbi ſeu prophetiæ Chriſti ſacris literis comprehenſæ incertitudine, imperfectione & obſcuritate: traditionum contra humanarum, ac verbi inprimis Papalis certitudine, perfectione & claritate, ignotæ ſunt? Cui non dictus ille Hylas? Id unum quippe novi illi Papicolæ rerum ſatagunt, ut verbo & Prophetia Chriſti, quæ Sacris Scripturis continetur, veluti dubia, inerte, incerta & obſcura, in ordinem redacta, Papæ verbum & Prophetia ἄδηλος, tanquam fidei ac morum norma tutiſſima, ab omnibus acceptetur. Quod ſupra etiam, ubi de Regula & analyſi fidei non uno loco actum eſt, demonſtravimus.

Quisquis ergo Scripturas impetit, Chriſti Propheticam authoritatem oppugnat. Quod Hierarchiam ſtrenuè facere oſtenditur.

X. Ut ſtrictiùs agamus, negat Hierarchia præfractè, Scripturæ, ſeu verbo ſcripto eam potentiam ineſſe, ut ſuam Divinitatem ſenſui hominum ſpirituali, ſine Eccleſiæ, quæ unico tamen individuo conſtat, Papa videlicet, in quem omnis authoritas Eccleſiæ reſolvitur, teſtimonio demonſtrare valeat. Nota illa Eckii *Enchir. fol.* 8. verba ſunt: ***Scriptura non eſt authentica ſine authoritate Eccleſiæ.*** Cui ſententiæ ut verè aureæ ac nobili ſcilicet, in margine hic gratulantis ovantiſque plauſus adjicitur: *Achilles pro Catholicis*. Mitto Hermanni ac Hoſii notas nimis blaſphemias. Mitto horrendam gloſſematis illius turpiſſimi *in Decretal. lib.* 2. *tit.* 23. impietatem, quod Solomonis textum à canonizatione Papæ fidem ſuam mutuari docet. Quis non illos Divinitatis arbitros iis verbis compellaverit, quibus olim Tertullianus *Apol. cap.* 5. Ethnicos compellavit: *Apud vos*

Oppugnat enim potentiam Scripturæ, qua ſuam ipſa Divinitatem cuivis conſcientiæ demonſtrare valeat.

de humano arbitratu Divinitas penſitatur. Niſi homini Deus placuerit, Deus non erit. Homo jam Deo propitius eſſe debebit.

Blaſphemia Hierarchicorum notata. XI. Quod eſt *ſemen immortale* 1. Pet. 1. 33. *fœcundiſſimum*, Matth. XIII. 23. quod eſt ipſum Dei *verbum vivum, efficax, & penetrantius quovis ancipiti gladio*, Heb. IV. 12. quod eſt *gladius*, & quidem *gladius Spiritus S.* Epheſ. VI. 17. quod eſt *potentia Dei ad ſalutem omni credenti* Rom. 1. 16. quod eſt ipſum *Dei brachium* Eſaj. LIII. 1. id homines iſti, vel ἄλογα potiùs ζῶα Jud. 10. nullam in ſe vim habere, ſed ſine vitali teſtimonio Eccleſiæ, inſtar Alcorani, fabularum Æſopi, rami aridi, literæ mortuæ, navis ſine remis, fundamenti arenoſi, labyrinthi dubii (emblemata profectò Chriſtianis auribus digna!) eſſe, dicere non erubeſcunt. Proh pudor! Proh ſcelus! Cicero ſingulos Euripidis verſus ſingula vocat oracula. Idem Ariſtotelem aureum orationis flumen fundere teſtatur Neutrum vidit, neutrum audivit; utriuſque tamen ſcriptis non parùm detulit. Iſti verò ſacras literas non tam aculeis, quàm fulminibus adverſus omnem impietatem inſtructas, nullam vim, potentiam nullam Divinitatem ſuam, ſine teſtimonio Papæ, demonſtrandi habere calumniantur. Credunt Eccleſiæ, vel potiùs Papæ, nullo externo teſtimonio, nullis Divinitatis characteribus fidem ſibi facienti. Verbo Dei ſcripto, ſine externo teſtimonio humano, credere detrectant. Perinde facientes planè, ac ſi luna eo uſque inſoleſceret, ut ſibi poteſtatem arrogaret, in gratiam Solis teſtificandi, quòd revera luceat; licet omnes, qui ſcotomate percuſſi non ſunt, id videre poſſint, etiamſi luna ſub horizonte deliteſceret.

Divinitatem Scripturæ à teſtimonio Ec- XII. Quænam verò Eccleſia, ſeu quis potiùs Papa ille, Eccleſiæ prora & puppis eſt, à cujus nutu & authoritate Scripturæ Divinitas pendet? Non quævis ſanè; non

non Apoſtolica; non ea, quæ primitus libros Divinos ſibi traditos receperunt. Præſens eſt, inquiunt illi, præſens eſt. Sic planè Bellarminus, qui *de num. & effect. Sacram. lib.* II. 15 ſeptenarium Sacramentorum numerum Concilii Tridentini authoritate (hæc enim illis ἱερὰ ἄγκυρα eſt) ſuffulturus; *Omnium*, inquit, *Conciliorum veterum*, *& omnium dogmatum firmitas pendet ab authoritate præſentis Eccleſiæ*. Paulò antè: *Si tollamus authoritatem præſentis Eccleſiæ*, *& præſentis Concilii; in dubium revocari poterunt omnium aliorum Conciliorum decreta, & tota fides Chriſtiana.* Ain verò, *tota fides Chriſtiana*, *dogmata omnia?* Adeóque etiam, quæ digito Dei exarata, à Spiritu S. dictata ſunt? Neque ea Divina erunt, niſi præſens Eccleſia, hoc eſt, Innocentius XI. qui, incertum eſt, an Biblia unquam legerit, (ſaltem non Scripturæ peritia, ſed aleæ jactus aliquis fortunatior Cardinalem, adéoque etiam Pontificem feciſſe fertur) Divina eſſe affirmaverit? Nam ſi negaverit, de Scripturæ Divinitate, de dogmatum Chriſtianæ fidei authoritate actum erit. Quid hoc aliud eſt, quàm Deum ipſum impuris hominibus emancipare, humanóque tribunali Cœli fabricatorem ſiſtere? Quid aliud, quàm Chriſto Prophetæ exauctorato, & ad ſilentium damnato, Papam Prophetam, magnum certè Pſeudo-prophetam ſubſtituere? Deus erit Deus, erit, quæ eſt Dei, Scriptura, quantumlibet reclamantibus Roma, Tridento, Orco.

Eccleſia, ſeu Papa præſentis, ſuſpendunt.

XIII. Sed & haſtam ſuam in Chriſtum Prophetam minaciter ſatis conjiciunt, eadem ſcilicet critica Divinitatis licentia Canonem ejus verbi ſcripti figentes, refigentes, & ei pro Papali authoritate ſua inſerentes libros velut Divinos, qui humana induſtria ſcripti ſunt. Quis ſic ferat ὑπόβλημα ῥάκυς ἀγνάφυ panno veteri adſui? Quid hinc niſi *χεῖρον σχίσμα ruptura pejor*? Quis ferat,

Iidem Canonis Divini figendi refigendique authoritatem ſibi rapiunt.

ut contra Hebræorum fidelium, Chriſti Apoſtolorum, Cöncilii Laodiceni vetuſtiſſimi, Melitonis, Cyrilli, Athanaſii, Origenis, Hilarii, Hieronymi, Rufini, Nazianzeni fidem & clariſſima teſtimonia, contra teſtes medioxumos, nuperóſque vel ſuos; ſex integri libri, ſub anathematis pœna, Deo ipſi, Chriſto Prophetæ unico, ejuſque Eccleſiæ à Tridentinis Paterculis, iiſque primis imperioſiùs obtrudantur? Neque illis Divinitatis trutinatoribus obſtabat, quòd aliqui magicas præſtigias, alii ἀυτοφονίας, mendaces planè fabulas alii, alii ritus Ethnicos, alii denique crudelia facinora, non ſine publico quodam applauſu lectoribus ſuis propinant. A doctoribus talibus quæ fides, qui mores diſci imbibique poſſunt? Quod igitur olim Chius ille ſervus de Domino ſuo vinum vendente aliis, & vappam epotante dixit; *Cùm adſunt bona, quærunt mala*; id nos de infelicibus illis Divinitatis arbitris, dixerimus meritò. Cùm enim adeſt Chriſti ſermo Propheticus firmiſſimus, illi pro fœcibus & vappis hiſce, velut pro aris & focis ſuis dimicare, & Deo Cœli, fœtus ingenii humani ſupponere non deſinunt. Quid quod Canoni etiam antiquo decus omne detraxerunt pridem, utpote quem libidini Papæ, in quem, velut ſupremum Numen, Papiſtarum fides omnis, uti ſupra oſtendimus, reſolvitur, ſubjicere penſi nil habuere, nec habent adhuc.

Canonis Divini ſcripti ſufficientiam nefariè laceſſunt.

XIV. Neque Hierarchici, eorum, quæ ſcripta ſunt inſpiratione Divina, authoritatem ſuffodere, & quæ authore Deo ſcripta non ſunt, Deo affingere, ſatis habent. Nam & ſcriptorum Deo authore ſufficientiam laceſſere audent, præcipientes ſcilicet, ut Traditiones cum ipſis Scripturarum libris pari pietatis affectu, pari veneratione ſuſcipiantur. Ita Tridentini ſanxere: ita Hierarchici uno ore omnes ſuſtinent. Sunt quædam res mediæ, ritus adiaphori, in quibus aliquid Eccleſiæ traditiones va-

Digitized by Google

valent. Quæ verò ad ſalutem ſcitu vel factu ſimpliciter neceſſaria ſunt, ea vel per verba, vel per ſenſum in S. Scripturis non reperiri, meritò quidem ἀθεόλογον vel iis, quæ ſupra recitavimus, aliiſque argumentis inducti, cenſemus. Διατυπώσεις quædam publici ordinis ergo ab Eccleſia ſunt: atque ὅροι quique neceſſarii ab unius ſoliúſque Dei voce petendi ſunt. Lex Domini & perfecta eſt, & perfectum facit 2 Tim. III. 17. Quid verò perfecto addi poteſt? Aut quæ perfectio, ubi neceſſarium deſit? Malè ſic edoctus, malè locutus fuerit Conſtantinus M. cui tamen nemo Heroum illorum Tridentinorum vel aurem tetigit, dum ait: *Evangelici & Apoſtolici libri, nec non antiquorum Prophetarum oracula planè inſtruunt nos ſenſu Numinis.* Neque S. Patres ullam aliam fidei regulam aut agnoverunt, aut viderunt unquam. Putabimúſne autem, vel invidiſſe humano generi Deum plenariam hanc voluntatis ſuæ perpetuis literarum monumentis conſignationem; vel minùs expedire cenſuiſſe, in communi illo veritatum conclavi (uti Roffenſis appellat) neceſſaria quæque reponi; vel incertius eſſe, quòd literis fideliter mandamus, quàm quod vagis hominum rumoribus circumgeſtari, & aereo hoc flatu ad ſera nepotum ſecula derivari ſolet? Hoc videlicet eſt, ut cum Irenæo *lib.* II. I. loquamur, Prophetarum, & Domini & Apoſtolorum relinquere vocem, & attendere nihil ſani garrientibus. Cúmque Tridentini primi *traditiones ſine ſcripto recipiendas eſſe* decreverint, neque tamen, quæ traditiones illæ ſint, ubi reperiantur, & quomodo à falſis diſcernantur, quíſve eorum ſit numerus, definiverint, quæ alia fallacis & doloſæ hujus generalitatis crypſis eſſe potuit, quàm ut prætenſa traditione Pſeudo-propheta hic tueri poſſit, quicquid à vero Propheta Chriſto ſcriptum & præſcriptum nuſpiam eſt?

Verſionem Latinam corruptam, ceu authenticam ipſiſmet fontibus præferunt.

XV. Neque levis adverſus verbum Chriſti Propheticum ſcripto conſignatum injuria eſt, quòd ejus verſionem Latinam, eamque corruptiſſimam, authenticam definire, adeóque Auguſtiſſimis fontibus præferre; quod non eſt χρύσεα χαλκείων, ſed Divinis humana anteferre; Tridentini nulli dubitârunt. Etenim cùm Latina illa vulgata nec αὐτόπιστος ſit, ſed humano ſtudio adornata; nec ἀρχέτυπος, ſed verſio; neque fons, ſed rivulus; etiamſi puriſſima verſionum omnium eſſet (qualis tamen hodie habetur, forte impuriſſima omnium eſt) authentica eſſe non poſſet. Dixerat jam olim Cajetanus, & in Synodo Tridentina Catanæus repetierat, *intelligere verſionem Latinam, non eſſe intelligere verbum Dei, ſed vocem Interpretis erroribus obnoxiam.* Clariſſimè quin etiam Iſidorus Clarius Brixianus, Abbas Benedictinus aſſeverare ſolebat: *nullam tranſlationem cum ſacri contextus lingua originali æquiparandam eſſe.* Et Hebræos fontes, Græcos rivos, Latinos paludes bibere, ſcitè Reuchlinus, Hieronymi veſtigia premens, dixit. Sed authenticam tamen Vulgatam, novitius ille Propheta declaravit, tum quia veritus eſt, ne non ſatis λατῖνος *Latinus* videretur, niſi verſionem Latinam, quàm plurimis vitiis ſcatentem, quam Hieronymus ipſe non agnoſceret ampliùs fontibus puriſſimis prætuliſſet: tum quia cùm Propheticum Chriſti verbum planè è medio tollere non potuit, adulterandum ſaltem, pro meretricia & Babylonica impietate ſua putavit, Hebræo Veteris, & Græco Novi Teſtamenti Codici ruinam moliendo, quò ſic Lydius verſionum lapis, & cum eo certitudo Scripturæ funditus periret. Taceo cauſas alias hujus decreti parùm certè honeſtas, quas Suave Polanus *Hiſt. Concil. Trident. lib.* 11. *p.* 132. ex ſententia cordatiorum fuſiùs recitat.

Senſum Scripturæ

XVI. Cùm tamen ne ſic quidem Scripturam, verbum

bum Chriſti Propheticum, peſſumdare Pſeudopropheta poſſet, alia id via tentare aggreſſus, ejus interpretationem & ſenſum, qui verbi Divini anima eſt, ſui arbitrii, ſuæque poteſtatis facere totum conatus eſt. Quod ubi ſemel obtinuiſſet, jam utique verbum Dei, quod non in verborum corticibus, ſed in ſenſus medulla conſiſtit, ſic debellaverat, ut nihil ex eo ampliùs extimeſcendum fuiſſet. Proclive enim fuerat cuique verbo ſenſum aptare, qui humanæ ejus libidini inſerviret. Sic ergo Tridentina Synodus *Seſſ.* IV. *decr. de uſu librorum Sacrorum* definit: *Præterea ad coercenda petulantia ingenia decernit, ut nemo, ſuæ prudentiæ innixus, in rebus fidei & morum, ad ædificationem doctrinæ Chriſtianæ pertinentium, Sacram Scripturam ad ſuos ſenſus contorquens, contra ſenſum, quem tenuit & tenet Sancta mater Eccleſia, cujus eſt judicare de vero ſenſu Scripturarum Sanctarum, aut etiam contra unanimem conſenſum Patrum, ipſam Scripturam Sanctam interpretari audeat. Qui contra venerint, per ordinarios declarentur, & pœnis à jure ſtatutis puniantur.* Per *Sanctam Matrem Eccleſiam* intelligit particularem Romanam, quam penes ſic collocat jus ſupremum interpretandi Scripturas, ut ab ea nulla ſit appellatio, ne quidem ad Scripturam ipſam. Et quamvis hic quatuor ſoleant erigere tribunalia, Eccleſiæ, Conciliorum, Patrum & Papæ, tamen ſubductis ritè calculis ſolus reſtat Papa, ſeu privatus & Enthuſiaſticus Spiritus Papæ, qui dicis gratia Scripturam admittit, ut regulam, ſed partialem, & ad nutum ſuum applicandam, flectendam, torquendámque.

Sui arbitrii, ſuæque poteſtatis omnem ſacient. In quo ſecuritatis ſuæ eorum palladium conſiſtit.

XVII. Cùm verò interpretatio Scripturæ ex ipſa Scriptura, non voluntate, ſeu placito hominis peti debeat, ne fides noſtra innitatur dicto hominum ſua natura mendacium, adeóque caducum in parietem inclinet; atque inſuper ſit donum Dei, liberè à Spiritu S. colla-

Tyrannidem ſic exercent. Spiritum S. liberáſque ejus operationes in ordinem redigendo.

collatum ad ædificationem Eccleſiæ, Rom. XII. 6. 7. 8. tyrannidem ergo exercuit Synodus illa, & Spiritum S. liberáſque ejus operationes in ordinem redigere auſa & interpretationem Scripturæ ad cœtum particularem Hierarchicum, imò hominem unum, Papam, contrahens; eíque ejuſmodi interpretandi privilegium impertiens ut nudè aſſerenti, dictanti, quem voluerit, ſenſum; non demonſtranti ex ipſa Scriptura, acquieſcere omnis hominum fides & conſcientia teneatur.

Adeóque facultatis prophetandi monopolium ſibi vendicando.

XVIII. Profectò venditatum hujuſmodi facultatis prophetandi monopolium Spiritus prophetici libertati, quæ Chriſti æternæ Dei Sapientiæ, donum eſt, è diametro repugnat. Nam Spiritus S donis omnem commeatum intercludit. Cùm tamen non aliunde Spiritus Dei liberè revelans & operans, niſi ex impuro & polluto corde, niſi ex animo peccandi conſuetudini devincto excludatur, adeò ut penes Dynaſtem nullum ſit, eum ſibi ſoli quaſi addictum & circumſcriptum mancipare. Liberior ergo eſt, quàm ut ad cathedram illam unius hominis alligari ſe patiatur: purior, quàm ut cum cathedra illa peſtilentiæ commercium habeat.

XIX. Vera etenim Dei cognitio, verus de Numine ſenſus, vera Scripturæ intelligentia unius aut familiæ, aut gentis, aut ſectæ propria eſſe nequit; ſed quiſquis ſenſu immortalitatis tangitur, & ſalutis ſuæ deſiderio æſtuat, ad ſe eandem pertinere, exiſtimare debet. Poterat quidem Judæorum gens circumciſionem externam, Aaronis familia Sacerdotium, alias ceremonias ſibi jure quodam vendicare. Sed Spiritus S. operationem & revelationem, Divinam & internam circumciſionem, vivas illas animi veráſque hoſtias, æternas naturæ leges, quas in hominum animis Deus Optimus Maximus à principio inſculpſit, omnium Mortalium ſententiis comprobatas, ſibi nec Judæi, nec Græci, nec Roma-

Romani, nec ulla Natio ulla, nedum unus homo, quaſi peculiaria vendicare potuerunt. Quomodo ergo ſummam quaſi religionis hæreditariam ad unum aliquem ſic veniſſe, ut pro libidine ſua ipſummet Dei verbum, & notiones rationi humanæ inſitas interpretari, addere, demere, mutare, ſtatuere, abrogare poſſit, induci nos, ut credàmus, patiamur? Neque enim iccirco leges Divinæ latæ, religio patefacta eſt, ut in eam Mortales jus ullum haberent, ſed ut omni ſtudio, cura, labore, diligentia pro ſe quiſque annitatur, ut eam intelligat, colat, ejuſque dignitatem tueatur.

Spiritus privati Scripturam ex Scriptura interpretantibus objecti opprobrium depellitur.

XX. Neque ſic plus Spiritui privato, uti Pſeudo propheta criminari ſolet, quàm Eccleſiæ tribuimus; ſed Scripturæ intelligentiam ex demonſtratione ipſius Scripturæ merè humano teſtimonio & arbitrio, ſive unius, qualis Papa eſt, ſive plurium, quicunque illi ſint, & quocunque ſe nomine inſigniant, præferimus. Quid enim, ſi Eccleſia, hoc eſt, jurato quodam cœtu, vel Papa aliud agente, privati illi, quos Tridentini *petulantia ingenia* petulanter appellant, in loci alicujus dubii interpretatione analogiam fidei ſequantur? Quid ſi Scripturam per ipſam Scripturam locum obſcuriorem per illuſtriorem interpretentur, adhuc ne plus tribuendum erit Papæ, non demonſtrare quicquam, ſed dictare, & placita ſua ἀβασανίστως recipienda obtrudere ſueto, quàm privatis illis? Utri Deo gratiores eſſe poſſunt, illine inſolentes, qui Scripturam θεόπνευστον de gradu authoritatis ſuæ dimovent, & fidem, quam voluerint, thraſonicè dictant: an verò pauperes & contriti ſpiritu, qui ad verbum Dei trepidant, qui S. literas honorificè tractant, & earum, invocato Numine, ſenſum ſtudioſè indagant? Humiles enim iſti Chriſti ſunt oviculæ, quæ vocem Paſtoris ſui audiunt Joh. x. 27. parvuli εὐδοκίας, quibus detecta Matth. xi. 25. & diſcipuli,

Digitized by Google

quibus datum eſt nôſſe myſteria Regni Cœlorum, Matth. xiii. 11. Hi critici ſunt ſacri, qui ſtylum Scripturæ noverunt optimè. Hinc adeò Gerſon, Cancellarius Pariſienſis, æquiorem ſe laicis & privatis illis præbens, *Par.* 1 *de Exam. doctr. conſid.* 5. *&* 6. ſtatuit, ***homini ſimplici***, ***non authoriſato***, ut ipſe loquitur, ***excellenter tamen in Scripturis verſato***, ***Evangelicam veritatem proponenti plus credendum eſſe***, ***quàm Papæ vel Concilio***, ***ex malitia vel ignorantia erranti***. Neque præterea Spiritus ille fidei, qui ſingulis fidelibus datur, & judicio tum externo Scripturæ, tum interno Spiritus S. nititur, eſt *privatus*, ſed *publicus* utique, & toti fidelium Eccleſiæ communis, adeóque quoad manifeſtationem veritatis, & donum fidei is ipſe, quem habuerunt ſancti homines, per quos Deus locutus eſt. Eſt enim Spiritus Dei, qui in Chriſto & toto ejus corpore, ſingulíſque ejus membris agit, etſi diverſa menſura, 1. Cor. 11. 12. Epheſ. 1. 13 Sic revera *Deus & Spiritus unus eſt* Gal. III. 20. 28. 1. Joh. II. 27. qui eodem modo fidem operatur in omnibus.

In Scripturæ reddendo ſenſu infallibilitatem ſibi nec quicquam arrogant; etiam cùm diligentiam nullam adhibent.

XXI. Quisquis Scripturæ authenticè interpretandi jus ſibi arrogat, infallibilitatis dote inſtructus ſit oportet. Credendum enim ei eſt ſimpliciter, ſine demonſtratione alia, dictanti, definienti, proponenti. Fides autem non niſi infallibili teſte nititur. Jam ergo Papæ, novo Prophetæ, uni ſcilicet ſolíque authentico Scripturæ Interpreti, judicii quandam impeccantiam, detur venia Tertulliani verbo, adeóque infallibilitatem tribuere debuerunt. Tribuerunt poſt Concilium Tridentinum maximè. Tribuerunt Jeſuitæ præ cœteris, neque in quæſtionibus duntaxat juris, ſed facti etiam. Cujus utriuſque infallibilitatem inter articulos fidei Catholicæ referunt, ut in Hiſtoria Papatus, & ſupra quoque *Diſſert.* VIII. *ſect.* 2. *th.* 34 *&c.* fuſiùs narravimus. Memoratu certè digna ſunt illa Gregorii de Valentia ***Anal. fid.***

fid. lib. 8. *de vi & uſu auctor. R. Pontif. in fide quæſt.* 6. verba: *Reſpondeo, ſive Pontifex in definiendo ſtudium adhibeat, ſive non adhibeat, modò tamen controverſiam definiat, infallibiliter certò definiet, atque adeò reipſa utetur authoritate ſibi à Chriſto conceſſa.* Addit ſtatim: *Eadem fide credere debemus, illum, quando rem controverſam definit, ſufficientem adhibuiſſe diligentiam.* Egregiè profectò! Dummodo dixiſſe, definiviſſe Papam aliquid conſtet, ſatis erit. Cæca fide amplectendum id omne eſt. Imò eo ipſo, quòd dixit, definivit, diligentiam adhibuiſſe omnem cenſeri debet. Et ſi maximè non adhibuiſſet, dixiſſe, definiviſſe ad fidem ſufficit. Nam Pythagoras eſt, αὐτὸς ἔφα. Quis contra muſſitare auſit? Helena hæc eſt, quam uſque adeo delicatam habent Tranſalpini, ut eam ſibi eripi paſſuri ſint nunquam. Nullus Romanæ fidei nunc apiculus, interpretatio nulla eſt, quin ab hoc ἀπλανείας Principio pendeat. Tuti jam planè ſunt Hierarchici, neque verbi Divini Prophetiæ, Chriſti religio eos abſterrere poterit, quò minùs quidvis ex animi ſui ſententia etiam ſine cura & ſtudio omni uti Valentia innuit, dicant, doceant, definiant. Novis articulis fidei nova norma, Statera nova debebantur. Lucifugæ ergo Scripturarum monetam ſuam novam eorum, qui eam cuderunt, ſtateræ doloſæ ſiſtere, & pro eadem, ceu infallibili tanquam pro aris & focis ſuis propugnare non deſinunt.

XXII. Hanc verò infallibilitatis dotem à Cathedra S. Petri, ſtabili adeò, æterna, plena prodigioſæ virtutis arceſſunt. Olim quidem tabulæ manu exaratæ ſtatim confractæ perierunt. At cathedræ Petri tabulæ ætatem non ſentiunt, è quercu forte Hibernica dolatæ, quam nulla tangit erroris aranea, quin occidat ilico. Vibius profectò Rufus redivivus hic nobis videtur, qui Xiphilino in Epitome, & Dione in Tiberio teſtibus, in

Eam à Cathedra S. Petri nullo jure arceſſunt.

ſella ſemper ſedebat, in qua Julius Cæſar, uxorémque duxit Ciceronis; de utroque gloriari ſolitus, quaſi aut propter ſellam Cæſar, aut propter uxorem Orator futurus. Sic omnis Papæ à cathedra Petri, in qua ſedet & adoratur, virtus. Bene tamen eſt, quod reliqui proavorum ejus nihil huc contulere. Alias Alexander VI. ſucceſſores ſuos in Cynædos; Clemens in ſacrilegos; Julius in ſicarios; Benedictus, Gregorius, Sylveſter in Simoniacos; Paſchalis in perjuros; Johanna Moguntina in fœminas; Martinus & Sylveſter alter, aliíque in Magos; Johannes uterque in Diabolos incarnatos transſmutaſſet. Sic planè qui ſe olim in Paradiſum inſinuavit Serpens, idem in cathedram Petri ſurrepere callidè potuit.

Infallibilitatis illius monſtrum ampliùs demonſtratur.

XXIII. Nuſpiam certè tale quid vel promiſit, vel præſtitit Chriſtus. *Ubi enim hoc ſcriptum*, uti meritò Lutherus *adv. falsò nom. Epiſc.* jocatur, *an forte Romæ apud Sanctum Petrum in camino quopiam?* Dixit ſanè Chriſtus: *Tu es Petrus*: At *Tu es Innocentius XI. ſucceſſor Petri, infallibilis juris Divini & humani arbiter*, nuſpiam dixit. Dixit, *Rogavi pro te, ne deficeret tibi fides.* Sed dixit etiam: *Vade poſt me Sathan, non ſapis, quæ Dei ſunt.* Doceat nos nunc Oraculum illud Cathedralitium, cur hæres promiſſi ex aſſe, illam cenſuram & ἐπίπληξιν abdicaverit? Nihil tale ſuccedaneæ Chriſti & Petri ætati ſuboluit. Non Polycrati & Irenæo, qui Victori: non Cypriano, qui Stephano: non Chalcedonenſibus, qui Leoni: non Orientalibus Epiſcopis, qui Julio: non Conſtantinopolitanis Patribus, qui Vigilio & Honorio cedere noluerunt. Sed & è recentioribus, qui naſum & frontem adhuc habuere, Johannes ille Cancellarius Pariſienſis, Turrecremata, Almainius, Alphonſus de Caſtro, Hadrianus VI. Papa, Archiepiſcopus Catharinus, Cardinalis Cajetanus,

Franciſcus à Victoria, aliíque complures non infimæ claſſis Theologi, à Bellarmino etiam *de Rom. Pontif. lib.* IV. 2. Cano *Loc. Com. lib.* VI. 8. aliíſque citati, & à me quoque *Tomo* I. *Diſſert.* XX. commemorati, palam illam Papalis judicii impeccantiam negârunt. Inſtar omnium rationem hujus rei Alphonſus *Contra hær. lib.* I. *c.* 2. reddit: *Multi*, inquiens, *Papæ adeò illiterati, ut Grammaticam penitus ignorent, qui fit, ut ſacras literas interpretari poſſint?* Non fugit profectò nos, quinam Pontificum Ario, qui Montano, qui Neſtorio, qui Acacio, qui Monotheletis, qui Sadducæis, qui dæmonibus favere non dedignati fuerint; quæ ſibi contraria edixerint, quæ Deo, quamque perforatam navim, Hieronymi verbis utor, debilis ſæpe gubernator rexerit. Quaſi è tam longinqua Pontificum ſerie, quæ portenta hominum, qui apotactici apoſtaticíque olim fuerint (ſic Platina, ſic Genebrardus loquitur) lippis & tonſoribus notum non ſit. Horum vita fabula mundi eſt.

Et emblemate conſpirantium Sacri Nemoris equitum, piraticam publicam prætextu infallibilitatis ſimilis ſibi arrogatæ, exercentium, exagitatur.

XXIV. Sed placuit tamen Papæ hoc Papalis infallibilitatis dogma, & placuit ſe magno judice, teſte, reo & diffinitore. Non alia enim ſupererat ratio ſe liberandi à ſuſpicione illa, quòd ſit magnus Pſeudopropheta & impoſtor, & S. Scripturam ſupplantandi, niſi audacter pronuntiando, & perſuadendo hominibus, ſe eſſe infallibilem. Jam ergo fingamus (quod Celeb. Mori Theologi Angli *Myſt. Iniq. lib.* II. 17. emblema eſt, ad rem apprime faciens) numeroſum hominum gregem, peculiari veſtitu ornatum, qui ingens aliquod nemus incolat, & famæ Sanctitatis neſcio cujus aucupandæ gratia, ſe *Equites ſacri Nemoris*, vel *Spiritus infallibilis Sacerdotes* appellet, & obfirmatiſſimo conſilio ſibi in dictis factíſque omnibus infallibilitatem arroget. Conſentiant ergo illi determinéntque uno ore, tantam

tam ineſſe certæ verborum Magicorum formulæ à ſe uſurpatæ, virtutem, ut ſi quis ex ſacro ſuo ordine illam ſuper uno ex puris, albis & rotundis, qui in obvio flumine reperiuntur, lapillis, pronunciaverit, ille eundem licet colorem, magnitudinem, figuram, duritiem retinens, repente in Aquilam mutetur, atque inde lapidis, quem *Aetiten* appellant, ſeu *Lapidis Aquilini* nomine veniat. Sed neget forte alius cordatior & emunctiorum narium, Aquilam eſſe; &, quod res eſt, affirmet, lapidem album, rotundum fluviatilem, non aliud eſſe. Aſt proſiliant mox Sacri Nemoris illi Equites, & per Sacroſanctam Ordinis ſui dignitatem & infallibilitatem obteſtentur unanimiter, miraculum interceſſiſſe, neque amplius, quod videtur, lapidem, ſed Regium illum Jovis alitem eſſe. Inſtent nihilominus perſpicaciores Aquilam eſſe non poſſe, cùm nec roſtrum, nec os, nec caput, nec pedes, nec ungues, nec cauda, nec caro Aquilæ appareat, denique nil niſi vulgaris lapidis clariſſima indicia abundent. Neque nudum affirmantis teſtimonium rei huic affirmatæ ſidem facere poſſe pertendant. Aſt occurrant hi *Nemoris Equites* & cum ratione licet reſtitantes adoriantur, fortunis omnibus exuant, denique occidant. Quid hic videbitur? Annon ſani omnes *Equites* hos *Spiritûſque infallibilis Sacerdotes*, procul omni convitio, ſanguinolentorum Impoſtorum ſubdolam Societatem, latronum denique turbam, piraticam exercentium, & viatores obvios quoſque infeſtantium, eſſe, clamabunt meritò?

XXV. Quid ergo nos quoque exiſtimabimus de numeroſis agminibus hujus ſe infallibilem venditantis Eccleſiæ, paratis ad infeſtandum atrociter Chriſtianum viatorem quemvis, in hac ſua peregrinatione per mundi hujus eremum errantem, ſi forte, Scripturæ & ſanæ rationi confiſus, negaverit ille, album rotundúmque

libum

libum poſt certam verborum formulam à Sacrificulò ſuper eo demurmuratam, in perfectum hominem converſum eſſe, eò quòd poſt exquiſitiſſimum ſenſuum examen ne hilum quidem mutatum eſſe, deprehendere ille poſſit. Et tamen propter ſolam jactatam infallibilitatem vel paradoxum hoc τερατῶδες ei confitendum, imò & libum iſthoc adorandum, vel crudeliſſimo mortis genere pereundum eſt. Quis cœtum ejuſmodi Chriſtianum, & non potiùs verè Babylonicum, Dei, Scripturæ, ſanæ rationis hoſtem juratiſſimum juraverit?

Ultimus Scripturas debellandi conatus, in hominibus ab ejus lectione vi & dolo arcendis conſiſtit.

XXVI. Neque tamen hic vaframentorum Pſeudopropheticorum finis eſt. Jus Scripturas interpretandi pro lubitu, & infallibiliter, quocunque demum modo interpretatio inſtituatur, ad ſe ſolum Papa pertraxit. Metus tamen adhuc erat, ne populo, cordatioribus ſaltem fraus ſuboleret, & nihil minùs quàm vera & infallibilis verbi Chriſti Prophetici interpretatio videretur. Hoc ergo ſupererat, ut ad dirimendum Deum inter & homines commercium verbi Divini lux poneretur ſub modio, & à Lectione Scripturæ populus aſtu quodam, imò adhibita etiam ſi opus foret, vi arceretur penitus. Prætextu uti placuit obſcuritatis, periculi ſeductionis, quódque Scriptura ſit lesbia regula, naſus cereus, farrago ſcriptorum fortuitorum & occaſionalium, multos denique in hæreſes certiſſimas præcipites dederit. Ergo eandem in uſum populi vernaculo idiomate reddi, grave piaculum: legi vel in verſionibus aliorum, vel in Vulgata etiam verſione, ab iis, qui Latini idiomatis callentes eſſent, ſine venia & diſpenſatione Eccleſiæ, nefas cenſeri voluit. Et ne forte loci cujuſpiam Scripturæ, in publica liturgia occurrentis, vis homines à cœca illa obedientia, & ingeniorum tyrannide abſolveret, ſummo ſtudio cavit Pſeudo-propheta, ne preces etiam publicæ, & Euchariſtiæ celebratio

à populo intelligi poſſent. Denique non rarò ſævitum in Codices, ſævitum in eos, qui non conſentientibus Præpoſitis Biblia legiſſent. Quæ omnia pluribus teſtimoniis Celeb. Rainoldus *de R. Eccl. Idolol. lib.* 1. *cap.* 18. *Is.* 14. 15. probata dedit. His artibus remoto candelabro omne lumen extinctum, ſcientiæ clavis abſcondita, fides cum perfidia, lux cum tenebris facilè commutata eſt, factique ſunt cœci duces cœcorum. Neque profectò ampliùs mirum, quòd omnibus nunc erroribus & hæreſibus illi patent, idololatria & ſuperſtitionibus abſorbentur, tyrannidi intolerandæ opportuni facti ſunt clerus inferior & populus, ſimiles idolis quæ colunt, vera mancipia præpoſitorum ſuorum. Quid enim contempto, neglecto, ſuppreſſo Dei verbo, quo *deficiente ſemper nudatur populus*, Prov. XXIX. 18. aliud evenire poterat?

Papa Pſeudopropheta Chriſti Prophetæ æmulus, ſicut hic verbum ſuum Propheticum miraculorum ſigillis confirmavit, ita ille pariter verbum ſuum Pſeudopropheticum ſignis & miraculis ſtabilire annititur.

XXVII. Quibus ergo gradibus, quibus modis Hierarchia Propheticum Chriſti verbum, doloſi luctatoris inſtar, ſupplantaverit, Pſeudopropheta ille de Chriſto Propheta triumphos denique egerit; & ſuum verbum, velut ex quercu, populo ſuo, ſublata lege Altiſſimi, obtruſerit, abunde jam colliqueſcit. Sicut autem Chriſtus Prophetico ſuo verbo per miracula omni exceptione majora fidem fecit, *Deo juxta voluntatem ſuam ſignis, & prodigiis, multifariis virtutibus, & diviſionibus Spiritus S. atteſtante illi Saluti, quæ initio prædicari cœpit per Dominum, & ab audientibus in nos ſic confirmata eſt* Hebr. 11. 3. 4. Sic Papa novello ſuo verbo Pſeudoprophetico, hoc eſt, iis doctrinis, quæſtus, commodi, potentiæ ſuæ ſtabiliendæ gratia protulit Miracula & Prodigia multa, ceu ſigilla quædam appingi curavit. Si doctrinam Chriſti Propheticam Papa retinuiſſet, facilè iis, quibus olim illa per Apoſtolos & Apoſtolicos Viros Dei confirmata eſt, ſigillis & miraculis ac-

Digitized by Google

acquieviſſet. Nondum enim illa, vetera licet, ſenio ſuo confecta ſunt, nedum fidem decoxerunt. Nunc verò novella Papæ Prophetia novellis ſcilicet miraculis ſtatuminari debuit; licet Spiritus Dei noviſſimorum temporum, cujuſmodi illa Papatus ſunt, ſigna & miracula atro carbone notaverit, & diris notis, ceu ſignis ſcilicet Ἀνόμου *Ex legis* illius, *ſecundum operationem Sathanæ, in omni virtute, & ſignis, & prodigiis mendacibus adventantis*, (2 Theſſ. 11. 9.) compunxerit. Hic ergo ignem de Cœlo lapſum, ad Tranſſubſtantiationis portentum confirmandum: hic ſtatuas locutas, ſudorem, lachrimas, ſanguinem emiſiſſe, Pontificiorum hiſtoriæ teſtantur. Eodem videlicet veteratore, qui olim in Paradiſo per Serpentem, Romæ per Fortunæ muliebris ſimulachrum locutus eſt; per imaginem Chriſti crucifixi, Thomam Aquinatem alloquente, ejuſque ſcripta utroque pollice ſic laudante: *Bene ſcripſiſti de me Thoma.*

XXVIII. Et Spiritus, & calamus deficeret, ſi ſingula, quæ portentoſi homines pro nova ſua Prophetia *in* arce Divinitatis collocanda venditant, miracula heic recenſere animum inducerem. Temperare tamen nequeo, quin nonnulla inſuper delibem, ut ex iis de cœteris omnibus judicium fiat. Quis ergo neſcit, populum illum acri thyrſo percuſſum jam pridem pro Pontificiæ, qua talis eſt, doctrinæ, confirmatione, ſuetum talibus narratiunculis oblectari, & Divinis veluti ſermonibus paſci, quòd Sanctus quidam caput ſibi amputatum manu propria tenens, per quatuor vel quinque milliaria ambulaverit, exacto quoque milliari ſemel interquieſcendo, ut per apertam gulam reſpiraret: quòd Sanctus alius menſa hoſpitali exceptus, cum diſpendio vitæ vaccæ & vituli, utrique poſt vitam reſtituerit, ut poſtero die denuo in paſcuis domini

Miraculorum Pſeudopropheticorum ſpecimen proponitur.

mini ſui oberrarent: quòd Sanctus alius viderit pone altare Diabolum peccata hominum pergameno inſcribentem, atque illud, cùm anguſtum nimis eſſet, expandentem, & membrana lubrica dentium morſu elapſa, caput ſuum parieti allidentem: quòd fœmina Sancta à Dracone deglutita, cùm ſe cruce ſignâſſet, in ventre Draconis eundem fruſtulatim laceraverit, atque ſic ſalva ex ventre eo evaſerit: quòd Epiſcopus quidam ſibi propriam manum, fœminæ cujuſdam tactu pollutam reſecuerit, & precibus ad B. Virginem effuſis ilico reſtituerit; & ſimiliter Sanctus alius crura, tertius caput ſibi amputatum repoſuerit: quòd fœmina quædam Sancta, cùm funibus ad necem traheretur, cruce ſe ſignans, & B. Virginem in vota vocans, eo robore munita fuerit, ut integra boum quadriga ad locum ſupplicii trahi non potuerit: quòd Sancti nonnulli cum Deipara familiariter converſantes, adeò liberalem eam experti fuerint, ut lac è mamillis ſuis ori ipſorum decumbentium inſtillaverit: quòd camera ejuſdem Deiparæ è Palæſtina in Italiam manu inviſibili per aera transportata fuerit: quòd crucifixum per idem elementum noctu quinquaginta milliarium iter confecerit: quod neſcio quis Sanctus, Guerinus niſi fallor, poſtquam Comitis Filiæ vitium intulit, eámque occidit & ſepeliit, à Papa damnatus in feram belluam converſus, diu oberraverit, donec captus à Comite, & ab ejuſdem puero recens nato juſſus eſſet ſonora voce ſe in pedes rurſus erigere, reſurgente ſimul puella, ante plures annos ſtuprum & cædem ab eo perpeſſa, ſed B. Virginis imploratæ ope incolumi & ſpirante in ſepulchro ſervata: quòd cum fœminabus quibuſdam Sanctis Chriſtus, cum Viris Deipara, annulo pronubo extradito, matrimonium con-

contraxerint: quòd infans recens natus ingeminaverit, *Ad Miſſam, ad Miſſam*: quòd ad ſingulorum nummulorum tinnitus intra málluvium in offertorio, totidem animæ è purgatorio exilierint: quòd hoſtia à quodam non jejuno deglutita eundem in porci formam mutaverit: quòd Chriſtus è Cœlo cum magna Sanctorum & Angelorum turma deſcendens ſacellum cum conſuetis ſacrificulorum ceremoniis ſolenniter conſecraverit, & digrediens petræ digitorum ſuorum veſtigia impreſſerit: quòd fœmellam Sanctam inter & Chriſtum tanta neceſſitudo interceſſerit, ut alter alterius corda invicem gererent, Chriſti corde in corpus fœminæ, & fœminæ corde in corpus Chriſti tranſmiſſo. Hæc deguſtaſſe ſufficiat, cùm ſimilia infinita anilium fabularum hamaxarii prodiderint, ſacra quadam cum reverentia à captis ſuperſtitione animabus excepta.

XXIX. Dignum ſane patella operculum eſt. Quale verbum Pſeudo-prophetæ eſt, talia verbi ſigilla ſunt. Totus Papatus, qui Eccleſiam, ſicut vermis pomum, infeſtat, Entibus conſtat fictis & pictis. Entia *ficta* ſunt tranſſubſtantiatio, theſaurus indulgentiarum, purgatorium, Sacrificium Miſſaticum, interceſſio B. animarum in Cœlis, reliquiæ, Camera B. Virginis Lauretana, Decretales primorum Pontificum, donatio Conſtantini M. Monarchia Petri, primatus Papæ Hildebrandinus, &c. *Picta* ſunt imagines Templorum, in quarum cultu ſummam pietatis collocant. Qualia ergo Papatus Entia, talia Entium illorum ſigna & ſigilia ſunt, ficta & picta. Aliud & pejus quid, quod poſſem, non addam.

Sicut totus Papatus entibus fictis & pictis conſtat: ſic miracula ejuſdem fingi pingique debuerunt.

XXX. Denique Ch. Prophetam unicum veriſſimúmq; haud dubiè inimico ſtudio oppugnat quiſquis veros C. Prophetas, fideléſque teſtes, perinde ut Pſeudopropheta ille Michæam, percutit, ſimilis Hieroſolymæ Meretri-

Hierarchia veros Chriſti Prophetas occidendo, Chri-

ſtum Prophetam ipſum debellare conatur.

retrici, quam ſic Chriſtus increpat Luc. XIII. 33. *O Hieroſolyma, Hieroſolyma, quæ occidis Prophetas, & lapidas eos, qui ad Te miſſi ſunt.* Qui verò ſint pravi illi ſervi, qui tardante juxta mentem ſuam Domino, bacchari, inebriari, ac conſervos ſuos verberare non ceſſant, triſtis experientia nos docuit, docétque, & infra, ubi argumentum illud dedita opera σὺν θεῷ proſequemur, ampliùs faciemus.

Progreſſus ad Sacerdotale Chriſti munus.

XXXI. Non ſatis erat Prophetæ Chriſto bellum indixiſſe. Indicendum etiam eidem *Sacerdoti* & cruci ejus fuerat. Conſtat equidem inter fideles omnes Chriſtum Cœleſtis Patris juſſu ac vocatione factum eſſe Pontificem noſtrum, imò jurisjurandi etiam religione accedente ut τὸ ἀμετάθετον τῆς βουλῆς *immutabile* ejus *conſilium* cognoſceretur, confirmatum, Hebr. v. 5. VII. 20. 21. 22. Obtulit ergo ſe ipſum, & proprium ſanguinem libavit, eúmque per Spiritum æternum immolavit, immaculatum Deo, purificantem conſcientias noſtras, Hebr. IX. 14. ipſe ſimul Sacerdos, victima & altare. Neque tantùm ſic ſe obtulit, ſed etiam pro nobis, defuncturus fideliter ἱερουργίᾳ Sacerdotali omni, interceſſit, *introiens in ipſum Cœlum, ut nunc appareat faciei Dei pro nobis*, ib. v. 24. Sic ergo ſolus Chriſtus unico ſacrificio ſanguinis ſui peccatores conſummavit; peccata expiavit, delevítque, peccatores cum Deo reconciliavit; Cœlum aperuit, tandémque Eccleſiam ſuam ſibi uni ſolíque acquiſivit deſponſavítque.

Ab Hierarchia illud oppugnari & infringi ex Sacerdotii Chriſti & Papa antitheſi demonſtratur.

XXXII. Jam verò Chriſtum Pontificem noſtrum Cœleſtem cum Pontifice Romano terreſtri comparemus, ut liquidò appareat omnibus, Sacerdotale illius munus hoſtiliter ubique ab hoc oppugnatum, infractum: denique, quantum in eo fuit, diſſolutum, atque in Papam, ceu Babylonicæ Eccleſiæ Sacerdotem Summum, tranſlatum eſſe.

XXXIII.

Et enim I. Chriſtus Sacerdotium à Deo vocatus occupavit: Papa ſuum αὐθαίρετον. Non ergo Papæ Sacerdotium Chriſti Sacerdotium eſt.

XXXIII. *Primò* Chriſtus Sacerdotii ſui honorem non niſi ex æterno Patris decreto inivit. *Non* enim *ſeipſum glorificavit, ut eſſet Pontifex, ſed qui locutus eſt ad ipſum: Tu es Filius meus, hodie genui te*, eum glorificavit, Hebr. v. 5. Pontifex Romanus utriuſque ἱερατίας, tum Melchiſedecianæ tum Aharonicæ, qua Chriſti Sacerdotium adumbratum expreſſúmque fuerat, dignitatem αὐθαίρετως, & ſine Divinis ſuffragiis capeſſivit, atque inſuper, nulla vocatione Divina accedente alia, infinitas quotidie Sacerdotum cohortes inauguratur. Sacerdotium profectò Divinitus ordinatum & conſtitutum, & Sacerdotium voluntarium, Divinæ vocationis tabulis deſtitutum una conſiſtere nequeunt. Illud ſi genuinum, hoc adulterinum eſt. Hoc ſi genuinum, illud firmum ratúmque eſſe nequit.

II. Chriſtus Sacerdotio ſuo ceremonias veteres incluxit: Papa ſuo eas poſtliminio reſtituit, & graviori conſcientias jugo premit.

XXXIV. *Secundò* Chriſtus Leviticorum typorum & ceremoniarum umbras corpore ſuo, ipſáque veritate ſuſtulit & diſpulit. Papa quaſi inducta & abrogata illa χρηστότητι & liberalitate Chriſti, perindè ac ſi nondum adveniſſet tempus διορθώσεως, neque Sacerdotio ſuo Chriſtus umbras adhuc diſflaſſet, egena illa mundi elementa poſtliminio revocavit, eáque inſuper ethnicarum ſordium teterrimo quaſi quodam cinno cumulavit conſpurcavítque. Neque illud innumerarum in cultu publico ceremoniarum choragium ſic ille introduxit, ut liberè quiſque obire vel negligere poſſet, ſed ad rigidam earum obſervantiam conſcientias hominum legibus plus quàm Perſicis ſic devinxit, ut jugum ſuum jugo illo, quod Patres Apoſtolorum portare non potuerunt, gravius longè reddiderit; haud diſſimilis Rehabeamo, qui jugi paterni remiſſionem ſuppliciter implorantibus, ſic ferociter reſpondit: *Pater meus onus impoſuit vobis jugum grave. Ego autem addam jugo veſtro. Pater meus corripuit vos flagellis. Ego autem corripiam*

Digitized by Google

ripiam vos ſcorpionibus 1. Reg. XII. 14. Poſſet ſanè, cui luberet, vel per otium, vel animi quadam levitate & laxitate, corpus inclinare, ut ſtramen de humo tollat, vel lutum coenúmque extremitate baculi in quadrata vel oblonga diſpertiatur. Cui ſic ſordidè ludere vacat, libétque, nullum ſibi impoſitum onus quiritabitur. Si tamen ad penſum ejuſmodi ſeverè aliquis urgeatur, imò ſub anathemate, peccati mortalis noxa, urgeatur, næ is ſe condemnatum non tam ad vilem illam temporalem ſervitutem Ægyptiacam colligendi paleas, & conficiendi lateres, quàm ad ſervitutem ſpiritualem omnium turpiſſimam & pernicioſiſſimam, adeóque Ægyptiaca temporali graviorem longè, quiritabitur meritò; quando & conſcientia ſic onerabitur, & vel leviſſimæ rei transgreſſio peccati, imò & æternæ mortis reum faciet.

Sacerdotii illius adulterini pompa externa perſtringitur.

XXXV. Quis verò novi illius Sacerdotii ceremonias, quæ pridem multitudine, ſplendore, pompa ritus Divinitus inſtitutos obſcurârunt, & tantùm non obruerunt, ordine numeróque certo circumſcripſerit? Quis unctūras, tonſuras, Sacerdotalem ornatum, ejúſque myſteria Fictitia ſingula, ut reliquarum ceremoniarum infinitum chaos ſilentio heic præteream; brevi ſermone adæquaverit? Qua in re adulterinum iſthoc Sacerdotium magnam equidem religionem collocat, cùm tamen hiſtrionicis illis larvis vix aliud affectet, quàm ut Sacerdotes, rudi plebeculæ ſeſe ſpectabiles, venerabiles & ſacroſanctos reddant, eiſque neſcio quæ ſpiritualia beneficia, ceu Uncti Domini, & ſacrata Divinitus capita promittant; feliciori longè æmulatione Urim, Thummim, & unctionem Summi Sacerdotis expreſſuri, ſi illuminatione mentis, cordis integritate, & unctione illa, quæ manet, & omnia unctos docet, ſe Deo hominibúſque ſpectabiles redderent. Neque enim Spiritus Dei in conſecratis veſtibus, ſed in mundo corde,

Digitized by Google

corde, homine interno, Deo uni ſolíque per abnegationem ſui, veram in Chriſto fiduciam, amorem Dei & proximi, dedicato hoſpitatur. Sicut autem periculum eſt, ne rudiores & ſimpliciores hiſtrionia tali ad brutam quandam ſacrificuli admirationem tranſverſi abripiantur, ejúſque fraudibus undiquaque pateant: ſic naſutioribus, qui mente ſua ad altiora ſeducti, ſpectacula ejuſmodi & oculiferia deſpicere conſueverunt, offenſam graviſſimam & tantùm non Chriſtiani nominis nauſeam creent oportet.

Et cum præcepta adoratione Dei in ſpiritu & veritate comparatur.

XXXVI. Prædixit enim Chriſtus, *venire horam, & jam tum eſſe, cùm veri adoratores adorabunt Patrem in ſpiritu & veritate; Patrem enim tales quærere*, Joh. IV. 23. 24. Jam naſuti ſpectent mihi hominem Sacerdotalibus veſtibus conſecratis à capite ad calcem uſque larvatum; manus capútque ſacro oleo inunctum, in Eccleſia inuncta, cujus vel ipſum Cœmeterium aqua luſtrali ad pellendos dæmonas aſperſum, quin & Pyramidis campanæ baptizatæ & chriſmatizatæ ſint, ad truculentos aeris ſpiritus tinnitu ſuo propulſandos; conſiſtentem, ad altare unctum cum uncto calice & unctis utenſilibus approximantem; in ſacris ſuis ſtationibus nunc ad unum, nunc ad alterum altaris extremum, temulenti inſtar, præcipitantem; nunc faciem ad populum convertentem, eadem mox averſa tergum eidem oſtentantem; manus ſubitò attollentem, demittentémque iterum; mox pectori decuſſatim admoventem; nunc crucem manu ſua ſingularem, nunc duas treſve deſcribentem; interdum ſedentem, interdum ſtantem, mox corpus inclinantem, & ſanctum altare deoſculantem; nunc elata voce proloquentem, nunc ſubmiſſa muſſitantem; denique tali lingua à principio ad finem uſque ſuæ ἱερουργίας, quæ nec à populo intelligi, nec à doctioribus, niſi aliunde de dramate hoc conſtet, percipi diſtinctè poſſit, ſacra facientem. Spectaculum iſthoc mirificum,

ſi quod aliud, cum verbis Chriſti citatis de Patre in Spiritu & veritate adorando naſuti illi contendant. Annon animum illorum certiſſima cogitatio ſubibit, vel hos falſos Sacerdotes, falſos adoratores eſſe; vel prædictionem Chriſti jam pridem ſimplici illo Eccleſiæ primitivæ ævo completam, vel penitus falſam eſſe; vel potiùs, ſi ullos veros Patris adoratores uſquam invenire velint, alibi quærendos eſſe; hic verò nec ſpiritum, nec veritatem, nec linguam intelligibilem; quin potiùs omnia tenebricoſa, cæca, muta, magis quàm in media umbrarum Moſaicarum nocte, comparere? Denique in ea ſententia mentem ſuam obfirmabunt, non aliud perſonatos hos Sacerdotes, ipſimet Chriſto vero Sacerdoti illudentes, hiſtrionio & ſcenico ejuſmodi apparatu intendere, quàm quòd cœteri hiſtriones ſolent, quibus hoc unum curæ cordíque eſt, ut populum pecuniis emungant, & ipſi ſe nitidiores unctioréſque reddant.

III. Chriſtus ſemel in ara crucis ſe ipſum obtulit.

XXXVII. *Tertiò* Chriſtus, æternus Sacerdos, ſemel in ara crucis ſe ipſum obtulit, *& unica oblatione in perpetuum conſummavit eos, qui ſanctificantur* Hebr. x. 14. Neque enim, *ut ſæpe offerat ſeipſum, ſicut Pontifex ingreditur in Sacrarium quotannis cum ſanguine alieno; ſed nunc ſemel in conſummatione Seculorum ad abolendum peccatum per immolationem ſui ipſius patefactus eſt*, ib. cap. IX. 25. 26. Ea igitur oblationis Chriſti excellentia fuit, ea ad reconciliandum Deo mundum vis, ut ceu perfecta & numeris omnibus conſummata, nulla omnino repetitione indigeat, ſed ad omnia valens & efficax, ſola pleniſſimè nos in paternæ gratiæ ſinum reſtituat.

Hierarchia eum crebèrrimè ſacrificat.

XXXVIII. Quid hæc Hierarchia, quid recentior ille Pontifex? Sacrificium Chriſti, niſi à ſe & ſacrificulis ſuis quotidie innumeris in locis, oblatione exanimis

&

& furfuracei in Miſſa Numinis cujuſdam, interpolatum continuatumque, ad ſalutem noſtram proficere quicquam pernegat; ferro flammâque in eos, qui novo hoc ſacrificio Babylonico Numini litare detrectant, ſævit; atque ſic incruentum illud ſuum, quòd vocat, ſacrificium infinitorum Martyrum ſanguine pridem longè cruentiſſimum effecit.

Et propitiatorio Chriſti unico Miſſaticum opponit.

XXXIX. Sacrificium illud novum Chriſti Apoſtolis, veteribus tam incognitum fuit, quàm quod maximè. Ubi enim illi Euchariſtiam eſſe ſacrificium propitiatorium pro peccatis vivorum & mortuorum offerendum, pronuntiant? Sacrificium, fateor, veteres quandoque appellant; ſed, ut vox ſonat, Euchariſticum, non propitiatorium? in commemorationem unici Chriſti ſacrificii, in cruce ſemel peracti, inſtitutum 1 Cor. XI. 24. Eſt enim in Euchariſtia, uti Chryſoſtomus *homil.* 17. *in Hebr.* loquitur ἀνάμνησις τῆς θυσίας, hoc eſt, interprete Auguſtino, *memoria Dominicæ paſſionis*, in Eccleſia celebrata. Ita Patres omnes ſentiunt. Nec abnuit Lombardus *lib.* IV. *diſt.* 12. ubi ad quæſtionem: *An quod facit Sacerdos, propriè dicatur Sacrificium vel immolatio? An Chriſtus quotidie immoletur, vel an ſemel tantùm immolatus ſit?* Ex Patribus reſpondet, illud quod offertur & conſecratur à Sacerdote, vocari ſacrificium & oblationem, *quia memoria eſt, & repræſentatio veri Sacrificii, & ſanctæ immolationis factæ in ara crucis. Et ſemel Chriſtus mortuus eſt in cruce, ibique immolatus in ſemetipſo: quotidie autem immolatur in Sacramento, quia in Sacramento fit recordatio illius, quod factum eſt ſemel.* Hactenus ille. Atque ita ſacrificium Euchariſticum incruentum, unico ſacrificio Chriſti propitiatorio cruento aptè ſubordinatur. Sed Hierarchia Romana propitiatorio unico miſſaticum opponit, æquè propitiatorium, ut theatrico

 luſu

luſu decepti homines, crucis Chriſti meritum ſúſque déque habeant.

Atque ſic illud funditus deſtruit.

X L. Quid enim? Idémne Sacerdos offert, quod Chriſtus obtulit, an aliud? Si aliud, non ergo ſacrificium propitiatorium offert. Solus enim Chriſtus eſt *ἱλασμὸς propitiatio* pro peccatis mundi. Sin idem, non erit *ἀναίμακτον incruentum*. Cruentum enim erat Chriſti ſacrificium. Tum naturale Chriſti eſſe denuo deſtruetur; & finiti erit valoris ſanguis Mediatoris. Imò Chriſtus non in menſa, ſed in cruce ſacrificavit. Etenim ſi perfectum in Cœna ſacrificium obtulit, plenéque propitiatorium, quid opus erat illi poſtmodum mori? Quorſum illi in cruce effuſus eſt cruor, qui tranſſubſtantiato illo necdum emiſſo ſanguine mundum priùs redemiſſet? Quòd ſi incruentum eſt Sacrificium ſacrificuli, propitiatorium non eſt, quia ſine effuſione ſanguinis propitiatio, remiſſio nulla eſt, Hebr. IX. 22. Aut quæ demum oppoſitio eſt inter Melchiſedeci ordinem & Aaronis, Chriſtum & veteris legis Sacerdotes, ſi munus iſtud per longam Mortalium ſucceſſorum ſeriem tranſeat æquè ac deſcendat? Quorſum iterata ſunt toties ſacrificia vetera legalia, niſi quia parùm perfecta extiterunt? Quod perfectiſſimum eſt, iteratione nulla planè indiget. Denique nihil planiùs & ἀποτομώτερον dici vel cogitari poterat verbis Apoſtoli: Ἅπαξ προσενεχθεὶς, μία θυσία, μία προσφορὰ, *ſemel oblatus, una victima, una oblatio*, Hebr. IX. 28. X. 12. Et tamen adhuc Sacrificuli Pontificii, homines ſacerrimi, Chriſtum quotidie crucifigunt, immolant; dúmque Filium Dei Patri ſuo offerunt, rogant ſupplices, religioſa planè blaſphemia, *ut hoſtiam illam benedicere, & acceptam habere velit.* Verbo alterutrum, vel Chriſti, vel Miſſatici Sacerdotis ſacrificium ad propitiationem peccatoris pretii, valoris nullius eſt. Si Miſſaticum

Sa-

Sacerdotium valet, Chriſti Sacerdotium inane prorſus, fruſtra ille pro nobis mortuus eſt.

Contumelia Chriſto in Miſſa illata.

XLI. Perpendant quæſo piæ mentes, rerum non iniqui arbitri omnes, quàm fœdis & pluſquam barbaris contumeliis Miſſa Chriſti ſacrificium exponat, & glorioſum Chriſti Pontificis, ad dexteram Majeſtatis illius excelſiſſimæ ſtatum nefariè traducat. Quinque voculæ, *Hoc enim eſt corpus meum*, quacunque religione Sacrifex voluerit, demurmuratæ Chriſtum ad dextram throni Majeſtatis in excelſis ſedentem, denuo à Cœleſti ſede ſevocatum prolabi cogunt in manus Sacrificuli peccatoris. Prolapſus eò indignioribus modis excipitur, quàm olim Jeremias, in coenoſum barathrum demiſſus. Abhorret enim imaginatio eò perſequi, quo illi Chriſtum, Regem gloriæ, viventem utique & ſpirantem, ablegant. Cui horridæ ſpurcæque ſervituti non ſemel atque iterum, nec in uno quopiam coenoſo barathro, ſed eodem tempore in multis millibus, ſingulis forte diebus, per decurſum plurium jam Seculorum mancipatur. Nitent ſplendéntque Templa, incenſum & ſuffimenta adolentur, luculenta cuncta præparantur, ad excipiendum in iis Chriſtum. Simul verò atque advenit, magnifico illo apparatu una cum reliquis frui neutiquam permittitur; quin potiùs inaudita contumelia & pluſquam infernali ludibrio ilico in carcerem tenebricoſum & ſqualidum magis, quàm fuit ille Jeremiæ, compingitur; vel certè, ubi cum eo paulò benigniùs agitur, pixidi, tanquam ampliatus reus includitur, mox occaſione invitante, in foetulenta hominum moribundorum, imò quandoque etiam murium, vermium, porcorum, canum ora & corpora influxurus. Fruſtra ſic Chriſtus in cruce exclamavit, *Conſummatum* eſt, cui non famoſus ille deci-

mus tertius Herculis, ſed infiniti & ſordidiſſimi labores cum præſentiſſima morte infinitis vicibus ſubeunda, exantlandi reſtabant.

XLII. Turpia hæc & indigniſſima adverſus ſanctiſſimum illud Deitatis tabernaculum molimina ſunt. Molimina, inquam. Nam ut Chriſto Domino gloriæ, & Omnipotenti gloriæ ſuæ vindici contumeliæ hæ revera contingant, nulla equidem humana poteſtate effici poteſt. Cùm tamen ſe profiteantur hæc facere, rei contumeliarum illarum ſunt, & animum ſuum produnt; perinde atque illi, qui capite damnatum, è judicis manu elapſum licet, in effigie ſuſpendere ſolent, apertè declarant mentem ſuam non minùs, quàm ſi reo pœnam irrogaſſent. Accedit, quòd adverſus eos, qui molimina hæc averſantur, vel reprehendunt etiam, hoſtilia quæque tentant, eóſque, cùm ſuæ ipſis vires ſatis placent, noviſſimis diriſſimíſque ſuppliciis afficiunt; palam ſic planè efficientes, quomodo erga Chriſtum ipſum affecti ſint, ſi exardeſcenti libidini ſuæ ſatis quandoque facere poſſent.

Adductis etiam Franciſci, Alex. de Ales, Thomæ;

XLIII. Sed quàm indignè glorioſum Chriſti corpus tractetur, eorum etiam, qui Eccleſiæ Romanæ patroni & doctores præcipui habentur, teſtimoniis confirmemus. Divus ergo ille Franciſcus *Conformit. lib.* 1. *par.* 2. *pag.* 177. ſic loquitur: *Ut quid non cognoſcitis veritatem, & creditis in Filium Dei, qui quotidie ſe humiliat, & ſicut quando è Regalibus ſedibus venit in uterum Virginis, quotidie venit ad nos ipſe humilis apparens, quotidie deſcendit de ſinu Patris ſuper altare in manu Sacerdotis?* Quam humiliationem ſic Alexander de Ales *Parte* IV. *quæſt.* 53. *membro* 2. exaggerat: *Opinio quæ dicit, quòd corpus Chriſti, quocunque ſpecies deferantur, ut in ventrem canis vel ſuis vel in alia loca immunda, videtur vera. Salvo enim eſſe ſpecierum non deſinit*

ſinit eſſe Sacramentum, nec Chriſtus ſub ſpecie. Et Thomas *Parte* III. *quæſt.* 8. *art.* 3. ſuffragatur his verbis: *Quidam dixerunt, quòd quamprimùm Sacramentum ſumitur à mure, vel à cane, deſinit ibi eſſe corpus Chriſti. Sed hoc derogat veritati hujus Sacramenti. Dicendum ergo, quòd ſi mus aut canis hoſtiam conſecratam manducet, ſubſtantia còrporis Chriſti non deſinat eſſe ſub ſpeciebus, quandiu ſpecies illæ manent. Sicut etiam ſi projiceretur in lutum.*

Et Gabrielis Biel teſtimoniis confirmata.

XLIV. Ita Gabriel Biel *Lect.* IV. *in Can. Miſſæ*, Sacerdotum Papiſticorum laudes ingenti cum Chriſti contumelia, extulit. *Cœli Regina*, inquit, *& mundi domina, prolatis octo verbulis: Ecce ancilla Domini, mihi fiat ſecundum verbum tuum; ſemel concepit Dei Filium, & mundi Redemptorem. Iſti autem à Domino conſecrati quinque verbis contextam conſecrationis formam cum debita intentione proferentes, eundem Dei Virginiſque filium advocant quotidie corporaliter, in ſacrificium & criminum purgationem.* Et paulò poſt: *Quis unquam vidit talia? Quis huic vidit ſimilia? Qui creavit me (ſi fas eſt dicere) dedit mihi creare ſe; & qui creavit me ſine me, creatur mediante me.* Eadem lectione Biel probat creationem iſtam *non fieri naturali poteſtate, vel meritoria operatione, ſed aſſiſtente virtute: Secundum quem modum (NB) malefici & incantatrices quoſdam effectus producere dicuntur, ut extrahere lac vaccarum de ſedibus, ſeu manubriis ſecurium: quod fit non virtute naturali maleficorum, neque ex eorum merito, ſed virtute occulta ſive bona, ſive mala aſſiſtente.* Pari furore Ludovicus Coelius Rhodiginus *Antiq. Lect. lib.* XVI. 14. ſcribit: *Quæſtio diu agitata veteribus eſt, inſitne vis aliqua verbis certa quadam enuntiatis formula? Equidem Chriſtianæ veritatis cultor qui poſſit inficiari? Quando Princeps ille rerum ac Summi Patris filius,*

Digitized by Google

filius, ex vero verus Deus; præfatione Sacerdotis breviſſima ſevocetur eliciaturve à Cæleſti ſede. Cui ſimile quiddam & priſcorum vana ſuperſtitio aut habuit, aut credidit: quando & Tullum Hoſtilium Piſonis tradidere monumenta, ex Numæ libris eodem operatum ſacro, Jovem elicere Coelo, quem & inde Elicium vocabant, quod in Faſtis cecinit Poeta nobilis, conatum, &c.

Unde de fructibus idolomaniæ Miſſaticæ proclive judicium eſt.

XLV. Hi ſunt fructus idolomaniæ Miſſaticæ in Chriſtum Sacerdotem, ejuſque ſacrificium contumelioſiſſimi. Quinque voculæ, H E. E. C. M. Chriſtum ad dexteram Dei ſedentem, denuo à Coeleſti ſede ſevocatum humiliant, ut in magno periculo verſetur, ne à canibus, ſuibus, muribus aut vermibus comedatur, vel in lutum etiam projiciatur. Humiliatum certè corpus legavit Dominus: non autem è Coelo, magicis demurmuratis voculis devocandum, ſed quale nobis in ipſa cruce vera fide amplectendum propoſitum fuit. In uſu enim Cœnæ Dominicæ fideles mortem Domini annuntiant, 1. Cor XI. 26.

IV. Chriſtus morte ſua juſtitiam, ſalutem ſolus impetravit.

XLVI *Quartò* Chriſtus, Cœleſtis Sacerdos noſter, ſemet ipſum obtulit, ut nobis peccatoribus, quorum locum ſubivit, & peccata in ſe ſuſcepit, juſtitiam Seculorum, remiſſionem peccatorum, redemptionem & gloriam æternam acquireret ſolus *Purgationem* enim *peccatorum noſtrorum* δι' ἑαυτοῦ *per ſemet ipſum*, non per alium quenquam *fecit* Hebr. I. 3. *Sanguis* ejus *purgat nos ab omnibus peccatis*, 1. Joh. 1 7. *Juſtificamur gratis, ejus gratia, per redemptionem in Jeſu Chriſto; quem præſtituit Deus propitiatorium per fidem in ſanguine ejus, ad demonſtrationem juſtitiæ propter remiſſionem præcedentium peccatorum*, &c. Rom. IV. 24. 25. Hæc crucis & Sacerdotii à Chriſto fideliſſimè obiti ſalutaris maximè planta, hæc arbor vitæ eſt, quam quiſquis ex Paradiſo Dei, quæ Eccleſia eſt, extirpare conatur, ipſum Chri-

ſtum

ſtum Sacerdotem, ejúſque meritum pretioſiſſimum inde, quantum in ipſo eſt, exturbat.

Hierarchia Juſtitia Chriſti perfectiſſima juſtitiam propriam, ſeu inhærentis juſtitia infuſum habitum.

XLVII. Hic verò, ſi uſpiam, Hierarchia Sacroſanctum Chriſti Sacerdotium periculoſiſſimè oppugnat, cruci, ſanguini, & juſtitiæ Chriſti miſcens venenum doctrinæ perniciosiſſimæ de juſtificatione hominis per habitum infuſum juſtitiæ propriæ, de ſatisfactionibus propriis, nec non alienis per Papales indulgentias applicatis; de merito operum. Quod quidem præſentiſſimum venenum eſt, quod intimam Chriſtianæ religionis medullam dulcedinémque non leviter arrodit, ſed penitus excedit, ipſúmque Chriſti Sacerdotium non obiter offuſcat, ſed funditus peſſumdat.

XLVIII. De Juſtificatione peccatoris quæ ſententia ſit Hierarchiæ, ſupra ex Tridentinis Patribus exſculpſimus. Pro inhærente juſtitia, ceu formali juſtificationis cauſa, tanquam pro aris, maximè autem pro focis, pugnant. Quo verò loco juſtitiam, meritum Chriſti & juſtificationem per fidem, ſine operibus, habeant, teſtatur Index Expurgatorius Madriticus, qui clariſſima quædam de ſola fidei juſtificatione teſtimonia ex Indicibus & textu Chryſoſtomi, Hieronymi, Cyrilli, obeliſco ſuo dedita opera confixit. A manibus liber eſt. Ecce Inquiſitores ſibi conſcios erroris & fraudis! Quibus occinam ego meritò, quod Arianis quondam Ambroſius *de Spir. S. lib.* III. II. occinuit: *Literas quidem abolere potuiſtis, ſed fidem non potuiſtis auferre. Plus vos illa litura prodebat, plus vos illa litura damnabat.* Sed de juſtificatione per ſolam juſtitiæ Chriſti ἀχώμα alibi adverſus Tridentinos, eorúmque hyperaſpiſten dicta uberiùs, huc ſevocare non libet.

Satisfactioni ejus abſolutiſſimæ ſatis-

XLIX. Satisfactioni Chriſti omnibus numeris abſolutiſſimæ Satisfactionum humanarum tum propriarum, tum alienarum molem infinitam Hierarchia non

factiones humanas tum proprias.

tam ſubordinat, quam opponit. Non diſplicuit equidem *ſatisfactionis* vocabulum Patribus; nec illorum ſenſus nobis diſplicet. Non de nomine, ſed de re lis eſt. Dolemus nihilominus, incautas vocum καταχρήσεις, magno Eccleſiæ malo, rerum confuſionem induxiſſe. Alias enim, uti ſcitè Tertullianus *de Præſcript.* loquitur: *Fides nominum ſalus proprietatum eſt.* Patimur tamen pœnas eccleſiaſticas ſeu canonicas, in Eccleſiæ, non Dei foro olim exactas, *ſatisfactionum* nomine venire. Sed hæ pridem in Eccleſia Pontificia exoleverunt; atque iis, poſt abſolutiſſimam Chriſti paſſionem, ſuccēturiatæ ſunt ſatisfactiones, ſeu, uti vocant, pœnæ temporales, poſt remiſſa peccata, & peccatorum pœnas æternas, hominibus vel à Deo, uti ſciſcunt illi, vel à Sacerdote, vel à ſemet ipſis impoſitæ, atque ab iis vel hic, vel in Purgatorio ſicluendæ, ut juſtitiæ Divinæ in ſolidum ſatisfiat. Utramque hic paginam faciunt ἀφειδία τοῦ σώματος, ſeu crudeles & barbaræ vexationes corporis, peregrinationes nudipedales ad reliquias Sanctorum, recitatio preculárum ſuperſtitioſè toties, in lingua etiam peregrina, repetita, alienarum flagellationum ſubſtitutio, jejunia piſcaria, mulctæ etiam pecuniariæ, eleemoſynæ cleri ingluviem ſaturantes, aliæque ejuſmodi, quæ *operum laborioſorum* nomine, veniunt. Annon hoc eſt univerſæ Oeconomiæ Chriſtianæ dulcedinem in Stygiam quandam acerbitatem; lætum illum & illuſtrem Evangelii diem in nebuloſam noctem Ægyptiacam, in qua nil niſi horridum, triſte & ſervile dominetur; pacem animi in perturbationem ejuſdem commutare, denique ſanguinem Filii Dei utpote ad expianda ſupplicia temporalia, quorum metus & depulſio, quàm infernalium, longè præſentior & gratior homini carnali eſſe ſolet, ineptum nihilque pollentem, taurorum & hircorum ſanguine viliorem reddere? Profectò uti pulchrè Hieronymus

Digitized by Google

mus *adv. Cteſiph.* loquitur, *neceſſe non eſt convinci, quod ſua ſtatim profeſſione blaſphemum eſt.*

L. Auget horrorem dogmatis poenarum temporalium latitudo. Non ſatis enim erat hanc vitam earum metu diſtringere, niſi Poeticarum Furiarum inſtar cum flagellis facibúſque ſuis excruciandos miſeros in altero etiam Seculo, Purgatorio puta, quod temporaria quædam Gehenna fingitur, inſequerentur. Quaſi ſcilicet macula quælibet & erratum fragilis hujus vitæ ne per æterni quidem Filii Dei ſanguinem expiari poſſet, ſed quiſque proprium ſuum debitum ad ultimum uſque quadrantem ſolvere teneretur. An ſic Chriſtus is agnoſcetur, de quo Eſaias vaticinatus eſt cap. LIII. 4. 5. *Sanè morbos ac dolores noſtros ipſe tulit, & dolores noſtros portavit. Caſtigatio pacis noſtræ ſuper eum, & vibicibus ejus ſanati ſumus.* Non vibicibus Chriſti, ſi Hierarchiæ fides eſt, ſed propriis quiſque vibicibus ſanabitur. Exuetur peccator miſer, cœdetur, cutim cilicio inductur, longa & faſtidioſa itinera ſuſcipiet, nudis genubus per extantes ſilices conabitur, jejunabit, vigilabit non ad corrigendam vitam, ſed ad ſatisfaciendum pro peccatis, perinde ac ſi nunquam pro iis Filius Dei ſatisfeciſſet; demum poſt vitam flamma eum ſacerrima amburet, non extinguenda uſque ad ſolutionem rigidam quadrantis noviſſimi. Mihi verò opportunè hic illud Lutheri ſcomma *μαιτωτικὸν* è Propheta excerptum occurrit: *Domine, non poſſum veſci ſtercore humano.*

Etiam poſt hanc vitam in purgatorio traſtandas.

LI. Neque tantùm ſatisfactioni Chriſti ſatisfactiones proprias, ſed alienas etiam, ſuperogatorias inprimis Monachorum, indulgentiarum Papalium beneficio, auxiliares manus porrigentibus ſcilicet, impertiendas addunt, ut dum his umbris & quiſquiliis ſtulti Mortales inhiant, canis Æſopici inſtar, nucleum ſatisfactionis Chriſti perdant. Olim quidem piè ſic Leo Pa-

Tum alienas, indulgentiarum beneficio auxiliares manus porrigentibus impertiendas,

pa *Epiſt.*83. locutus eſt: *Accepere juſti, non dedere coronas, & de fortitudine fidelium nata ſunt exempla patientiæ, non dona juſtitiæ. Singulares quippe eorum mortes fuerunt: nec alterius quiſpiam debitum ſuo fine perſolvit, cùm inter filios hominum unus ſolus Dominus noſter Jeſus Chriſtus extiterit, in quo omnes crucifixi, omnes mortui, omnes ſepulti, omnes etiam ſunt ſuſcitati.* Si Leonis tempore Eccleſiæ ſatisfactiones verè Sanctorum reſpuit, quid de monachis modernis illa ſtatuiſſet? An promeritis hypocritarum flagellis aliena debita ſolvi illa credidiſſet? Quorſum adhibendæ alienorum meritorum guttulæ vel umbræ, exundante & in uſum noſtrum immenſo promeritorũ Chriſti Oceano perenniter fluente?

Quarum abſurditas nimia oſtenditur.

LII. Quis amabo niſi inebriatus nimiùm meretricis illius philtris, ferat, ut cùm imputatio perfectiſſimæ & indubitatæ Chriſti juſtitiæ, ad juſtitiam peccatoris, nobis à Deo facta, paſſim inter illos deridiculo ſit, quin anathemate etiam feriatur; juſtitia tamen incerta & menſtruata, merita & paſſiones Sanctorum hominum, è communi quodam theſauro ad levandas animarum pœnas ab homine imputentur? Quis ferat, ut Mortalium aliquis ſatis ſupérque faciat Deo? Quis ferat prodigas indulgentiarum conceſſiones & nundinationes turpiſſimas? Quis ferat precularum quarundam ſupinæ obmurmurationi (neque enim, ſi Caſuiſtis credimus, opus eſt vel intentione animi, vel devotione) conceſſam à Johanne XXII. annorum decies centenorum millium indulgentiam? Conceſſam tamen *Hor. B. Virg. Rom. rythmic.* teſtatur. Quis ferat, cùm non ultra mundi finem ſævituram hanc flammam autument, uno tamen libello paulò minus, quàm annorum undecies mille millenorum indulgentiam credulis devotíſque animis offerri? Oblatam tamen *Hora B. Virg. ad uſum Sariſb.* teſtatur. Quinimò

Digitized by Google

imò inventus in Anglia eſt, uti Joſ. Hallus alibi narrat, liber manuſcriptus, membranaceus carie tineiſque eróſus, in quo præter alias abſurdiſſimas & blaſphemas pollicitationes uni perbrevi oratiunculæ facultas datur pœnas infernales in purgatorias; poſtmodum verò purgatorias in ſumma Cœli gaudia commutandi.

Merito Chriſti conſummatiſſimo merita juſtitia propria opponunt.

LIII. Reſtant humanorum operum merita; quibus quantum humanum ſupercilium arrogat, tantum merito Chriſti per ſummam ingratitudinem impietatémque derogat. Et bona quidem hominis juſtificati opera mereri *ſecundum operis debitum* Andradius *Concil. Trid. orthod. explicat. lib.* 6. *habere valorem condignum præmio Cæleſti*, Theologus ille Anglo-Duacenſis *de trip. hom. offic. lib.* 2. nec non *convenientem proportionem æqualitatis & dignitatis cum præmio ipſo vitæ æternæ*, Pererius *Comm. in Rom.* 6. ídque in ſe ipſo *abſque ulla meritorum mortiſve Chriſti ratione*, Suarez *Tom.* 1. *in Thom.* 3. *d.* 11. & Bayus *de merit. oper. lib.* 11. 9. contendunt. Quod poſtremum blaſphemiæ proximum mirum ni ipſis ſanioribus Papiſtis videatur. Attamen quo loco Hierarchici noſtri juſtitiam ac meritum Chriſti habeant, idem qui ſupra Index Hiſpanus Madriticus teſtatur. Ex libro enim, qui inſcribitur *Ordo baptizandi cum modo viſitandi*, Venetiis A. 1575. impreſſo, hæc verba: *Credis non propriis meritis, ſed paſſionis Domini noſtri Jeſu Chriſti virtute ac merito ad gloriam pervenire?* Et paulò poſt: *Credis, quòd Dominus noſter Jeſus Chriſtus pro noſtra ſalute mortuus ſit, & quòd ex propriis meritis, vel alio modo nullus poſſit ſalvari, niſi in merito paſſionis ipſius?* Verba, inquam, Chriſti & Apoſtolorum doctrinæ conſentanea, fundamentum ſalutis continentia, deleri jubentur. Nimirum hi erant ſcorpiones & colubri veterum, quos inter incedendum fuiſſet lectori, niſi probè ſic ſecuritati noſtræ Senatus Inquiſitorius conſuluiſſet.

Fucus Hierarchiæ meretricius, quòd juſtitia, crux, ſatisfactio, meritum Chriſti juſtitiæ, ſatisfactioni, meritis humanis ſubordinentur, atque illa per hæc applicentur, abſtergitur.

LIV. Sed ſalvum & illibatum Chriſto Sacerdoti Summo, ejus juſtitiæ, cruci, merito honorem ſe ſervare Hierarchici gloriantur eo prætextu, quòd ſacrificium Miſſaticum, juſtitia inhærens, ſatisfactiones propriæ, indulgentiæ, merita humanorum operum, in quibus ferè Evangelium Papiſticum conſiſtit, Sacrificio, juſtitiæ, ſatisfactioni, indulgentiæ, merito Chriſti perfectiſſimo vel ſubordinentur, vel virtutem certè efficaciámque ſuam omnem acceptam referant; vel quòd per illa hæc applicentur. Quis verò meretricium hunc Babylonis fucum non abſterſerit facilè? Sic enim hæc omnia ſacrificio & merito Chriſti ſubordinantur, & in eo fundantur ut cerea domus ardentibus prunis ſuperædificatur, vel domus ex ſale in medio flumine conſtruitur. Nulla cauſarum ſubordinatio locum habere poteſt, ubi ſic uni cuipiam ſolíque cauſæ omnis efficacia adſcribitur, ut reliquæ omnes excludantur. Ita hic res ſe habet. Sanguini, ſacrificio, juſtitiæ, ſatisfactioni, merito Chriſti ſoli ſalus & redemptio noſtra ſic in Dei verbo adſcribitur, ut non niſi *ſanguini*, & *uni victimæ*, *uni oblationi* remiſſio peccatorum accepta referatur, Eſaj. LXIII. 3. Hebr. IX. 22. 28. X. 12. opera & juſtitia propria paſſim removeantur, Rom. III. 24. 25. 28. X. 3. ſatisfactio ſolius Chriſti cauſa remiſſionis peccatorum conſtituatur, Matth. XX. 28. Epheſ. I. 7. Tit. III. 5. 7. 1. Pet. 1. 18. 1. Joh. II. 2. IV. 10. & humana ſatisfactio, ceu impotens planè arceatur omnis, Pſal. XLIX. 8. 9. denique merita humana configantur omnia Rom. IV. 4. 5. XI. 6. Epheſ. II. 8. 9. Tit III. 4. 5. Fruſtra ergo cauſarum ejuſmodi ſubordinatio fingitur; fruſtra inter applicationis media deputantur, quæ gladius verbi Divini percutit. Peccata noſtra, non juſtitiam, merita noſtra, Chriſti ſanguis tinxit. Meruitne Chriſtus, ut perfecta ſint, quæ nos facimus? Quomo-

do

Digitized by Google

do ergo ſic claudicant vel optimorum opera? Meruitne, ut dum imperfecta ſunt, adhuc tamen juſtificent, mereantur? Quæ hæc Deo injuria, quæ terminorum contradictio eſt? Tot nunc erunt Salvatores, quot boni ſunt. Quæ enim facio, mea ſunt, mea ſunt, quæ mereor, quiſquis faciendi vel merendi facultatem dederit.

v. Hierarchia Mediatori & Paracleto unico Chriſto innumeros Mediatores opponit.

LV. *Quintò* denique Sacerdotalis officii Chriſti partem alteram, quæ μεσιτεία *interceſſione* & mediatione ejus apud Patrem conſtat, pari impietate Hierarchici oppugnant. Sicut Chriſtum non niſi ſemel oblatum Scriptura, uti vidimus, teſtatur: ſic ἕνα μεσίτην *unum Mediatorem* Dei & hominum: neque alium, quàm qui ſe redemptionis pretium pro omnibus dedit, hominem Chriſtum Jeſum eadem 1 Tim. II. 5. 6. definit. Is ergo ſimul ſolus ſe victimam ἄμεμπτον in ara crucis pro nobis ſemel immolavit: ſimul ſolus precum noſtrarum thymiama, ὀσμὴν εὐωδίας, *odorem bonæ fragrantiæ* in ara Cœli Patri ſuo jugiter offert, Rom. VIII. 34. Hebr. VII. 25. IX. 24. 1 Joh. II. 2.

Impietatis illius progredientis gradus notantur.

LVI. Sicut ergo conſtitutis in cultu ſuo infinitis ſacrificiis: ſic introductis etiam innumeris Mediatoribus Chriſtum Sacerdotem & Mediatorem unicum Hierarchici exauctorârunt. Non enim magis in hoc mundo crevit interceſſorum numerus, quàm impietas invocandi. Modeſtiùs paulò prioris Scholæ acumen ita mediationis quandam diſtinctionem ſibi finxit, ut alteram ejus ſpeciem Chriſto eximiam; alteram Chriſto & Sanctis communem fecerit. At ſuccedanei in omnia Mediatoris officia temere involârunt, & quicquid cuiquam ſequeſtri quovis jure competere potuit, totum illud Sanctis ſuis tribuerunt. Alius B. Virgini inclamat, *O ſervatrix ſalva me!* Alius: *Impetra veniam, applica gratiam, præpara gloriam.* Alii, Caſſandro teſte, viri celebres dixerunt: *Deum Regni ſui, quod conſtat ex juſti-*

juſtitia & miſericordia dimidium, *hoc eſt*, *miſericordiam, in B. Mariam tranſtuliſſe.* Alii ſic Franciſcum cum Chriſto compârarunt, ut uter horum Jeſus typicus fuerit, dubium reliquerint. En Turſellini apud Poſſevinum *Biblioth. ſel. p.* 295. ἐνθυπασμὸν;

Qui Franciſcus erat, jam tibi Chriſtus erit.
Jam Franciſcus erit, qui modò Chriſtus erat.

Idem Dominico præſtitit pari blaſphemia Archiepiſcopus Florentinus. Alii Litanias, Pſalteria, & quicquid ad Dei gloriam Spiritus Dei accommodavit, ad S. Virginis nomen ore ſacrilego traduxerunt. Neque hæc privatorum quorundam δεισιδαιμονία eſt. Nam etiam in Eccleſiis publicè ejuſmodi carmen decantatum Caſſander teſtatur: *O felix puerpera, Noſtra pians ſcelera, Jure matris impera Redemptori.* Hæc ſimiliáque à piiſſimis Eccleſiæ Romanæ cenſoribus, rigidis morum Magiſtris, ipſorúmque Pontificum ſuffragiis comprobata, hodiéque Jeſuitæ, curvæ mentes, Bencius, Bonarſcius, alii dicunt, ſcribunt, tuentur. Neque Bernhardini de Buſtis, Antonini, Bartolomæi, Piſani, Turſellini, alii Mario-latræ, & Hagiolatræ, tot dictis factiſque in Chriſtum unicum Salvatorem & Mediatorem iniquiſſimi & blaſphemi, digni (quod olim de Vigilantio Hieronymus minori longè ratione dixit) *quorum præcideretur lingua, & per partes ac fruſta dilaceraretur*, criticum Inquiſitorum vel expurgatorum veru hactenus ſubiverunt ulli.

LVII. Sed forte ſobriè magis recentiores, Caſſander inprimis, Polydorus Vergilius, Methodiſtæ nuperi, doloſæ generalitatis architecti ſapiunt. Sed quocunque illi fuco publicum Eccleſiæ ſuæ dedecus tegere conentur, neque tamen apertè blaſphemias à nobis memoratas damnare audent; neque ſic ſimpliciorum animas iis extricant, ut in magno ſalutis diſcrimine

non

non verſentur ampliùs. Quotus quiſque eorum prohibet Sanctos ceu Mediatores invocari? Quotusquisque Mediatores eſſe vi meritorum inficiatur? Qua verò fide preculæ ad beatos ſpiritus nitentur; niſi forte, quod Hoſius concedit, credere etiam in ſanctos debeamus? Qui fontem orationum, corda luſtrare, qui ſimul ſemélque mille ſupplicum vota, locis totidem à ſe diſſitorum, exaudire valet, omniſcius omnino & omnipræſens ſit oportet. Neque enim naturæ celeritas, ſed vera ubiquitas, Bellarmino etiam *de Beatitud. S. lib.* 1. 20. fatente, ad preces percipiendas omnium ubique precantium requiritur.

Fraus & periculum ingens ex multiplicatis Mediatoribus gliſcens detegitur.

LVIII. Nefas illud Sacerdotalis Chriſti μεσιτείας pollutæ auget non obſcura. quam hic Hierarchia frauſa eſt, fraus, & manifeſtum periculum hominum. *Fraus* in eo conſiſtit, quòd multiplicatis Mediatoribus oblationes cleri non parùm accreſcunt; quando amplis pellecti largitionibus clientum ſuorum in Coeleſti curia cauſam fervidiùs acturi creduntur. Neque enim Babylonicus hic Sacerdos religioni ducit minori, vendere pecuniis officium Chriſti Mediatorium, quàm ipſius pretioſæ mortis ac paſſionis Chriſti efficaciam trapezitico fœnori ſuo exponere. *Periculum* verò ingens gliſcit, dum rudis plebecula nænia hac ſoporifera ſic delinita obdormit, ut Patroni Cœleſtis arbitrio ſuo delecti opera & interceſſione potenti freta penſi nil habeat, quomodo vitam inſtituat, dummodo ſatis Patrono Cœleſti ſuo facere videatur; atque adeò ejus mentes non rectà ad Deum eleventur, ſed in Sanctulo ſuo Templo, altaribus, Sacerdotibus, diebus feſtis, oblationibus, aliíſque inanibus ceremoniis colendo ſtupeant; denique omnem ſuam devotionem, affectum pium, amorem, fidem,

à Chriſto & cruce ejus in tot rivulos devios, qui nullius ad ſalutem & ſanctimoniam hominum promovendam momenti ſunt, detorqueant, perdántque.

Eadem impietate Hierarchia Officium Chriſti Regium impetit, unius Papæ imperio libidinique cuncta ſubjiciens.

LIX. Reſtat Officium Chriſti *Regium*, quod non inclementer minùs Hierarchica tyrannis invaſit. Argumentum irrefragabile præbent, quæ Diſſertationis Nonæ ſectione Tertia integra de poteſtate ſpirituali, & ſub prætextu hujus etiam temporali ſuprema, quam ſibi Papa, ille Rex Regum, & Dominus dominantium, vindicat, & nefariè exercet, diximus. Teſtatur id ipſum inde à Bonifacii III. ætate perpetua Sedis Romanæ, quam in Hiſtoria Papatus fuſiùs paulò expoſuimus, praxis; affirmant Canoniſtarum blaſphemiæ; contendunt Sophiſtarum indefeſſæ argutiæ. Chriſto enim Domino, Capite ac Rege Eccleſiæ unico, ſedente ad dexteram Patris, & legibus Regni ejus fundamentalibus, quæ Scripturis ſacris continentur, auſu Cyclopico, ſpretis, Papam, velut in demortuum Chriſti locum, Regem & Monarcham Eccleſiæ, eúmque æque ac Chriſtum, infallibilem, judicio Mortalium nulli obnoxium, adeóque παντοκράτορα & ἀνυπεύθυνον, conſtituunt, judicem ſupremum, & ſupremi judicii normam faciunt. Arma inſuper undiquaque compilata oſtentant, quibus pudendum hunc Monarcham tegant; arma, inquam, ficulnea, quæ nec ratio ſana, nec ſacra Scriptura, nec pia antiquitas miniſtrat, ſed furor arripit, veritas confundit. Aut enim uſurpationes afferunt Pontificum, ab optimis quibuſque damnatas; aut mendacia à peritioribus detecta & convicta ſolidè. Sic nempe Abſolones novi nefariis artibus hominum animas ſuffurari ſtudent, ut clavim Davidis, hoc eſt, ſupremam in Eccleſia & Republica poteſtatem majore licentia uſurpent.

Alia oppugnati ejuſdem ſpe-

LX. Pertinent huc jus, quod Papæ Hierarchia vendicat, infallibiliter interpretandi leges Chriſti fundamenta-

mentales; novas etiam pro lubitu figendi, & conſcientiis ipſis hominum obtrudendi; leges Chriſti lingua peregrina velatas abſtrudendi; nec non notoria impietas illa, qua, uti ſupra oſtendimus, legibus Chriſti robur, decus & pretium omne detrahit; atque minorem etiam transgreſſoribus ſuarum, quàm ipſius Chriſti legum, pœnam dictat; Legendas mendaces, & à ferreæ frontis hominibus ſcriptas legi Divinæ obſcurandæ inducendæque ſubſtituit; contra leges Divinas, perjurium etiam, inceſtum, adulterium, perduellionem, parricidium, Sodomiam, aliáque atrociſſima crimina prohibentes, perinde ac ſi non præcepta, ſed conſilia liberæ hominum optioni relicta forent, liberè, retis ſui Piſcatorii implendi gratia, & cum præſentiſſimo æterno etiam ſtolidorum Mortalium, Spirituali Patri confidentium, damno diſpenſat; leges, pacta civilia, jurata etiam, quæ juxta leges Dei & naturæ καθόλȣ *univerſaliter* cognitas, obligant, prout libido & res ejus ferunt, rata vel irrita reddit, & qualibet occaſione reſcindit. Quæ ſingula in loco diſcuſſa nihil heic repetere juvat. Sufficit infractæ Regiæ poteſtatis Chriſti non unum ſpecimen indicaſſe.

crimina pandantur.

LXI. Accedit, quòd Hierarchia Chriſti Regis gratiæ infenſam ſe gerens, quantum libero arbitrio, ſeu naturæ in rebus fidei viribus tribuit, tantum Regno gratiæ derogat. Jam olim quidem Concilium Arauſicanum damnavit ſuperbam vocem dicentium, liberè nos credere per vigorem naturæ. Neque malè S. Auguſtinus: *Liberè velle opus eſt naturæ: bene velle gratiæ; malè velle corruptionis.* Sed tam hic ſunt aſtuti Tridentini, quàm inconſtantes Jeſuitæ. Illud pro more ludens verborum cothurnis *Seſſ.* VI. *cap.* 5. *& can.* 4. anathemate ſubjicit dicentes, *liberum hominis arbitrium à Deo motum & excitatum nihil coo-*

Regno gratia per jactatas natura & liberi arbitrii vires tantum quantum Hierarchia derogat.

perari, aſſentiendo Deo excitanti atque vocanti, quòd ad obtinendam juſtificationis gratiam ſe præparet ac diſponat. Poteſt etenim homo excitari à ſomno: poteſt à morte. Ibi vigor, hic vita reſtituitur. Sic planè liberi in ſpiritualibus arbitrii vel dormientis vigor, vel mortui vita excitatione & motu illo Divino reſtitui poteſt. Utrum verò hic contingat, verbis non expreſſit, ſed verborum lubricitate illuſit potiùs, quàm categoricè definivit quicquam. Bellarminus *de Gratia lib.* VI. 15. è Ruardo ſuo affert, *opus pium, quatenus opus, ab arbitrio eſſe, quatenus pium, à ſola gratia, quatenus opus pium, ab arbitrio & gratia eſſe.* Ejuſdem libri *cap.*6. contra ſuos Catholico-Pelagianos docet, *in rebus, quæ ad pietatem & ſalutem pertinent, nihil poſſe voluntatem humanam abſque auxilio gratiæ.* Sed prodit ſuum ὕπγλον *cap.* 15. ubi aſſerit *converſionem eſſe in poteſtate liberi arbitrii, quoniam poteſt ſemper converti, quando voluerit.* Addit, *ante omnem gratiam habere nos liberum arbitrium etiam ad opera pietatis & ſupernaturalia.* Si ante omnem, ergo etiam, ante prævenientem, excitantem, moventem. Non ergo nunc, uti S. Auguſtinus *lib. de corrept. & gratia*, docuit, nos prævenit, ut velimus, ſed nos Deum prævertimus, quia volumus. Sed ne craſſè nimis Bellarminus locutus videatur, ſic mitigat, ut dicat, ligatam quidem eſſe libertatem, & ſic ſe habere, *ut potentia videndi abſente ſpecie ſenſibili.* Sicut ergo liberè videre poſſumus, abſente objecto: ſic liberè velle, abſente gratia. Certè ne ad malum quidem liberiores ſumus, neque pejus Pelagius ipſe deliravit. Quale inſuper Dei auxilium, qualis gratia eſt, quam Chriſtus Rex Cœleſtis miſeris Spiritu ſuo diſpenſat? Prævenire, inquiunt Jeſuitæ, inſpirare, movere, excitare, vocare, adjuvare Dei eſt; voluntatem inclinare, hominis eſt. Quomodo

Digitized by Google

modo nunc non plus ſibi & libero arbitrio, quàm Deo & gratiæ homo debet?

LXII. Profectò ſub laudibus naturæ & liberi arbitrii latent inimici gratiæ. Tantum ſuffurantur Chriſto, gratiæ illud Regnum moderanti, quantum ſibi, morticinam naturam hanc ſuperbè decoraturi, tribuunt. Chriſtus ipſe, quicquid virtutum ſuarum habet, refert ad gloriam Patris. Et homo, cujus ſuum nihil eſt, ſibi vendicare, quod per Chriſtum reſurrexit, laboret? Modeſtè quondam Tiberius, Xiphilino narrante, è multis, quæ reſtituerat perfecerátque ædificiis, nullum ſibi vendicavit, ſed nomina illorum, à quibus ædificari cœpta ſunt, indidit. Iſti verò ſibi arrogant ædes, quibus ne tegulam quidem unam impoſuerint. Deus & *velle & facere in nobis* ἐνεργεῖ *operatur*, non velle & facere excitat, Phil. II. 13. Operatur ergo & quod primum eſt, velle, & quod ultimum, facere, perficere. Aufert cor lapideum, creat cor novum; aufert & creat non diſpoſitis paratíſque, ſed non parùm reluctante natura, carne, cujus Φρόνημα ἐχθρὰ εἰς Θεὸν *ſtudium* omne *inimicitia eſt adverſus Deum*, Ezech. XI. 36. Rom. VIII. 7. Sunt inimicitiæ quædam inteſtinæ, quæ nunquam in nervum erumpunt. Contra ſtudium illud carnis ὐχ ὑποτάσσεται *legi non ſubjicitur*. At parebit forte aliquando. Neque illud; ὐ δύναται *non poteſt*, uti ibidem Apoſtolus. Ecce rebellem uſque quaque Deo conditionem! Sacrificent ergo ſibi Hierarchici, quod Sejanum olim ſolitum Xiphilinus ſcribit: immolent ſuæ ſagenæ: vim ſuam Deum ſuum faciant: regnent ipſi, Regia poteſtate exuto Chriſto. Sed ruat profectò Cœlum; nunquam nobis arrogabimus, quod ſoli Deo & Chriſto Regi ſacra quadam ἀκοινωνησίᾳ competit.

Sub laudibus naturæ latent inimici gratiæ.

Hierarchia rapta poteſtatis Chriſti Regiæ ſpoliis ad horrendas fidelium Regni Chriſti ſubditorum vexationes abutitur.

LXIII. Neque tandem ſilentio prætereundem eſt, quòd Hierarchia iis, quibus ſe exornavit, poteſtatis Regiæ Chriſti ſpoliis, ad crudeles eorum, qui veri Chriſti Regis ſubditi ſunt, eíque uni ſolíque adhærere, inſtitutis ejus ſanctis & indiſpenſabilibus morem gerere conſtitutum habent, neque aliam profectò ob cauſam, quàm quia tales ſunt, nullius de cœtero criminis comperti, cædes internecionéſque abutitur. Cujus etiam animi nullo crudelitatis genere exſatiari poſſunt, id unicè in maximis votis habentes, ut, quod de Romano quondam populo tyrannus ille voviſſe dicitur, fideles Chriſti ſubditi omnes unicum haberent collum, quò uno ictu feriri omnes poſſent. Atque id impietatem inprimis omnem ſuperat, quòd ſic adverſus ſincera Chriſti membra horribiliter graſſantes, ſe ipſi Jeſu Chriſto inſervire, apud eos, quos nec Chriſti, nec membrorum ejus veram notitiam habere probè norunt, ſimulare non dubitant.

Chriſtum & Chriſtianam religionem ab Hierarchia his modis everſam eſſe, & eandem poſt Chriſtum ſcortari, adeóque Babylonem Magnam eſſe, concluditur.

LXIV. Quæ cum ita ſint, Hierarchiam Chriſtum totum, Chriſtianámque adeò religionem univerſam pridem ſepeliviſſe, falſámque adeò, uti Meretricem illam Magnam Babylonicam, poſt Deum, Chriſtum, Chriſtianam religionem inſatiabiliter ſcortantem maximè decebat, religionem invexiſſe, in propatulo eſt. Chriſtus enim nomen officii eſt: & Dei veri verus cultus veri Chriſti cultu conſtat. Quiſquis ergo Chriſti officia oppugnat, is Chriſtum ipſum, & Chriſtianam religionem oppugnat, & contra utrumque tyrannidem nefariè exercet.

Objectioni, quòd Chriſtum ejuſque officia Hierarchia apertè profiteatur, occurritur.

LXV. In tam notoria tyrannide fruſtra mihi Hierarchia oggeſſerit, ſe Chriſtum, ejúſque officia palam profiteri, verbo Dei, cruci Chriſti, merito & Regno ejuſdem locum relinquere. Hic enim meretricius fucus Babylonis eſt, quam ſpecie externâ matrimonii &

pro-

profeſſionis ſocietatis cum Chriſto Sponſo, ſcortari cum incolis terræ & Regibus mundi, nos Prophetia, uti Diſſertatione ſecunda demonſtravimus, docet. Quid enim tum poſtea, ſi verbum Dei, crux, meritum & Regnum Chriſti verbis jactentur, at mox re ipſa ſugillentur, ſupplantentur, deprimantur, & contra humanæ inventiones adornentur, peregrinum ſacrificium introducatur, & homo ille peccati ſupra Deum & Chriſtum efferatur, ut qui ex myſterio hoc ſe extricare neſciunt, maximo in ſalutis diſcrimine verſentur? Annon ſic de Hierarchia illud Hilarii adverſus Auxentium uſurpabitur meritò: *Sub ſpecie Evangelicæ prædicationis Chriſto contrarii ſunt: & Dominus Jeſus negatur, cùm ab iis prædicatur.* Etenim non in verbis, ſed in ſenſu fides eſt. Olim quoque Arius juſſus à Conſtantino M. manu ſua ſcribere, quid de fide ſentiret, *fidem*, ſic Rufinus *Hiſt: lib.* 1. 11. loquitur, *verbis noſtram, ſenſu ſuam exaravit.* Sed & *omnes hæreſes*, inquit Irenæus *lib.* 1. 9. *Deum unum dicunt, ſed per ſententiam immutant.* Neque nos malè Gratianus *Decr.* 22. 4. 5. *Humana* docuit, *verba nemini curæ eſſe debere, cùm non intentio verbis, ſed verba intentioni inſervire debeant.* Beſtia illa Apocalyptica cornua habet ſimilia cornibus Agni, ſed loquitur ut Draco, Apoc. XIII. 11. Baronii nota illa monſtra variam multiplicémque habent naturam: ſicut Cicero Catilinam monſtrum vocat, ex contrariis diverſíſque inter ſe pugnantibus naturæ ſtudiis cupiditatibúſque conflatum. S. Apoſtolus Antichriſtum in Templo Dei ſeſſurum vaticinatur: cujus regnum & doctrina myſterium ſit iniquitatis. Per Templum Dei Eccleſiam intelligi, res ipſa loquitur. Non enim inter Diabolos, vel merè Ethnicos regnat Antichriſtus, ſed ipſam occupat Eccleſiam: nec bona Eccleſiæ eximia, orationem Dominicam, ſymbolum, Decalo-

calogum, invocationem Trinitatis in Baptiſmo, aliáque ejuſmodi prorſus abolet, ſed nefariis ſuis traditionibus illa ita contaminat & corrumpit, ut myſterium iniquitatis manibus palpare liceat. Sanæ enim doctrinæ reliquiarum prætextu, iniquiſſimas ſuas conſtitutiones palliat, & obſervandas miſerè ſeductis obtrudit. Neque enim aliter à pleriſque qui principiis illis jam aſſueverunt, receptus fuiſſet, vel meditamenta ſua fraudéſque perfeciſſet.

Et Leonis X. contraria profeſſione ex Maſſæo producta eadem retunditur.

LXVI. Neque tamen ſine Numine factum, quod Hierarchicis quibuſdam voces exciderunt, quibus interior animi eorum notio clarè ſatis patefacta eſt. Nota enim ſatis eſt vox Leonis X. literarum monumentis conſignata, qui, teſte Chriſtiano Maſſæo hiſtorico, Bembo dixit, *multas opes Collegio eorum conflatas eſſe jam diu* (dicam molliter, quod Sathanicum illud os efflavit) *poſtquam illa de Chriſto perſuaſio paſſim pervaſit.* Quid enim eſt Chriſti perſonam & officium crudè atque aſſa voce negare, ſi hoc non eſt? Licet ergo Hierarchia omnis diſertis id verbis non profiteatur, tamen caſu non evenit, ut infandum ſedis illius caput ita non ſentiret duntaxat, ſed blaſphemè etiam loqueretur. Crimine ab uno diſce omnes.

DISSER-

DISSERTATIONIS
UNDECIMÆ
SECTIO POSTERIOR
QUA

Hierarchiam populum ſibi obnoxium à vero veri Dei cultu ad cultum creaturarum, falſámque religionem ſeducere, ex erroribus ejuſdem idololatricis probatur.

BREVIARIUM.

I. *Progreſſus ad errores Hierarchiæ idololatricos.*
II. *Idololatria ejus Syllogiſmo probata cujus propoſitio & aſſumptio ſtrictim aſſeritur.*
III. *Bellarmini & Greg. de Valentia adverſus propoſitionem, quòd idololatria ſit cultus Divinus creaturæ exhibitus, exceptiones proponuntur.*
IV. *Bellarmini exceptio, quòd idololatria non ſit niſi cultus Divinus idolis, ſeu ſimulachris falſorum Numinum exhibitus, oppoſitis ſimilibus, Sexti Roſcii à parricidio, & Johannis XII. Papæ ab adulterio ſimili ratione defenſi utriuſque diluitur.*
V. VI. *Quid idololatria ſit, optimè ex declaratione Dei ipſius cognoſcitur.*
VII. *Quicquid porro idololatriam eſſe Deus Judæis declaravit, pro tali etiam Chriſtianis habendum eſt.*

VIII. *Quicquid in Paganis idololatriæ cenſu venit, apud Chriſtianos ſimilia facientes eodem cenſu venire debet.*

IX. *Bellarminiana verò idololatriæ definitio nec idololatriam Judæis ſimul & Chriſtianis prohibitam, nec in Gentilibus damnatam exhaurit.*

X. *Judæis Deus prohibuit non ſuperſtitionem tantùm falſi, ſed etiam indebiti cultus; illius quo falſum Numen, hujus, quo verum Numen in imagine colitur. Neutram idololatriam cultu idoli, ſeu ſimulachri falſi Numinis abſolvi, probatur.*

XI. *Idolum quandoque etiam veri Dei imago eſt; imò omne id, quod cùm verus Deus non ſit, Divino cultu afficitur.*

XII. *Suffragantibus* LXX. *Interpretibus.*

XIII. *Et Dei ipſius idololatriam declarantis id omne, quo ad Zelum Deus provocatur, teſtimonio.*

XIV. *Veri Dei in imagine cultum idololatricum eſſe, tum ex ſenſu legis Divinæ,*

XV. *Tum exemplis vitulorum Aharonis & Jeroboami, nec non Teraphim Michæ cultorum liquidò probatur.*

XVI. *Paganorum idololatria quandoque fuit cultus ſummi & veri Dei in imagine.*

XVII. *Greg de Valentia exceptio adverſus propoſitionem majorem, quòd idololatria ſit non quivis cultus Divinus creaturæ exhibitus, ſed is demum, qui ei ut Deo exhibetur, diſcutitur.*

XVIII. *Ratio, qua Valentianus Hierarchiam ab idololatria defendit, prodit, meretricem Romanam antiquas lupas Romanas; & Jeſuitas priſcos cauſidicos impudentia & ingenio ſuperare multum.*

XIX. *Alterutrum duorum, quæ Valentia ad idololatriam requirit, ſcortum Babylonico-Romanum idololatriæ convincit.*

XX. XXI. *Abſurditas definitionis Valentiæ ulteriùs oſtenſa.*

XXII. *Omnes ii, quibus præter Deum verum Divinus honor exhibetur, alii Dii fiunt.*

XXIII. *Quicunque talibus Divinum honorem exhibent, idololatræ, Polythei & Athei ſunt.*

XXIV. *Tranſitur ad aſſumptionis probationem, atque generali ratione docetur, Hierarchiam creaturis Divinum cultum exhibere, & exhibendum præcipere.*

XXV. XXVI. *Sicut inter excellentiam increatam & creatam media nulla: ita inter cultum Divinum ſeu religioſum & civilem medius, qui religioſus etiam ſit, datur nullus. Et ſi daretur medius, civilis ille potiùs, quàm religioſus foret.*

XXVII. *Religioſum cultum omnem Angelus præſens Apoc.* XIX. 10. *repudiavit.*

XXVIII. *Religioſus duliæ vel hyperduliæ cultus ad nullam Dei legem referri poteſt.*

XXIX. *Ejuſdem vanitatem Chriſtus Luc.* IV. 8. *& S. Paulus Hebr.* I. 6. *demonſtrant.*

XXX. *Religioſus cultus unicus, idémque Divinus eſt, quo Divinam excellentiam per ſigna propria eidem ſignificandæ inſervientia recognoſcimus.*

XXXI. *Propria religioſi cultus ſoli Deo debiti ſigna recenſentur.*

XXXII. *Nil refert, qua* σχέσει, *amicorum an inimicorum Dei, creaturis cultus Divinus deferatur.*

XXXIII. *Neque idololatriam purgat fucus ille, quòd cultus creaturarum non abſolutus, ſed relativus ſit, & in prototypa tranſeat.*

XXXIV. *Ne quidem latria ad prototypa tranſire poteſt.*

XXXV. *Et cultus ille relativus imaginibus proprius eſſe debet.*

XXXVI. *Scholaſticorum de cultu proprio imaginum diſſidia.*

XXXVII. *Argumenti generalis nervus adſtringitur.*

XXXVIII. *Specialis demonſtratio Aſſumptionis ubi Hierarchicorum idololatria juxta ſpecies creaturarum in ea expreſſas, in Papolatriam (de qua ſupra) Artolatriam, Hagiolatriam, Iconolatriam, Lipſano-latriam & Hierolatriam diſtinguitur.*

XXXIX. *Artolatria mare mortuum eſt. De Euchariſtiæ cultu definitio Tridentinorum ex qua idololatria Hierarchicorum demonſtratur.*

XL. *Eandem committi probatur, ſi maximè Euchariſtiæ Sacramentum in compoſitione ex ſpeciebus, corpore & Divinitate Chriſti conſtituatur.*

XLI. *Artolatriæ fundamentum tranſſubſtantiatio eſt. Quæ ſi falſa fuerit, omnium turpiſſimos idololatras fore Pontificios, Coſterus fatetur.*

XLII. *Tridentinorum de ea definitio oppugnatur.*

XLIII. *Circumſtantiis Cœnæ,*

XLIV. *Nec non principiis ſcientiarum, Phyſices, Metaphyſices, Mathematices, Logices;*

XLV. *Et antiquitati puriori omni repugnat.*

XLVI. *Idololatræ proin hoſtiæ adoratores certiſſimi ſunt. Averroe is adverſus eos, qui adorant, quod comedunt, apophtegma.*

XLVII. *Non juvat artolatras perſuaſio, quòd Chriſtus præſens ſit ſub ſpeciebus panis.*

XLVIII. *Adeóque panem adeſſe negant.*

XLIX. *Si maximè tranſſubſtantiationis dogma obtineret, non eò minùs Hierarchici idololatria ſe pollue-rent, quia de converſione facta nunquam certi eſſe poſſunt; & tamen adorare non deſinunt.*

L. *Artolatriam Hagiolatria, ſeu ſanctorum cultus excipit, qui circumſcribitur.*

LI. *Cultum eum Divinum eſſe probatur.*

LII. *Prætextus Hagiolatrarum, quòd Sanctos ut amicos*

Digitized by Google

cos Dei, non ut ſummum Deum colant, & mediationem eorum ad interceſſionem reſtringant, diluuntur.

LIII. *A Sanctis perinde atque à Summo Deo maxima quæque eos orare, ex invocationum formulis ad Sanctos, Coſmum, Damianum, Andræam, Nicolaum, Agnetem, Brigittam, Catharinam, &c.*

LIV. *Inprimis ad Deiparam directis demonſtratur.*

LV. *Colliguntur, quæ de B. Mariæ honore & cultu maxima quæque & ſtupenda Mariolatræ prodiderunt. Atque ex iis, B. Mariam tantùm non Deo & Chriſto præferri colligitur.*

LVI. *Abſurditatum hagiolatriæ ingens ſyrma. Divi in primis Chimærici, non Sancti, quorum cultus omnem idololatriam ſuperat.*

LVII. *Iconolatria ſuccedit. De imaginum cultu definitio Tridentinorum; è diametro oppoſita Divinæ legi.*

LVIII. LIX. *Gentiles & Hierarchici iconolatræ paria faciunt, dum utrique imagines à rebus, quarum imagines ſunt æquè diſtinguunt.*

LX. *Chaldæorum veterum & Hierarchicorum iconolatria ex Jeremiæ Epiſtola comparatur.*

LXI. *Utrique ligno dicunt, Pater meus es; & lapidi, Tu genuiſti me.*

LXII. *Utrorumque rudis populus ſtatuas & imagines pro Diis habet.*

LXIII. *Debitus juxta Hierarchicos imaginibus honor religioſus & Divinus eſt.*

LXIV. *Id quod colligitur ex definitione Concilii Nicæni* II.

LXV. *Conſecrationum imaginum formulis.*

LXVI. *Et Theologorum Thomæ inprimis, Bonaventuræ, Bellarmini &c. ſententia.*

LXVII. *Prætextus Tridentinorum, quòd honor imaginibus exhibitus ad prototypa referatur, refellitur.*

LXVIII. *Relatio imaginum ad prototypa nec ſimilitudinis imaginum cum prototypis; nec intentionis iconolatrarum, incurvatione coram imaginibus Chriſti & Sanctorum honorem intendentium, virtute obtinet.*

LXIX. *Iconolatriæ haud poſtrema ſpecies Staurolatria, ſeu adoratio crucis eſt, quæ ex Pontificali R. ubi inprimis ſolennitatem, quæ Paraſceve Antepaſchali peragi ſolet, deſcribit;*

LXX. *Nec non dedicationum & conſecrationum formulis idololatriæ manifeſtæ convincitur.*

LXXI. *De Lipſanolatria, ſeu Reliquiarum cultu definitio Tridentinorum ſubdola.*

LXXII. *Reliquiis Divinos honores impendi, ex Concilio Nicæno* II. *Catecheſi Tridentina Pontificali R. Vaſquez, Thoma Waldenſi, Baronio;*

LXXIII. *Praxi inprimis publica aſtruitur.*

LXXIV. *Bellarmini ſtropha inſignis.*

LXXV. *Ex adorationis reliquiarum formulis, inprimis ea, quæ ad Sudarium Veronicæ dirigitur, eam abſolutam, non relativam eſſe, oſtenditur.*

LXXVI. *Lipſanolatriæ fœditatem prodit, quòd adorant id, quod quale ſit, ignorant.*

LXXVII. *Hierolatriæ ſpecies, quas inter cultus Agnorum Dei primas obtinet. Eorum conſecratio deſcribitur.*

LXXVIII. *Virtutem iis planè Divinam tribui, tum ex conſecrationis eorundem formula,*

LXXIX. *Tum ex carmine, cum quo Urbanus V. tres Agnos Dei Imperatori Græcorum tranſmiſit, aſſeritur.*

LXXX. *Argumenti concluſio.*

I. Er-

I. ERroribus Hierrachiæ capitalibus Tyrannicis ſuccedunt Idololatrici, quorum lepra univerſum Eccleſiæ Pontificiæ corpus ſic laborat, ut verus ſpiritualis Dei cultus in eo propemodum oppreſſus jaceat. Hoc ergo probandum nunc ſuſcipimus; palam ſic facturi ampliùs, Hierarchiam Babylonem Magnam, ſcortationum & abominationum terræ Matrem illam meritò à nobis haberi. Idololatriam enim eſſe ſcortationem ſpiritualem, corporali fœdiorem nocentiorémque longè, ſic apud omnes, qui Scripturam & rationem conſulunt, receptum eſt, ut de eo nemo ſanus ambigere poſſit. *Progreſſus ad errores Hierarchiæ idololatricos.*

II. Hierarchiam idololatriæ crimine ratione maniſeſtiſſima, quam pro inſtituti noſtri ratione Syllogiſmo arctare lubet, ſic ſtrictim arceſſimus: *Idololatria ejus Syllogiſmo probata, cujus propoſitio & aſſumptio ſtrictim aſſeritur.*

Quiſquis creaturis Divinum cultum exhibet, & exhibere populum ſibi obnoxium jubet, is idololatriam committit, & ad idololatriam populum ſibi obnoxium ſeducit.

Atqui Hierarchia Papam, Euchariſtiam, Sanctos, imagines. Sanctorum reliquias & res conſecratas religioſe venerans, creaturis Divinum cultum exhibet. & exhibere populum ſibi obnoxium jubet.

Ergo Hierarchia Papam, Euchariſtiam, Sanctos, imagines, Sanctorum reliquias, & res conſecratas religioſè venerans idololatriam committit, & ad idololatriam populum ſibi obnoxium ſeducit.

Syllogiſmi hujus propoſitio è Scripturis manifeſta eſt; utpote quæ *idololatrarum* nomine perſtringunt omnes, qui Divinum cultum creaturæ, nominatim autem idolo, ſive propriè dicto, veluti ſimulachro vituli, ſive figurato, ut mammonæ, tribuunt; Exod. XXXII. 4. Matth. VI. 24. Act. VII. 41. Rom. I. 25. 1 Cor. X. 7. Epheſ.

Digitized by Google

Epheſ. v. 5. Sed & Aſſumptio fidem inveniet partim è Scripturis, docentibus, *fiduciam* Jerem. XVII. 7. *invocationem* Pſal. L. 15. Joel. II. 32. Rom. X. 14. *vota* Eſai. XIX. 21. *ſacrificia* Exod. XXII. 20. denique *adorationem* Exod. XX. 5. Act. X. 26. Apoc. XIX. 10. Divinum eſſe cultum: partim ex aliis teſtibus idoneis, Pontificiis ipſiſmet, non diſſimulantibus, ſe horum quædam deferre Papæ, Euchariſtiæ, Sanctis, Imaginibus, Reliquiis Sanctorum, & rebus conſecratis. Uti quidem ex Miſſalibus, Pontificalibus, libris Ceremoniarum Romanæ Eccleſiæ, Concilio Tridentino, Theologis Scholaſticis, Canoniſtis, Hiſtoricis, ipſa denique vulgari praxi, omni exceptione majori conſtat. Saltem religioſum eſſe, quo hæc, quæ dixi, proſequuntur, cultum, conſentiunt omnes. Religioſum autem cultum eundem Divinum eſſe, ſolíque adeò Deo competere, ſupra probavimus. Ex præmiſſis his concluſio neceſſariò ſequitur. Concludant modò Hierarchici ipſi, ad ſe ſpectare, quod Iſraelitis à Deo dictum Hoſ. II. 2. legimus: *Contendite cum matre veſtra, contendite, ipſam non eſſe uxorem meam, & me non eſſe virum ipſorum, ut amoveat ſcortationes è conſpectu ſuo, & adulteria ſua è medio uberum ſuorum, ne denudem eam planè, & ſtatuam eam, ut die, quo genita fuit; diſponénſque eam velut in deſerto, & redigens eam velut in terra ſiticuloſa, extinguam eam ſiti; & filiorum ejus non miſerear, eò quòd filii ſcorti ſint.*

Bellarmini & Greg. de Valentia adverſus propoſitionem, quòd idololatria ſit cultus Divinus

III. Sed Propoſitio major ante omnia à falſorum Jeſu Sociorum, Bellarmini inprimis & Gregorii de Valentia tricis liberanda eſt. Non diffitentur equidem illi, creaturam æquè colere ac Deum, eſſe idololatriam. Sed per cuniculos propoſitionem demoliri conantur, dum Bellarminus *de Eccleſ. Triumph. lib.*

Digitized by Google

lib. 1. *cap.* 5. idolum ab imagine diſtinguens, idololatram eſſe negat, quiſquis creaturis Divinum honorem exhibet; ſed eum demum, qui idolis, hoc eſt, falſorum Deorum ſimulachris Divinum honorem exhibet: Gregorius verò de Valentia *de Idolol. lib.* 11. 1. idololatras damnatos eſſe non quoſvis creaturis Divinos honores exhibentes, ſed creaturis eos exhibentes, ſicut Deo; pertendit. Tali ſcilicet cataplaſmate inſignes adeò Medici Hierarchicorum cauſam indigere rati ſunt. Quaſi ſcilicet idololatriam non faciat ſimpliciter λατρεία τῆς κτίσεως παρὰ τὸν κτίσαντα, *cultus creaturæ præter creatorem* Rom. 1. 25. ſed cultus duntaxat hujus vel illius creaturæ; & exhibitus ei, ut Deo. Quæ diſtinctionum monſtra ante omnia ſimilitudine appoſita duplici debellare lubet.

creatura exhibitus, exceptiones proponuntur.

IV. Olim Sextus Roſcius parricidii accuſatus eſt hoc argumento: *Quiſquis patrem occidit, committit parricidium. Sextus Roſcius Patrem occidit. Ergo Sextus Roſcius parricidium commiſit.* Si Patronus S. Roſcii Marcus Tullius negâſſet, parricidium ab omnibus committi, qui occidunt patres; dixiſſétque, eos duntaxat eſſe parricidas, qui rigidos & feroces patres, qualis Roſcii pater non fuit, occidunt; adeóque aſſumptione refutanda clientis ſui innocentiam non oſtendiſſet, eccui Romanorum judicum putamus viſum iri reum vacare omni culpa, quem tali patrocinio tantus orator egere judicâſſet? Similiter Johannes XII. Papa adulterio ſe contaminaſſe à Scriptoribus Pontificiis, Luitprando Ticinenſi *Rer. per Europam geſtarum lib.* VI. 11. aliiſque arguitur. Argumentum verò ſtrui ejuſmodi poterat: *Quiſquis cum alterius uxore rem habet, adulterium committit. Atqui Johannes Papa rem habuit cum uxore alterius. Ergo Johannes Papa adulterium commiſit.* Si Pariſienſis

Bellarmini exceptio, quòd idololatria non ſit niſi cultus Divinus idolis, ſeu ſimulachris falſorum Numinum exhibitus, oppoſitis ſimilibus, Sexti Roſcii à parricidio, & Johannis XII. Papæ ab adulterio ſimili ratione defenſi utriuſque diluitur.

ille Sorboniſta, Margarinus de la Bigne, qui *Præfat. Biblioth. S. Patrum ad Gregorium XIII.* Eccleſiam in moribus errare poſſe negat, ad ſummum hoc Eccleſiæ caput à lapſu vindicandum, transmiſſa Aſſumptione, Majorem propoſitionem aggreſſus aſſereret, non quisquis alienam uxorem comprimit, eum adulterari; ſed tantùm ſi quis laicus, clericúſque inferior, aut ſi quis maritali affectu non meretricio id perpetret, qui tam eſt imperitus rerum, quin exiſtimaret, deploratam à Sorboniſta illo cauſam ſuſceptam eſſe, eúmque, conſcientia teſte, non veritatis atque innocentiæ tuendæ, ſed paraſitandi Papæ ſtudio abreptum cavillari? Cùm ergo Syllogiſmi noſtri propoſitio ex eodem fonte & firmamento idololatriæ damnandum ſtatuat, quisquis creaturæ Divinum cultum exhibet; ex quo parricida, quisquis patrem occidit; adulter, quisquis alterius uxori conſueſcit, eſſe perhibetur: profectò aut perindulgens in Bellarminum aut parùm prudens ſit oportet, qui Pontificiam cauſam non habeat ſuſpectam, quam tali emplaſtro inſignes illi ſeplaſiarii curandam, neque alio curare poſſe arbitrantur. Atque id eò magis, quia Bellarminianum illud ex *imaginis & idoli* diſtinctione emplaſtrum multò putidius eſt, quàm ſi quis interfectionem clementis patris à parricida, aut clericum adulterum à laico diſcriminaret: Valentianenſe verò, ***idololatram*** videlicet *eſſe*, ***qui creaturæ Divinum cultum, ut Deo exhibet***, perinde adhibetur, ac ſi Sorboniſta adulterum non alium eſſe diceret, quàm qui alienæ uxori maritale officium præſtat, ſicut maritus. Sed argumentis validioribus premamus utrumque.

Quid idololatria ſit, optimè ex declaratione Dei ipſius cognoſcitur.

V. Pertendo ergo, definitionem idololatriæ à Bellarmino allatam, ut videlicet ea dicatur idoli, ſeu imaginis falſorum Deorum cultus, anguſtam nimis, neque aliud quàm vimineam quaſi ad depellendum pro-

propoſitionis noſtræ telum validiſſimum, parmulam eſſe.

VI. Conſtat ſatis, in Regno Dei idololatriam eſſe, quod in Republica ſeditio & perduellio eſt. Utrobique læditur Majeſtas, & Principatus, ibi Rectorum humani generis, hic Dei ipſius, qui univerſitatis princeps eſt, in alium transfertur, cui neutiquam ille competit. Sicut ergo in Republica ſupremæ poteſtatis jus eſt, perduellionem, ſeu læſæ Majeſtatis crimen definire, &, qua in re illud conſiſtat, quo pœnæ genere afficiendum ſit, declarare: ſic ſolius Dei omnipotentis jus eſt, definire & declarare ſuo populo, qua ratione idololatria, Divinæ Majeſtatis violatæ crimen committatur. Quicquid ergo Deus in verbo ſuo idololatriam definivit, id omne pro tali habendum eſt, licet vel laſcivienti rationi & fugitivæ cognitioni hominis, vel vulgari captui & judicio talis non appareat, & vocabula ambiguæ ſignificationis alia omnia ſuadere videantur. Non enim religio à phantaſia, judicio, ratione, conſiliis, nominibus humanis, ſed à Divinæ voluntatis teſtificatione, & Divinitus intento ſenſu nominum pendet.

Quicquid porro idololatriam eſſe, Deus Judæis declaravit, pro tali etiam Chriſtianis habendum eſt.

VII. Conſtare pariter debet, quicquid Deus idololatriam eſſe, Judæis declaravit, à Chriſtianis univerſis pro tali habendum, tum quia Chriſtianorum cultus ſimplex & ſpiritualis magis eſt, quàm Judæorum, qui non minima ſui parte carnalis fuit: tum quia Deus hac quidem in re mentem ſuam non aliter Judæis, aliter Chriſtianis declaravit: tum quia, quid idololatria ſit, Deus Judæis lege Decalogo, ejúſque præceptis diſtinctis, primo & ſecundo, tradita revelavit; quæ lex cùm perpetua ſit, quippe digito Dei tabulis lapideis inſcripta, & Divinæ ſanctitatis quædam effigies expreſſa; quin & ab ipſo Chriſto conſequendæ æternæ vitæ gratia

inculcata, Marc. x. 18. 19. denique amoris Dei haud poſtrema ſpecies; perinde Chriſtianos, uti olim Judæos obligat: tum denique quia apud Chriſtianos alias, quæ vera idololatria ſit, ambiguum planè eſſet, quia in Novo Teſtamento lex contra idololatriam à lege, in Decalogo expreſſa, diſtincta ſeorſim nulla extat.

Quicquid in Paganis idololatria cenſu venit, apud Chriſtianos ſimilia facientes eodem cenſu venire debet.

VIII. Denique neque illud obſcurum eſſe poteſt, quòd quicquid in Paganis idololatria erat, id in Chriſtianis idololatriam pariter ſit, quoties illam committunt. Neque enim Pagani tam expreſſam contra omne genus idololatriæ declarationem Divinam, quàm Judæi habuerunt, & Chriſtiani etiam habent. Quacunque ergo in re Pagani idololatriæ rei peragi poſſunt, in ea Judæi & Chriſtiani, ſimilia committentes, ejuſdem rei potiori jure peragi poſſunt debéntque.

Bellarminiana verò idololatriæ definitio nec idololatriam Judæis ſimul & Chriſtianis prohibitam, nec in Gentilibus damnatam exhaurit.

IX. His ritè & ἀναμφισβητήτως ſuppoſitis receptíſque, Bellarminianæ idololatriæ definitio', quòd ſit cultus idoli, ſeu ſimulachri falſi cujuſpiam Numinis, nullo negotio falſi convinci poterit; eo ſcilicet argumento, quòd nec Idololatriam Judæis ſimul atque Chriſtianis prohibitam, nec à Gentilibus uſurpatam, & communi omni conſenſu in iis damnatam, exhauriat.

Judæis Deus prohibuit non ſuperſtitionem tantùm falſi, ſed etiam indebiti cultus; illius quo falſum Numen, hujus, quo verum Numen in ima-

X. Judæos enim quod attinet, illis Deus Decalogi præcepto primo, quo vetantur coram ſe habere אלהים אחרים *Deos alios*, Exod. xx. 3. idololatriam ſeu ſuperſtitionem *falſi cultus*, cùm falſum Numen colitur; ſecundo, quo vetantur facere *imaginem* vel *ſculptile*, *coram eo incurvari, ei inſervire* &c. idololatriam ſeu ſuperſtitionem *indebiti cultus*, quo Deus verus non eo, quo juxta præceptum ejus debet, cultu colitur; prohibuit. Neutra idololatria cultu idoli, ſeu ſimulachri falſi Numinis abſolvitur. Non *prior*, quia in ea ne quidem eſt cultus idoli ſeu ſimulachri propriè dicti, ſed falſi Numinis,

Digitized by Google

nis, qua talis, ſive ſimulachro exprimatur, ſive non. Non *poſterior*, quia illa etiam cultum imaginis ſeu ſculptilis veri, non falſi duntaxat Numinis ſub ſe complectitur. Bellarmino autem idololatria non eſt niſi cultus ſimulachri falſi Numinis.

gine colitur.

Neutram idololatriam cultu idoli, ſeu ſimulachri falſi Numinis abſolute, probatur.

XI. Quoad *prius*, non obſtat equidem, quòd εἴδωλον ſeu *idolum* propriè vocatur ſimulachrum; adeóque idololatria non videatur locum habere poſſe, ubi ſimulachri cultus nullus eſt. Nam miſſa voce res ipſa attendatur. Eſt enim cultus falſi Numinis, qui ſive idololatria, ſive cum Hebræis עבודה זרה *peregrina ſervitus* appelletur, perinde eſt. Falſi enim Numinis cultus eſt. Quanquam propria magis ſignificatione idoli latiùs extenſa, idolum etiam dicitur, quicquid mens humana in locum veri Numinis ſubſtituit; quicquid, ut Deus, quod tamen Deus non eſt, adoratur, ſive viſibile, ſive inviſibile ſit. Quo ſenſu Gregorius Nazianzenus *Orat. Paneg. in Natal. Chriſti* idololatriam definit μετάθεσιν τῆς προσκυνήσεως ἀπὸ τοῦ πεποιηκότος ἐπὶ τὰ κτίσματα, *cultus ſeu adorationis tranſlationem à creatore ad creaturas.* Et Tertullianus *de idolol. cap.* 19. ſic pronuntiat: *Quicquid exaltatur ultra humani honoris modum, id eſt, cultu pluſquam civili colitur, eo ipſo idolum fit.* Ibidem *cap.* 11. *Idololatria*, inquit, *Deo fraudem facit, honores illi ſuos denegans, & conferens aliis, ut fraudi etiam contumeliam conjungat.* Sed & Cyprianus *ad Fort. in exhort. ad Mart.* in univerſum: *Idololatria*, inquit, *tunc committitur, cùm Divinus honor alteri datur.* Itidem Ambroſius, ſeu potiùs Hilarius, Diaconus Romanus, *in Epheſ. cap.* 5. *Idololatria*, inquit, *Dei honorem uſurpat, & creaturæ vindicat.*

Idolum quandoque etiam veri Dei imago eſt; imò, omne id, quod cùm verus Deus non ſit, Divino cultu afficitur.

XII. Præiverunt Septuaginta Interpretes, qui paſſim voces אלילים, בעלים, & עצבים εἴδωλα *idola* reddiderunt,

Suffragantibus LXX. Interpretibus.

Digitized by Google

derunt, etiam ubi non de ſimulachris falſorum Numinum, ſed de ipſis Numinibus falſis, imò dæmonibus etiam ſermo eſt. Sic planè 1. Paralip. XVI. 26. verba illa, כל אלהי העמים אלילים reddunt, πάντες οἱ θεοὶ τῶν ἐθνῶν εἴδωλα. *Omnes Dii populorum idola ſunt.* Uti etiam Vulgatus convertit. Atqui populorum Dii non ſola ſimulachra falſorum Numinum, ſed Sol etiam, Luna, Saturnus, manes defunctorum, imagines non arte factæ, ſed res naturales, fuerunt. Unde etiam אלילים quandoque θεοὺς, δαιμόνια, μεγιστᾶνες iidem reddunt. Qui poſteriores manifeſtè ad ipſos inviſibiles dæmones referuntur. Qui cùm juxta ſententiam Scripturæ non ſint niſi אלילים cultus etiam eorum non poteſt non idololatria eſſe. Cúmque per בעלים *Baalim* intelligantur falſa illa Numina ab imaginibus ſuis diſtincta, veluti 2. Paralip. XXVIII. 2. tamen ſæpe εἴδωλα *idola* redduntur. Siquidem Baalim ſive Sol ſint, ſive manes defunctorum, non niſi idola ſunt, quatenus pro veris Numinibus coluntur. Denique iidem עצבים quæ vox juxta quoſdam dæmones, horrorem, à quo δεισιδαιμονία dicitur, incutientes, duodecies ampliùs εἴδωλα *idola* tranſtulerunt.

Et Dei ipſius idololatriam declarantis id omne, quo ad Zelum Deus provocatur, teſtimonio.

XIII. Quin ipſe Deus ei rei Exod. XX. 5. teſtimonium perhibet, declarans, in eo maximè idololatriæ naturam conſiſtere, quòd Divino cultu colitur id, quod non eſt Deus. Nam imaginum cultum interdicens, hac ratione utitur: *Ego enim Jehova, Deus tuus,* אל קנא *Deus Zelotypus ſum.* Quomodo Deut. XXXII. 21. idem Deus dicit: הם קנאוני בלא אל *Illi Zelare me fecerunt in non Deo.* Non ergo imaginis cultus idololatricus aliam ob rationem eſt, quàm quia imaginem colens colit, quod non eſt Deus, adeóque non poteſt non hac ratione Deum Zelotypum, qui honorem ſuum alteri non dat, ad Zelum provocare. Veriſſima proin & generalis

ralis notio idololatriæ eſt, *id colere, quod non eſt Deus.* Hoc eſt, uti noſtra definitio habet, *creaturam Divino cultu colere.* Hoc quippe ſolum illud eſt, quo ad æmulationem Cœleſte Numen non poteſt non provocari, & exardeſcere, quia rem ſibi chariſſimam, gloriam Divinitatis ſoli ſibi debitam, attentari videt. Et creaturæ igitur, & imaginis cujuſvis, ad quodcunque exemplar relatæ, & rei cujuſvis, quæ Deus non eſt, Divinus cultus idololatria eſt. Hoc eſt, quod Bellarminus ipſe *de Eccleſ. Triumph. lib.* 11. 24. dicit, *creaturam æquè colere ac Deum, eſt certè idololatria.*

Veri Dei in imagine cultum idolatricum eſſe, tum ex ſenſu legis Divinæ,

XIV. Ad *poſterius* idololatriæ genus, quo verus Deus illicito modo, velut in imagine colitur, ut veniamus, certè & vera hæc, atque in verbo Dei damnata idololatria eſt, & cultus ſimulachri falſi Numinis non eſt. Non ergo idololatria tantùm cultus eſt idoli, hoc eſt, ſimulachri falſi Numinis, quod Jeſuita pertenderat. Veram, & in verbo Dei damnatam idololatriam eſſe, nulli certè dubitamus. Ita enim Deus Exod xx. 4. vetat ſculptile vel ſimilitudinem facere etiam ejus, *quod eſt* בשמים *in Cœlo.* Atqui in Cœlo potiſſimùm Deus eſt, Cœli Rex & dominus. Tum eorum, quos verbum Dei idololatriæ reos peragit, exempla id ipſum clariſſimè demonſtrant.

Tum exemplis vitulorum Aharonis & Jeroboami, nec non Teraphim Michæ cultorum liquidò probatur.

XV. Etenim idololatriæ accuſantur μοσχολάτρει, ſeu ii, qui in deſerto vitulum coluerunt, Exod. XXXII. 8. Pſal. CVI. 20. Act. VII. 41. Et tamen non aliud egerunt, quàm ut ſymbolum haberent veri Numinis, quemadmodum falſo gentiles gaudebant: atque eo fine hoc exoptârunt, ut iſto ſymbolo præſente & præeunte, præſentis & præeuntis Numinis Divini ſignum haberent. Certè Iſraelitas pleroſque omnes, vel ſaltem non extrema ſtultitia occæcatos propoſitum habuiſſe in vitulo colendi verum Deum, inter alios etiam agnoſcit

Je-

Digitized by Google

Jerus in Act. VII. 41. ac probat ex ipſis Iſraëlitarum verbis: *Hi ſunt Dii tui, Iſrael, qui te eduxerunt de terra Ægypti*, Exod. XXXII. 4. Indéque colligit, non in alieni Dei cultu peccaſſe, ſed eo, quod contra Dei præceptum eum in idolo colere deſtinaſſent. Atque id ipſum peculiari de vitulo Aharonis diatriba, nos quoque pluribus argumentis in arce veritatis, deſtructis etiam contranitentium ratiunculis, collocavimus. Par ratio eſt vitulorum aureorum in Dan & Bethel, I. Reg. XII. 28. Hos enim pro idolis habitos oſtendunt verba de Jeroboamo cap. XIV. 9. *Feciſti tibi Deos alienos & conflatiles, ut me ad iracundiam provocares. Me autem projeciſti poſt corpus tuum.* Quid his apertius? Et tamen verum Deum in vitulis ſeu Cherubinis ſimilibus iis, qui Hieroſolymis in Templo erant, coli Jeroboam juſſit. Neque enim alias populo Iſraëlitico, ut cultum hunc reciperet, perſuaſiſſet. Vaframentum ergo Jeroboami Politicum erat, ut non abdicato veri Dei cultu, ſed imitatione quadam expreſſo, ſimul à Rehabeamo decem tribus abſtraheret, ſimul in obſequio eoſdem contineret. Quomodo enim aliàs ſperare poterat, populum, qui ab ineunte ætate Deo Iſraelis inſervivit, quaſi in momento temporis ſic mutatum, & à Numine tandiu cognito cultóque ſimul ſemélque, etiam ſine aperta vi, abalienatum iri? Apertéque hoc innuitur I. Reg. XVI. 31. 32. *Et fecit Achab, filius Omri, malum in conſpectu Domini ſuper omnes, qui fuerunt ante eum. Nec ſuffecit ei, ut ambularet in peccatis Jeroboam, filii Nebat. Inſuper duxit Jezabel, filiam Ethbaal, Regis Sidoniorum: & abiit, & ſervivit Baal, & adoravit eum. Et poſuit aram Baal in templo Baal, quod ædificaverat in Samaria, & plantavit lucum &c.* Apertè ſic docetur, diverſam eſſe rationem in vitulis adorantium verum Deum, & illorum

lorum in ſimulachris colentium Solem, vel aliud Dei opificium. Atque diſcrimen hoc reſpexit etiam Elias Propheta, cùm 1. Reg. XVIII. 21. ait: *Quouſque claudicaturi eſtis in duabus cogitationibus. Si Jehova eſt Deus, ſequimini eum. Sin autem Baal, ſequimini eum.* Et Rex Jehu 2. Reg. x. 16. cùm Baalis ſervos necaret, ac ſtatuas tolleret, *Vide*, inquit, *Zelum meum pro Jehova.* At idem, qui verum Deum in vitulis adorarent, non ſuſtulit, ſed v. 24. *ſervos Jehovæ* appellat, comparatè videlicet præ Baaliticis cultoribus, & æſtimando eos ex humano propoſito; quod etſi non tollebat idololatriæ crimen, multis tamen partibus levius reddebat, etiam Divina æſtimatione. Non ergo falſum Numen inducendo, ſed verum Numen illicita ratione per ſymbola ei non præcepta, & loco, in quo memoriam nominis ſui Deus non poſuit, colendo, adeóque ex ſymbolis illis idola & falſos Deos faciendo, Jeroboam peccavit. Denique idem judicium ferendum eſt de Idolo Michæ Jud. XVII. ſiquidem mater ejus argentum, unde factum erat ſimulachrum, ſacrificaſſe dicitur *Jehovæ*: & Micham voluiſſe in eo colere Deum Iſraelis, ſatis arguitur v. 13. verbis iſtis: *Nunc novi, Jehovam benefacturum eſſe mihi, eò quòd eſt mihi Levita in Sacerdotem.* Et tamen vetus Interpres, quod Hebraicè תרפים *Theraphim*, dicitur, interpretatur *idolum*.

XVI. Ex his liquidò conſtat, apud Judæos idololatriam fuiſſe non ſolùm cultum idoli, ſeu ſimulachri falſi Numinis; ſed vel falſi cujuſvis Numinis, vel veri Numinis non ita, uti Deus præcepit, culti; puta in imagine, quam diſertè in cultu veri Dei adhiberi Deus prohibuit; neque idololatriæ rationem propriam alia in re magis, quàm in eo conſtitutam fuiſſe, quòd quamvis rem, quæ Deus non fuit, Divino cultu proſecuti fuerint. Atque id ipſum porro etiam Paganorum

Paganorum idololatria quandoque fuit cultus ſummi & veri Dei in imagine.

idololatria comprobat, quæ haud præciſè in eo conſiſtebat, quòd falſi alicujus Numinis ſimulachrum coluerunt. Multi enim Gentiles idololatriæ rei habentur ab omnibus meritò, qui nullis ſimulachris in cultu ſuo uſi ſunt. Veluti Perſæ, qui Herodoto *Hiſtor. lib.* 1. 131. teſte, in faſtigiis montium Cœlo viſibili ſub nomine Jovis, ut & Soli, Lunæ, terræ, aquæ, ventis, abſque omni ſenſibili figura & repræſentatione, ſupplicârunt. Par veterum Romanorum ratio eſt, qui, ſi Varroni & Plutarcho fides eſt, Deoru' ſumorum multitudinem, abſque omni idolo vel imagine, per ducentos ferè annos continuos coluerunt. De priſcis quoque Celtis Tacitus libro de Germania: *Neque cohibere parietibus Deos, neque in ullam oris humani ſpeciem aſſimilare, ex magnitudine cœleſtium arbitrantur. Lucos ac nemora conſecrant, Deorúmque nominibus appellant ſecretum illud, quod ſola reverentia videt.* Et omnino antiquiſſima ac ſimpliciſſima omnium idololatria ſimulachris caruit, quando ἐμφανεῖς καὶ αἰσθητοὶ θεοὶ *conſpicui & viſibiles* illi *Dii*, uti à Græcis apud Origenem *contra Celſum lib.* 5. appellantur, rudem populum ad ſui adorationem pellexerunt ſatis, priuſquam vel arte, vel otio Templa Diis ſuis ædificandi ſtatuáſque erigendi pollerent. Quæ cauſa eſt, quòd ſeriò adeò Deus populo ſuo inculcavit Deut. IV. 19. ne, *cùm ſublatis in Cœlum oculis viderint Solem, Lunam, ſtellas, omnes denique Cœli copias, impelli ſe ad ea adoranda atque colenda ſinerent.* Tum qui inter Gentiles non planè πονηροῦ κόμματος, adeóque moratiores fuerunt, haud planè Deitatis unius ſummi Numinis, Creatoris Cœli & terræ expertes fuerunt, ejúſque unitatem, omniſcientiam, omnipotentiam agnoverunt. *Falluntur*, ita Minutius Felix loquitur, *in nomine, ſed de una poteſtate conſentiunt, qui Jovem principem volunt.* Quàm verò *Jovis* nomen proxi-

proximè ad illud יהוה *Jehovæ* accedit? Et Thebaidos incolas Mundi conditorem coluiſſe, ipſa ſtatua, per quam eum colebant, teſtatur, utpote quæ, uti Pierius *Hieroglyph. lib.* 59. docet, *Hominis imago erat cum ovo ex ore ejus prodeunte*, perinde ac ſi verbo Dei creatum eſſe, mundum inſinuarent. Sed & Dio Chryſoſtomus *Orat.* 12. περὶ τῆς πρώτης τȣ̃ θεȣ̃ ἐννοίας, & Maximus Tyrius *Diſſert.* 38. paganus uterque, apertè profitetur, ſe in ſimulachris aureis, argenteis, eburneis ſupremum rerum omnium conditorem conſervatorémque colere. Summo autem illi Numini, quod generali ſaltem animi complexione intuebantur, religioſum cultum impertientes, altaria, Templa, imagines erigentes, ſacrificia offerentes, vota nuncupantes, omnis retrò antiquitas, ceu idololatriæ manifeſtos reos, damnavit

XVII. Abunde ſic, confido, Bellarmini adverſus Propoſitionem noſtram ἔνςασιν imbellem planè & ficulneam eſſe demonſtravimus. Nunc alio incedentem talo gregalem ejuſdem, Gregorium de Valentia adoriamur. Is enim Bellarminiana latebra neglecta, imagines quasvis Chriſti, Sanctorum, non modò ſimulachra, ſed etiam *idola* eſſe *de Idolol. lib.* 11. 7. haud diſſimulans, effugium turpius, ſed non minùs forte ſuſtinendæ inclinatæ cauſæ neceſſarium quærit, atque, ut Tertulliani *de carne Chriſti cap.* 6. verbis utar, de calcaria in carbonariam pervenit, vel potiùs fumum, quod aiunt, fugiens, in ignem incidit. Negat nempe idololatram, damnatum ſcilicet (nam idololatriam quandam licitam ἀντικατάχρηστος propugnat) eſſe, quiſquis creaturæ Divinum cultum exhibet; atque ita *lib.* 11. 1. idololatriam definit, quòd ſit *impius cultus, quo creaturæ Divinus honor exhibetur, ſic ut Deo.* Quæ clauſula inanis duntaxat eſſet repetitio rei ſignificatæ vocabulo *Divinum*, ſi id ſimpliciter vellet, quod verba uſitatè ſonant.

Greg. de Valentia exceptio adverſus propoſitionem majorem, quòd idololatria ſit non quivis cultus Divinus creaturæ exhibitus, ſed is demum qui ei ut Deo exhibetur, diſcutitur.

Idem enim eſt, honorem habere creaturæ *ſicut Deo*, & creaturæ *honorem Divinum* habere. Unde Thomas Aquinas *in* 2. 2. *quæſt.* 94. *art.* 1. definiens idololatriam, *quòd ſit ſuperſtitio, qua creaturæ Divinus cultus exhibetur*, id confirmat verbis Auguſtini *de Doctr. Chriſti lib.* 11. 20. dicentis, *creaturam in ea coli, ſicut Deum.* Et Catechiſmus Tridentinus *Explicat. præc.* 1. verbis idem ſonantibus, modò, *ſi idola colantur tanquam Deus*, modò, *ſi creatæ rei tribuatur honor Deo debitus*, idololatriam committi docet. Sed Valentianus aſtutè aliud agit, &, ne idololatriæ definitio in Pontificios cadat, quos variis creaturis Divinum honorem impertiri negare non poterat, ad idololatriam neceſſe eſſe ait, ut duo concurrant; *unum, ut quod honoris vel cultus creaturæ tribuitur, id ſoli Deo debitum ſit; alterum, ut hoc, quicquid eſt honoris Divini, ita verè impendatur creaturæ, ſicut Deo impendi oportebat.* Eum porro dicit *verè cenſeri Divinum cultum creaturæ conferre, tanquam Deo, qui eam Divino cultu ſic proſequitur, ut eo, quantum in ſe eſt, velit illi opinionem talem conciliare, qualis revera in ſolam Dei Majeſtatem competit.* Concludit ergo, *cap.* 7. Pontificios idololatriam minimè committere in imaginibus venerandis, *quoniam in cultu Chriſti imaginum, atque adeò etiam crucis honorem quidem uſurpant Divinum; ſed non illum imaginibus ipſis deferunt, ſicut Chriſto Deo ac Domino noſtro. Nam ad Chriſtum is honor pertinet, quatenus illi conciliat exiſtimationem Deo ſoli debitam; ad imagines verò, ut coram illis ejuſmodi exiſtimatio concilietur Chriſto.*

Ratio, qua Valentianus Hierarchiam ab idololatria

XVIII. Qui hanc Hierarchiæ defenſionem altiori mente penſitaverit, is pro vero judicabit, tum antiquas lupas Romanas à meretrice Romana hodierna impudentia multùm ſuperari: tum priſcis cauſidicis & oratoribus

toribus recentes Jeſuitas ingenio antecellere. Juvenalis enim oſtendens, quemadmodum Romanæ nuptæ olim, cùm in adulterio deprehenderentur, ſe defenderint, ſic *Sat.* 6. canit:

defendit, prodit, meretricem Romanam antiquas lupas Romanas; & Jeſuitas priſcos cauſidicos impudentia & ingenio ſuperare multum.

Sed jacet in ſervi complexibus, aut Equitis, dic,
Dic aliquem ſodes hic Quintiliane colorem.
Hæremus. Dic ipſa. Olim convenerat, inquit,
Ut faceres tu quod velles; nec non ego poſſem
Indulgere mihi: clames licet, & mare Cœlo
Confundas, homo ſum. Nihil eſt audacius illis
Deprenſis, iram atque animos à crimine ſumunt.

Jam verò Eccleſia Romana ſponſa Chriſti jacens in complexibus imaginis aut crucis Chriſti, ſe ſpirituali adulterio polluit, dum alteri conjugale debitum præſtat, & creaturæ honorem ſoli Deo debitum tribuit. Niſi ergo frontem Romanis illis lupabus veteribus, quibus tamen audacius nihil Juvenalis putavit; duriorem haberet, ſic ſaltem ſe excuſaret: *Homo ſum, errare poſſum, clames licet, & mare Cœlo confundas.* At ſe errare poſſe præfractè negat; imò Petrum Oxonienſem id negantem damnavit, uti Caranza *Summ. Concil. in Sixto IV.* & Canus *Loc. Theol. lib.* VI. 7. referunt; & quæ in Hiſtoria Papatus, atque ſuperiùs etiam eam in rem narravimus, produnt. Et ad cujus cauſæ defenſionem color nullus Quintiliano Rhetori acutiſſimo, excogitari poſſe videbatur. Ad ſuæ verò defenſionem facilè colorem excogitavit Jeſuita, dicendo, *idololatriam eſſe, honorem Divinum habere creaturæ, ſicut Deo.* Infelicem verò Quintilianum cauſidicum, qui ſic cœcutivit, ut non videret, pro uxore in alieni viri complexibus cubante reſponderi poſſe, *hanc ſolam eſſe genuinam rationem adulterii, obſequium conjugale præſtare alteri, ut conjugi,*

jugi, ſeu marito. Si ergo negaſſet illa, ſe obſequium conjugale alteri hac mente præſtitiſſe, ut pro marito eum haberet; prætexens forte, intentionem ſuam fuiſſe, ut ex ipſo memoriam mariti renovaret, aut in mariti gratiam liberos ſuſciperet; quemadmodum viro talem conjugem habenti quidam apud eundem Juvenalem *Satyr.* 9. dicit;

> *Nullum ergo meritum eſt, ingrate, ac perfide, nullum,*
> *Quòd tibi filiolus, vel filia naſcitur ex me?*

firmiſſimo ſic argumento ſibi, & alteri eam labem, quam utrique immeritò Juvenalis aſperſit, abſterſiſſet, dum hunc *adulteri*, illam *mœchæ* nomine traducit.

Alterutrum duorum, quæ Valentia ad idololatriam requirit, ſcortum Babylonico-Romanum idololatriæ convincit.

XIX. Alterum ergo duorum illorum, quæ requiri ad propriam idololatriæ rationem Valentia dixit, *ut* videlicet *creaturæ Divinus exhibeatur honos*, ſufficit ad ſcortum illud Babylonico-Romanum adulterii ſpiritualis convincendum, quòd Divinum ſe creaturis honorem impertiri, inficias ire non auſit: alterum verò, *ut creaturæ Divinus honos exhibeatur*, *ſicut Deo*, redundat, ut ſtruma, qua executa corpus definitionis integrum relinquitur. Sive proin quis adulteram defendat, cavillando, eam conjugali amore morigerari alieno viro, ſed non ſicut conjugi; dicent ſani omnes, *eam alienum virum amare ſicut conjugem, ſed non ſicut conjugem:* ſive idololatra garriat, ſe Divinum honorem exhibere creaturæ, ſed non ſicut Deo, helleborum ei ut parum ſano optaturi ſunt omnes, utpote dicenti, *ſe creaturam colere ſicut Deum, ſed non ſicut Deum.* Hæc Valentiæ φλυαρῶντος vertigo eſt.

Abſurditas definitionis Valentiæ ulterius oſtenſa.

XX. Sed remiſſè nimis & molliter Jeſuitam hunc habemus, pupillas ei duplices, bicipitíſque monſtri formam, aut ſtrumam definitioni ejus objicientes. Nam & Vatinius ille apud Ciceronem *ad Attic. lib.* 11. *Epiſt.* 10.

10. non obſtante ſtruma fuit verus: & vitulus ille biceps, Saturæ natus, apud Julium Obſequentem *de prodigiis*, fuit verus vitulus: & fœminæ duplicibus pupillis prǽditæ, veræ fœminæ ſunt. Definitio autem Valentiani vera definitio non eſt, quia, prout appendice hoc, *ſicut Deo*, augetur, non omni definito convenit. Idololatria enim in imaginum cultu à multis commiſſa eſt, qui Divinum tamen honorem imagini non tribuerunt ea mente, ut imagini ipſi exiſtimationem conciliarent talem, qualis in Deum competit, ſed ut rei per imaginem repræſentatæ: ſive creaturæ, de qua talis opinio excitanda non eſt; ſive creatori, qui eam hoc modo de ſe excitari Deut. IV. 15. vetuit. Ita Iſraelitas in deſerto, & poſt decem tribus vero Deo exiſtimationem cultu vituli, ceu ſimulachri, & Micham Teraphim ſuorum cultu, conciliare voluiſſe, ſupra aſtruximus. Dionem quoque Chryſoſtomum & Maximum Tyrium, Ethnicos ex eorum ſapientum numero, quos S. Paulus Rom. I. 21. Deum cognoviſſe, non tamen ut Deum glorificaſſe, ſed Dei cogniti gloriam in efformatam hominis imaginem mutaſſe, ſcribit, ſupra laudavimus aſſeverantes, *Summum, primum, maximum Deum, Creatorem & Conſervatorem omnium, à ſe in ſimulachris ex auro, argento & ebore factis coli.* Illi ergo ſua Jovis Olympici à Phidia effícti veneratione Deo, in quo vivimus, movemur & ſumus, non Phidiacæ ſtatuæ exiſtimationem Divinam conciliare geſtientes, non iccirco idololatriæ culpa vacârunt; verùm ceu idololatriæ rei, perinde ut Athenienſes, aureis, argenteis, lapideis ſimulachris, verum Deum colentes Act. XVII. 16. 19. 23. damnabuntur. Etiam Alexandrum Severum Bellarminus *de Eccleſ. Triumph. lib.* II, II. idololatris accenſuit, quoniam Divino honore imaginem Chriſti proſecutus eſt. Et tamen Alexander

der ille, ſi Lampridio in ejus vita fides eſt, non de Chriſti imagine, ſed de Chriſto ipſo, velut *animo ſanctiore*, & cui inter Divos recepto Templum facere cogitavit, exiſtimationem ſoli Deo debitam conciliare voluit. Ipſa quoque Synodus Nicæna *Act 7. epiſt. ad Synod. ad Conſt. & Iren.* anathematizat Neſtorii *idololatriam in homine*, quia ſcilicet Chriſtum Mariæ filium dicebat merum eſſe hominem, quem Divino cultu venerabatur. Unde etiam à Cyrillo *ad Reg. de recta fide* ἀνθρωπολατρείας arguitur. Et tamen Neſtorius Chriſtum opinione ſua hominem tantùm Divinis honoribus afficiendo, talem de Mariæ filio opinionem excitare noluit, qualis in ſolum Deum competit. Par ratio eorum, qui quondam exercitum Cœli, Solem, Baalem in imaginibus coluerunt, qui opinionem ſoli Majeſtati Divinæ convenientem non de imaginibus, ſed de rebus per imagines repræſentatis excitare voluerunt.

XXI. Nihil ergo veriùs Valentianus idololatriam definivit, quàm ſi quis hominem definiret *animal rationale, à Jeſuitis corruptum.* Id ſanè in hominibus multis nimis eheu! verum eſt. Quia tamen per Dei gratiam non omnes homines à Jeſuitis corrupti ſunt, vera hæc hominis definitio eſſe nequit. Aufer voces ultimas, *à Jeſuitis corruptum*, relinques veram ejus definitionem, *animal rationale.* Ita veram habes definitionem idololatriæ, *creaturæ Divinum honorem tribuere*, ſi appendicem Valentiani, *ſicut Deum*, maximè dempſeris.

Omnes ii, quibus præter Deum verum Divinus honor exhibetur, alii Dii ſiunt.

XXII. Cœterùm ii, quibus Divinus honos tribuitur, licet nec verus Deus ſint, nec verum Deum eos eſſe, idololatræ profiteantur, communicatione tamen eorum, quæ Divina ſunt, & ſoli Deo tribuenda fuerant, quantum in idololatris eſt, Dii efficiuntur, ſed אלהי אחרים *Dii alii*, quos coram facie ſua habere, lex

lex Divina prohibuit. *Deus* autem *alius*, qui non ſit Creator Cœli & terræ, eſt לא-יהוה *Non-Jehova, Non-Deus*, Deut. xxxii.27. אליל *res nihili*, *vanitas, nullitas*, quomodo idola dici אלילים quaſi אל אלים *non-Deus* nonnulli arbitrantur. Nullus enim alius verus Deus eſt, quàm qui φύσει θεὸς *natura Deus* eſt, Gal. iv. 8. At omnes *alii Dii*, non natura, ſed tantùm opinione & attributione ſunt Dii, id eſt, Dii precarii & λεγόμενοι. Hinc omnis idololatra neceſſariò divergit ab unitate ad multitudinem, & loco unius Dei aſciſcit multos. Verus enim Deus tantùm unus eſt. Qui autem Divinitatem alii, ſive ille verè ſubſiſtat & exiſtentiam habeat extra mentem, ſive ut figmentum, ab homine pro arbitrio excogitatum, in ſola mente ſtabuletur, attribuit, ſi una verum Deum colit, jam duos Deos habet, & πολύθεος eſt. Et quia in unica creatura abſceſſio hæc rarò, vel nunquam ſubſiſtit (uti ἑνὸς αὐτοῦ δεθέντος τὰ ἕτερα ἕπεται) hinc illa Πολυθεότης, multorum Deorum turba infelici ſatu humani ingenii nata eſt. Atque licet ille, qui omiſſo & præterito creatore creaturam tantùm colit, majoris ſe ſacrilegii reum conſtituat, quàm qui juxta cum creatore, in creaturam præterea animum dividit; tamen & hic præter creatorem creaturam colens verè ſacrilegus & idololatra eſt. Cùm enim ſummus gloriæ ſuæ Zelotes ſit Deus, ſocietatem, vel diviſum imperium non fert, *neque gloriam ſuam dat alteri, neque laudem ſuam ſculptilibus*, Eſai. xlii. 8. Gloria quippe iſthæc excedit captum creaturæ, nullíque communicabilis eſt. Unde qui alteri tranſcribit, quod ſoli Deo proprium eſt, Deum, quantum in ſe eſt, ſpoliat ſua prærogativa, & facit *non-Deum*. Duobus enim tam diſparibus dominis nemo unus ſimul ſervire poteſt, quin aut unum odio habeat, & alterum diligat; aut uni adhæreat, & alterum contemnat,

Matth. VI. 24. Quantum enim datur creaturæ, tantum Deo detrahitur, qui coli & amari non poteſt, niſi *ex toto corde, tota anima, & omnibus viribus.* Sicut enim Concluſio ſemper ſequitur partem deteriorem: ita qui ſervitutem, quam vero domino debet, partitur cum peregrino, magis is contumelia, quàm honore Dominum afficit.

Quicunque talibus Divinum honorem exhibent, idololatræ, Polythei & Athei ſunt.

XXIII. Liquet hinc clariſſimè, omnes eos, qui creaturis, vel præter Deum rei alii, ſive verè ſubſiſtenti, ſive fictæ, Divinum honorem, ſeu id, quod ſoli Deo & revelatio, & recta ratio tribuendum docet, impertiuntur; non tantùm idololatras, ſed etiam polytheos & atheos eſſe. *Idololatras* quidem, ſtylo Scripturæ, & ſaniorum omnium judicio, uti abunde ſupra confirmavimus. *Polytheos*, quia præter vel Deum verum, vel fictitium aliquod Numen colunt *Deos alios*, res videlicet eas, quibus poſt verum Deum Divinitatem tribuunt. Denique *Atheos*, quia ii etiam, qui præter verum Deum res quaſcunque alias Divino cultu afficiunt, neque verum Deum colunt, ſed gloriam ejus, utpote ſolius omnipotentis, Sapientis &c. delibando, ex eo idolum, vel non-Deum, θεὸν λεγόμενον faciunt; adeóque verum Deum nullum colunt, & genuini in mundo Athei ſunt. Qui idololatriæ fructus funeſtiſſimus eſt.

Tranſitur ad aſſumptionis probationem; atque generali ratione docetur, Hierarchiam creaturis Divinum cultum exhibere, & exhibendum præcipere.

XXIV. Aſſerta hactenus, & in arce veritatis collocata Propoſitione, aſſumptio demonſtranda reſtat. Demonſtrabimus autem tum ratione generali, tum ſpecialibus, juxta objecta in propoſitione expreſſa diſtinctis. Ac generalis inde petita eſt, quòd vel omnia, vel nonnulla cultus Pontificii extra cultum unius Dei vagantia objecta, puta Papam, Euchariſtiam, Sanctos, imagines, reliquias, res conſecratas Hierarchia & colit & colenda ſciſcit adoratione, invocatione, fiducia, incurvatione, ſacrificiis, libaminibus, ſuffitu, votis, juramentis,

Digitized by Google

mentis, erectione Templorum, altarium, hymnis. Ille ergo cultus objectis his vel ſingulis vel nonnullis, per omnes illos, quos recenſui modos, ab Hierarchia delatus vel civilis vel religioſus, adeóque Divinus eſt. Civilem eſſe, nemo Hierarchicorum ſuſtinet. Religioſus ergo eſt, adeóque Divinus. Nam religioſum & Divinum cultum eundem eſſe, jam ſupra certis rationibus conſtituimus, atque eadem ratione Hierarchicos Papolatriæ convicimus. Sed ea de re heic exquiſitiùs paulò agendum nobis fuerit, cùm idololatriæ Hierarchicorum demonſtratio clariſſima, addo & compendioſiſſima inde pendeat.

XXV. Hierachici ergo ad palliandam idololatriam ſuam perbellam nobis hiſtoriam concinnârunt, nempe tot eſſe genera honoris, ſeu cultus, quot ſunt excellentiarum. At genera excellentiarum tria eſſe, Divinum, Humanum & Medium, inter humanum ſcilicet & Divinum. Divinus illis cultus *Latriæ*, humanus *civilis* ſeu *ſocietatis*, medius *duliæ* nomine venit. Illum ſoli Deo, & relativè ejus Vicario, Papæ, Vice-Deo, nec non ejus imaginibus; iſtum ſolis hominibus nondum Deificatis, hunc hominibus Deificatis, quos Sanctos appellant, eorúmque imaginibus relativè, deberi pertendunt. Addunt recentiores Mariolatræ Medium principaliorem *Hyperduliam*, ſoli Deiparæ, & relativè ejus imaginibus debitum. Quantò verò rectius & à fraudulentia remotius fuerat juxta diſtinctionem & oppoſitionem immediatam Creatoris & creaturæ, rei infinitæ & finitæ honorem omnem & cultum bipartiri, in religioſum & civilem; quorum ille Deo Creatori, hic creaturæ convenit. Sic enim, qualem cultum duliam vel hyperduliam facerent, cognoſcere integrum fuiſſet. Nam cultum civilem eſſe, utpote ab eo diſtinctum, pernegant. Religioſum ergo facere debuiſſent. Atqui ille

Sicut inter excellentiam increatam & creatam media nulla: ita inter cultum Divinum ſeu religioſum & civilem medius, qui religioſus etiam ſit, datur nullus. Et ſi daretur medius, civilis ille potius, quàm religioſus foret.

ille non alius, quàm Divinus eſt, quia religio propriè eſt cultus Numinis, adeóque jure ad ſolum Deum pertinet, adeò quidem ut quoties alii, quàm Deo tribuitur, in ſuperſtitionem & idololatriam ilico degeneret. Quòd ſi mediam quandam excellentiam, adeóque medium etiam cultum conſtituere libuit, profectò ille civilis potiùs, quàm religioſus conſtituendus fuerat, quia duas excellentias, increatam & creatam, quas inter diſtantia infinita intercedit, longè abſurdius eſſet uno communi religioſo, quàm duas excellentias, puta Angelorum Sanctorúmque hominum, & hominum purorum, militantium adhuc, utramque finitam, adeóque ad ſe invicem infinito propiùs accedentem, uno communíque *civilis* cultus complexu jungere. Sicut infinita & finita excellentia miſceri nullo modo poſſunt, ita neque medius quidam cultus inſtitui religioſus poteſt. Vel enim de extremis participaret, vel utrumque negaret. Non prius, quia Deus honorem ſuum vel univerſum vel partem ejus nemini alii dat. Nòn poſterius, quia ſicut nihil eſt, quod non finitum vel infinitum ſit, ita medius cultus, neutra excellentia participans, excogitari nequit. Quinimò ſi media quædam excellentia, & medius cultus daretur, is tum excellentiæ, tum cultus civilis nomine longè & concinniùs & tutiùs veniret, quia Sancti glorificatíque Angeli & homines pii ſunt σύνδουλοι καὶ συμπολῖται, *conſervi* & *concives* ejuſdem Hieroſolymæ, quæ à Cœlo ad terram uſque pertingit, juxta illud S. Pauli Hebr. XII. 22. 23. *Acceſſiſtis ad Sion montem, civitatem Dei viventis, Hieroſolymam Cœleſtem, Myriadas Angelorum, Spiritus hominum perfectorum.* Omnia enim *in Chriſto recapitulata ſunt, quæ in Cœlis, & quæ in terra ſunt*, Epheſ. I. 10. Per ipſum Deus *reconciliavit omnia in ipſum, pace facta*

ta per ſanguinem crucis ejus ; ſive quæ in terra ſunt, ſive quæ in Cœlis, Col. I. 20. Unde jam πολίτευμα, *jus civitatis noſtrum in Cœlis eſt*, Phil. III. 20. Unde planè conſtat, Sanctos & Angelos cœlites, Hominéſque pios in terris militantes una politia, ſocietate gaudere, cives eſſe ejuſdem civitatis. Aſt verò συμπολῖται concives ſibi mutuò non *religioſum* utique, qualis Deo convenit, ſed *civilem* honorem cultúmque, qui mutuæ dilectionis eſt, præſtant.

XXVI. Addo inter Angelos, Sanctos & homines militantes maximam eſſe συγγένειαν, arctiſſimámque cognationem. Sancti enim homines glorificati & militantes præterquam quòd ejuſdem ſpeciei ſunt; etiam gratiæ iiſdem collatæ ejuſdem generis, licet quoad menſuram earum varient. Utrique per unum ſpiritum in unum corpus baptizati filii Dei ſunt, adeóque ſupernaturali conditione participant. Quomodo ergo honor iis debitus totò genere ſic differre poteſt, ut glorificatis religioſus, militantibus civilis exhibeatur? Cúmque Angelum inter & glorificatum hominem nihil admodum diſcriminis intercedat, manifeſtum eſt, non magis Angelo, quàm glorificato homini à pio homine militante religioſum honorem deberi.

Religioſum cultum omnem Angelus præſens Apoc. XIX. 10. repudiavit.

XXVII. Hinc adeò pii homines militantes Angelorum σύνδουλοι *conſervi* dicuntur Apoc. XIX. 10. ubi ſic Angelus ad S. Johannem coram eo procidentem, & adoraturum: *Vide, ne feceris, conſervus tuus ſum & fratrum tuorum, qui habent teſtimonium Jeſu. Deum adora.* Si religioſum cultum repudiavit Angelus præſens, ea ratione, quòd *conſervus* ſit, quantò magis abſens repudiaturus eundem fuerat. Si cultus ille oblatus *latria*, non *dulia* fuit, cur non Angelus dicebat potiùs, *Creatura ſum ſicut tu es*,

 quàm,

Digitized by Google

quàm, *ego conſervus tuus ſum.* Quo certè dicto apertè innuit, ſervum à conſervo adorari, vel religioſè coli neutiquam debere. Quòd ſi putavit Angelus, *duliam* quandam religioſam ſibi à conſervo præſtari poſſe, (quanquam abſurdiſſimum eſt, conſervum alterius conſervi ſervitutem paciſci vel admittere velle) an putabimus Angelum illum non ea charitate polluiſſe, ut ἐπιεικῶς interpretaretur honorem à S. Johanne ſibi delatum de honore licito duliæ? Inprimis cùm coram Angelis proſterni, ab honore duliæ haud alienum eſſe, adverſarii pertendant. Sed diſtinctio profectò *duliæ* & *latriæ* adeò quidem ſubtilis eſt, ut etiam Angelus ὀξυδερκέστατος in cultu religioſo rimam vel fiſſuram tenuiſſimam videre non potuerit, qua ſic ille diſrumpi dividique poſſet, ut vel minimam ſibi, utpote non Deo, ſed creaturæ, particulam vendicare poſſet. Manifeſtiſſimè ergo tum ex ſenſu Scripturæ, tum ex infinita inæqualitate ac diſtantia inter Creatorem & creaturas, exiguáque inter creaturas ipſas, liquet, cultum illum, quem ſibi mutuò creaturæ deferunt, merè civilem, non religioſum eſſe.

Religioſus dulia vel hyperduliæ cultus ad nullam Dei legem referri poteſt.

XXVIII. Accedit; quòd religioſus quiſpiam duliæ cultus ad legem Dei, qua cultus religioſus haud dubiè determinatur, referri nequit. Vel enim refertur ad legis Divinæ tabulam priorem, vel poſteriorem. Atqui referri non poteſt ad *priorem*, quia ejus objectum ſolus Deus eſt. Creaturæ autem nullæ Deus ſunt. Et ſanè tam non priore tabula cultus ille præcipitur, ut potiùs interdicatur verbis: *Non habebis Deos alios coram me. Non facies tibi ſculptile. Ego Zelotes* ſum. Neque etiam referri poteſt ad *poſteriorem*, quæ officia erga proximum complectitur. Quòd ſi verò Angeli Sanctique proximi noſtri ſunt, quo jure religioſum cultum vel depaciſci, vel admittere, vel iis talis offerri poteſt?

poteſt? Neceſſum ergo fuerit tertiam quandam comminiſci tabulam, adeóque legi Divinæ, ceu imperfectæ, ἐπιδιατάσσεσθαι, adjicere; atque eundem in finem quoddam etiam tertium objectum legis, quod nec Deus, nec proximus, nec Creator, nec creatura ſit, confingere.

XXIX. Denique & Chriſtus, & S. Paulus religioſi cultus unitatem demonſtrant. Chriſtus enim Diabolo προσκύνησιν ſeu adorationem poſtulanti reſpondit: *Adorabis Dominum Deum tuum, & ei ſoli ſervies*, Luc. IV. 8. Certè adorationem non petiit Sathanas, ceu Supremum Numen, qualem latriæ nomine Hierarchici venditant. Satis enim ipſe Sathanas profeſſus eſt, quòd ſupremum Numen haberi neutiquam deſideret, dicens *v. 6.* ὅτι ἐμοὶ παραδέδοται, quia *mihi datum eſt*, Regna ſcilicet diſtribuere pro lubitu. Datorem ergo ſe ſuperiorem, Deum videlicet, agnoſcit. Talem ergo adorationem, talem cultum religioſum à Chriſto ſtipulari voluit, qualem præſtari noverat multis Diis gentium, citra notionem Supremi. Chriſtus verò ejusmodi etiam cultum deteſtatus, & ſolum Deum adorare jubens, manifeſtè illum duliæ cultum rejicit, & adorationem univerſam ad unum ſolúmque Deum contrahit. S Paulus quoque Divinitatem Chriſti demonſtraturus, illa Pſaltis repetit: *Et adorent eum omnes Angeli*, Hebr. I. 6. Si duo ſunt adorationis, & cultus religioſi genera, parùm certè, vel nihil pro Divinitate Chriſti verba illa ſtrinxiſſent. Neque etiam vel Ariani, vel Neſtoriani, Chriſtum filium Mariæ merum hominem confeſſi, ſimulque adorantes, à veteribus Conciliis, ceu ἀνθρωπολάτραι jure damnati eſſent, ſiquidem religioſa quædam adoratio creaturæ locum habere poſſet. Satis enim conſtat, illos Chriſtum ut hominem, non ut Deum adoraſſe.

Ejuſdem vanitatem Chriſtus Luc. IV. 8. & S. Paulus Hebr. I. 6. demonſtrant.

XXX.

Religioſus cultus unicus, idémque Divinus eſt, quo Divinam excellentiam per ſigna propria eidem ſignificandæ inſervientia recognoſcimus.

XXX Unicus ergo cultus religioſus eſt, uni ſolíque Deo in quem religio omnis ferri debet, præſtandus. qui nihil aliud eſt, quàm *devota quædam recognitio Divinæ excellentiæ, Majeſtatis, Nominis, & proprietatum, per ſigna propria recognitioni eidem ſignificandæ inſervientia.* Quæ ſigna, ſi quando, præter animi ſententiam, per vim metúque adacti aliis, quàm ſoli Deo, nonnulli exhibuerunt; uti ſanè quondam Chriſtiani thurificati fecerunt, & hodiéque nonnulli, idolo Panaceo litare coacti, faciunt, craſſiſſimæ idololatriæ crimine ſeſe obſtrinxerunt, & obſtrinxiſſe ſe, meritò crediti ſunt, & hodiéque creduntur. Alioquin enim ad idololatriæ crimen compelli nemo poſſet, cùm interior animi ſententia, & Divinæ Majeſtatis recognitio vim pati externam minimè poſſit. Sicut blaſphemiæ damnas cenſeretur, quiſquis vocem hanc ſibi extorqueri pateretur, Chriſtum filium Dei impoſtorem eſſe, licet horribilem vocem interiore animi ſenſu quàm maximè deteſtaretur: ita idololatriæ reus non minùs cenſebitur, quiſquis ſigna recognoſcendæ Divinæ excellentiæ propria, etiam præter animi ſententiam, vi externa ſubactus, non Deo applicaret. Unde planè conſequens eſt, nullos eſſe gradus vel ſpecies religioſi cultus, ſic ut alius dulia, alius hyperdulia, alius latria cenſeatur; ſed unicum eſſe cultum religioſum, latriam. Signa enim externa Divinæ Majeſtati recognoſcendæ idonea, qualia ſunt adoratio, invocatio, incurvatio, juramenta, vota, ſacrificia, templa, &c. propria eſſe debent; adeóque, quod in dulia & hyperdulia fit, in creaturam nullam transferri poſſunt. Alioquin enim cùm de recondita animi notione nemini certò conſtet, nullum unquam de idololatria ferri judicium poſſet. Et ſi ſigna talia religioſo affectu Deo & creaturæ præſtari,

adeó-

adeóque communia eſſe poſſent, jam in cultu ſaltem externo inter venerationem Dei & creaturæ nulla profecto differentia ſtatui poſſet. quod quantum honori & Majeſtati ſupremæ Dei deroget, pii omnes judicent.

Propria religioſi cultus ſoli Deo debiti ſigna recenſentur.

XXXI. Propria porro religioſi cultus, ſoli Deo, ad infinitam ejus Majeſtatem recognoſcendam, debiti ſigna haud dubiè ea ſunt, quæ Divina declaratio, accedente vel omnium gentium conſenſu, vel particularium conſuetudine, vel ipſius rei naturali ſignificatione, religioſo Dei cultui vendicat. *Sacrificia* quidem *libamina* & *ſuffitus* Divini cultus ſigna propria eſſe, gentium conſenſus eſſe voluit. Quæ tamen propriè dicta cùm pridem exoleverint, neque apud Chriſtianos unquam obtinuerint, reliqua ſigna tantò arctiùs uni ſolíque Deo devincient evehéntque altiùs. *Juramenta* ſoli Deo præſtanda eſſe, tum ex Deut. VI. 13. X. 20. Eſai. LXV. 15. 16. Jerem. IV. 2. V. 7. tum ex gentium conſenſu conſtat. Parem eſſe *votorum*, ut & *invocationis*, *adorationis*, petitioníſque adeò Spiritus S. remiſſionis peccatorum, & vitæ æternæ, rationem ſupra oſtendimus. Sicut enim ex eo, quòd Deus ſolus author & largitor eſt beneficiorum ſpiritualium univerſorum, is, qui res adeò ſublimes à creatura poſcit, virtutes Dei ἐξαιρέτως in ea creatura agnoſcit: ita etiam is, qui abſentem Angelum vel Sanctum invocat, in utroque omniſcientiam & omnipræſentiam, Deo ſoli eximias proprietates, agnoſcit. Addo etiam petitionem earum rerum, quas creaturæ largiri poſſunt, ſi in Templo & apud altare, vel à Sanctis & Angelis abſentibus, atque in vota vocatis, depoſcantur, idololatriæ crimine non vacaturam, quia & Divina & humana jura Templorum atque altarium erectionem pro precibus, votis & ſacrificiis, Divini

cultus ſigna propria conſtituunt. *Incurvatio* civili & religioſo cultui communis, ſignum tamen proprium religioſi & Divini cultus evadere poteſt. Puta ſi dirigatur vel verſus ſpiritum quempiam inviſibilem, etiam dum inviſibilis eſt, quia ſic ubiquitas, incommunicabilis Dei excellentia, in illo agnoſceretur (ubique enim Deo incurvare nos poſſumus non aliam ob cauſam, quàm quia ubique præſens eſt) vel verſus imaginem cujvis creaturæ, præſertim in Templo, vel ſuper aleare, erectam; ex ſententia infallibilis Dei, vetantis incurvare nos imagini, eámque colere; nec non gentium etiam, quando incurvatio fit Spiritus alicujus inviſibilis repræſenſentationi viſibili in imagine, vel ſimulachro. Denique & *hymni*, ſeu *cantica* in honorem rei decantatæ ſic compoſita, ut epitheta incommunicabiles Dei excellentias ſignificantia inſerantur, cultus Divini ſigna propria fiunt.

Nil refert, qua σχέσει, amicorum an inimicorum Dei, creaturis cultus Divinus deferatur.

XXXII. Neque quicquam hic refert, qua *σχέσει* ſigna hæc religioſi & Divini cultus creaturis applicentur. Quomodo Hierarchici idololatriam ſuam hac ferè ceruſſa incruſtare ſolent, quòd non utique Venerem, Neptunum, Martem, ſed amicos Dei Deiparam, St. Petrum, S. Paulum colant. Quid enim? An Bilhah Jacobi uxor adulterii & inceſtus rea non fuit, quia non cum inimico quopiam Jacobi, ſed cum filio ejus Rubene, qui Patris imago viva fuit, rem habuit, Geneſ. xxxv. 22. An iccirco Jacobus torum conjugalem non profanatum eſſe cenſuit? Aliter ipſi viſum eſſe, ex Geneſ. xlix. 4. planè conſtat. Ponamus etiam, potentem Principem quempiam adverſus adulterium ſeveram legem ſanxiſſe, atque adulterii reum ſic ſe apud Principem defendere: *Equidem, auguſte Princeps, fateor, me adulterio me polluiſſe. Cæterùm expendas rogo, quàm excuſatè peccaverim. Non enim cum profligati pudoris*

proſtibulo rem habui, ſed cum Filia, Sorore, nepte tua. Annon defenſio ejuſmodi animum Principis ad majorem indignationem adverſus inſignitam adeò impudentiam accenderet? Sed de eo quicquid ſit, religioſum cultum nulli omnino creaturæ, qualiſcunque ea ſit, citra læſæ gloriæ & Majeſtatis Divinæ crimen præſtari poſſe demonſtravimus.

XXXIII. Neque etiam Hierarchicos à fœda idololatriæ labe purgat pervulgatus ille, & verè Babylonicus fucus à Nicænis & Tridentinis Patribus, iconolatriam ſtatuminantibus, obductus, quòd omnis creaturæ cultus ad Dei, & Prototypi honorem referatur; adeóque illi cultu creaturarum non *abſoluto* & *terminativo*, ſed *relativo* & *tranſitivo* (hoc enim peregrino idiomate peregrina mulier loqui amat) defungantur. Hæc quidem defenſio cultum imaginum Dei & Chriſti tangit; ad cultum Sanctorum adeóque etiam imaginum eorum non tangit. Manebit ergo ſaltem in Sanctorum & imaginum, reliquiarúmque eorum cultu idololatria. Sed judicent etiam omnes ſana ratione præditi ex communi ſenſu & pervulgata hominum omnium intelligentia, an cultus per ſe illicitus, verbo Dei interdictus, & objecto indebito præſtitus, ob ſolam relationem ad objectum debitum & congruum excuſari poſſit? Quid quæſo indignum magis quàm cultum Divinum, etiam qui latriæ eſt, ſtipiti lapidíque, qui imago vel idolum vulgo vocatur, tribuere? Quæ *latria* imagini vel *idolo* exhibita maximè propriè *idololatria* vocatur. Si ergo latria idolo, objecto adeò impensè incongruo, cum relatione ad objectum congruum, ritè exhiberi poteſt, jam *idololatria* vel iconolatria *relativa* licita erit. Quod perinde eſt, ac ſi quis diceret, homicidium, vel adulterium relativum licitum eſſe. Jam ergo fas piúmque fuerit innocentem occidere eo

Neque idololatriam purgat fucus ille, quòd cultus creaturarum non abſolutus ſed relativus ſit, & in prototypa tranſeat.

m 2 con-

conſilio, ut iram adverſus nocentem, qui mortem meruerat, evomas: cum muliere aliena conſueſcere, ut abſentis conjugis ſuavem ſcilicet memoriam recolas. An hoc homicidium, adulterium relativum craſſum & nefarium homicidium, adulterium eſſe deſinet? An deſtinata ejuſmodi relatio ſpecificam facti turpitudinem tollit, quò minùs idololatria γνήσιος committatur?

Ne quidem latria ad prototypa tranſire poteſt.

XXXIV. Addo ne quidem latriam in cultu tali ad prototypon tranſire, ſed in idolo terminari, adeóque planè abſolutam eſſe, quia latria ultra tranſire verè ac realiter nequit, ſed illic finitur, in relatione ad Deum latria eſſe deſinit, ſpeciémque cultus mutat, & contumeliæ, inobedientiæ, ignominiæque adverſus Deum, qui coram imagine incurvari, eámque colere vetuit, actus evadit. Neque poteſt intentio colentis naturam actus vetiti mutare, quò minus actus ſit ignominiæ adverſus Deum. licet evitari nequeat, quin Deus actus illius objectum ſit, ſed ſub ignominiæ ſpecificatione, quod ajunt. Perinde ut in Medico fit, qui propinata potione lethifera ægrotum curare intendit, at revera perimit. ubi ægrotus, quicquid etiam Medicus intenderit, Medici quidem objectum eſt. at perimentis, non curantis. Unus nempe idémque actus contrarias reſpectu diverſorum objectorum ſpecificationes, adeóque etiam terminationes contrarias habere poteſt. Quomodo idem roſæ odor uni ſuavis, inſuavis alteri contingere poteſt. ubi unus actus eſt, diverſum objectum, contraria terminatio. Præterea cultum vitulorum Aharonis & Jeroboami, nec non Teraphim Michæ relativum, non abſolutum fuiſſe conſtat. Nam in vitulis & Teraphim unum verúmque Jehovam, Deum Iſraelis coluerunt. Quo quidem non obſtante idololatriæ reos eos Spiritus Dei peragit, quia ſymbola cultus, & ſpecialiter præſentis cum iiſdem Numinis ſolus Deus conſtituere poteſt.

Con-

Digitized by Google

Conſtituta autem ab homine ut per eadem religioſè Deus colatur, cùm non recipiat Deus, idola ſunt, & qui per ea Deum religioſè colit, idololatra eſt. Atque gentilium plurium cultum relatum fuiſſe ad Supremum Numen, ceu Prototypon, ſupra probavimus! Neque tamen ideo craſſæ idololatriæ culpa illi vacarunt.

Et cultus ille relativus imaginibus proprius eſſe debet.

XXXV. Accedit, quòd cultus ille relativus imaginibus proprius eſſe debet. Nam prototypi certè cultus juxta adverſarios ipſos non eſt relativus, ſed abſolutus. Atque cultum relativum ejuſmodi ſi imaginibus non deputaſſent, ſed eo ſolo cultu, qui iis ad prototypon non relatis debitus eſt, afficiendas ſtatuiſſent, quàm quæſo cultus ille exilis viliſque, ludicrus, imò nullus foret? Non potuerunt non ergo iconolatræ relativum imaginibus cultum decernere. Sed non poteſt non etiam is cultus relativus imaginum eſſe proprius. Cúmque ſic & religioſus, & Divinus ſtatuatur, idololatria pura atque puta eſt. quippe cultus Divinus, religioſus, relativus, creaturis appropriatus.

Scholaſticorum de cultu proprio imaginum diſſidia.

XXXVI. Denique Theologi Scholaſtici de cultu imaginum diſputant. Quorum alii, velut Alexander Durandus, Alphonſus, Caſtrenſis &c. non imagines, ſed coram imaginibus exemplar; alii, Thomas Cajetanus, Bonaventura, Marſilius. Capreolus, &c. craſſiùs eodem, quo prototypon, cultu imagines colendas ſciſcunt. Hodie plerique, Bellarminum ſecuti, cultum imaginum proprium paulò minorem eſſe, quàm exemplaris, ejuſmodi tamen, qui analogicè reductivè ad cultum exemplaris referatur. Nulli horum ab idololatriæ crimine ſe purgaverint unquam. Non *primi*, quia contra interdictum Divinum coram imaginibus ſe incurvant tamen, & *Sanctos* ſaltem coram imagine proſtratos exaudire, adeóque omniſcios vel omnipræſentes eſſe ſupponunt. Non *ſecundi*, quia eodem cultu Deum & imagines

proſequi, palpabilis idololatria eſt. Non *tertii*, quia qualiſcunque ille cultus inferior & analogicus imaginum ſtatuitur, opinione ipſa colentium non civilis, ſed religioſus adeóque Divinus ſemper eſt. Atqui cultus religioſus & Divinus imaginum idololatria eſt.

Argumenti generalis nervus adſtringitur.

XXXVII. Jam ergo Hierarchicos creaturis quibuſdam Divinum cultum exhibere, quod aſſumptio noſtra ſtatuit, generali argumento, hactenus deducto, planè ad liquidum perduximus. Fatentur enim, ut nervum argumenti colligam, Hierarchici, cultum illum, quem creaturis nonnullis, Papæ, Euchariſtiæ, Sanctis, reliquiis, rebus conſecratis exhibent, non civilem, ſed religioſum eſſe. Cultum porro religioſum eundem Divinum, ſolíque Deo debitum eſſe, atque inſuper externa cultus illius ſigna ceremoniáſque cultus Divini, quo ſolus Deus proſequendus eſt, proprias eſſe, argumentis irrefragabilibus firmavimus; denique ſuum etiam meretrici peregrinæ fucum abſterſimus. Quis ergo cultum ab Hierarchicis creaturis nonnullis exhibitum Divinum eſſe, inficias ire ampliùs auſit? Cùm proin omnem cultum Divinum creaturis exhibitum idololatriam eſſe, firmiſſimis quoque rationibus præoccupaverimus, Hierarchiam idololatriam committere, & populum ſibi obnoxium ad eandem ſeducere, Jubare meridiano clarius eſt.

Specialis demonſtratio Aſſumptionis ubi Hierarchicorum idololatria juxta ſpecies creaturarum in ea expreſſas, in Papolatriam (de qua ſupra)

XXXVIII. Poteramus ſanè in generali demonſtratione Aſſumptionis noſtræ, utpote omni exceptione majore, & convincendæ Hierarchicorum idololatriæ efficaciſſimâ, acquieſcere. Lubet tamen abundantioris certitudinis gratia, ad ſpecies idololatriæ Hierarchicorum deſcendere, atque eaſdem ſtrictim exponere. Et tanta quidem eſt Hierarchicorum idololatria, ut omnes idolomanias in Eccleſia Romana vigere, veriſſimè affirmemus. Non quòd ei vel portentorum Ægypti,

gypti, vel idolorum omnium, quæ olim hodiéque Judæi & gentes coluerunt, cultum attribuamus. Hoc unicè contendimus meritò, nullam eſſe idololatriæ ſpeciem, qua ſe Eccleſia Romana non polluat fœdiſſimè. Is enim idololatricus cultus eſt, vel quo Deus verus in imagine colitur; quomodo Judæi in deſerto, & Jeroboam cum aſſeclis ſuis Deum verum in vitulis coluerunt: vel quo falſus colitur Deus; quomodo peccato Jeroboami etiam Baalis cultum populus adjecit, & veteres pagani ſidera Cœli coluerunt: vel quo falſus Deus inſuper in imagine colitur; qui cultus fuit ſtatuæ Nebucadnezaris. Omnes hæ idololatriæ ſpecies apud Hierarchicos in uſu ſunt. Deum in imaginibus colunt: falſos colunt Deos, panem Euchariſticum, crucem, Papam, Sanctos, qui verus Deus non ſunt: denique crucem in imaginibus crucis, Sanctos in ſtatuis adorant. Nos juxta ſpecies creaturarum in Aſſumptione expreſſas, puta *Papam*, *Euchariſtiam*, *Sanctos*, *imagines*, *reliquias Sanctorum* & *res conſecratas*, Hierarchicorum idololatriam commodè in Papolatriam, Artolatriam, Hagiolatriam, Iconolatriam, Lipſanolatriam & Hierolatriam partimur. De Papolatria ſatis ſuperque ſupra nobis actum. Reliquas ſpecies paucis perſtringere juvabit.

Artolatriam, Hagiolatriam, Iconolatriam, Lipſanolatriam & Hierolatriam diſtinguitur.

XXXIX *Artolatriam*, ſeu adorationem Panacei Numinis in Euchariſtia, ejuſmodi idololatriam eſſe, in quam, ceu Mare quoddam mortuum, omnes ſuperſtitiones Pontificiæ ſeſe exonerant, ſcitè Anglus Dunelmenſis Epiſcopus quondam dixit. Eſt enim cultus Pontificii externi apex, prora & puppis. De quo Concilii Tridentini Patres *Seſſ.* XIII. *cap.* 5. ſic loquuntur, definiúntque: *Nullus dubitandi locus relinquitur, quin omnes Chriſti fideles, pro more in Catholica Eccleſia ſemper recepto, latriæ cultum, qui vero Deo debetur, huic Sanc-*

Artolatria mare mortuum eſt. De Euchariſtia cultu definitio Tridentinorum ex qua idololatria Hierarchicorum demonſtratur.

proſequi, palpabilis idololatria eſt. Non *tertii*, quia qualiſcunque ille cultus inferior & analogicus imaginum ſtatuitur, opinione ipſa colentium non civilis, ſed religioſus adeóque Divinus ſemper eſt. Atqui cultus religioſus & Divinus imaginum idololatria eſt.

Argumenti generalis nervus adſtringitur.

XXXVII. Jam ergo Hierarchicos creaturis quibuſdam Divinum cultum exhibere, quod aſſumptio noſtra ſtatuit, generali argumento, hactenus deducto, planè ad liquidum perduximus. Fatentur enim, ut nervum argumenti colligam, Hierarchici, cultum illum, quem creaturis nonnullis, Papæ, Euchariſtiæ, Sanctis, reliquiis, rebus conſecratis exhibent, non civilem, ſed religioſum eſſe. Cultum porro religioſum eundem Divinum, ſolíque Deo debitum eſſe, atque inſuper externa cultus illius ſigna ceremoniáſque cultus Divini, quo ſolus Deus proſequendus eſt, proprias eſſe, argumentis irrefragabilibus firmavimus; denique ſuum etiam meretrici peregrinæ fucum abſterſimus. Quis ergo cultum ab Hierarchicis creaturis nonnullis exhibitum Divinum eſſe, inficias ire ampliùs auſit? Cùm proin omnem cultum Divinum creaturis exhibitum idololatriam eſſe, firmiſſimis quoque rationibus præoccupaverimus, Hierarchiam idololatriam committere, & populum ſibi obnoxium ad eandem ſeducere, Jubare meridiano clarius eſt.

Specialis demonſtratio Aſſumptionis ubi Hierarchicorum idololatria juxta ſpecies creaturarum in ea expreſſas, in Papolatriam (de qua ſupra)

XXXVIII. Poteramus ſanè in generali demonſtratione Aſſumptionis noſtræ, utpote omni exceptione majore, & convincendæ Hierarchicorum idololatriæ efficaciſſima, acquieſcere. Lubet tamen abundantioris certitudinis gratia, ad ſpecies idololatriæ Hierarchicorum deſcendere, atque eaſdem ſtrictim exponere. Et tanta quidem eſt Hierarchicorum idololatria, ut omnes idolomanias in Eccleſia Romana vigere, veriſſimè affirmemus. Non quòd ei vel portentorum Ægypti,

Digitized by Google

gypti, vel idolorum omnium, quæ olim hodiéque Judæi & gentes coluerunt, cultum attribuamus. Hoc unicè contendimus meritò, nullam eſſe idololatriæ ſpeciem, quâ ſe Eccleſia Romana non polluat fœdiſſimè. Is enim idololatricus cultus eſt, vel quo Deus verus in imagine colitur; quomodo Judæi in deſerto, & Jeroboam cum aſſeclis ſuis Deum verum in vitulis coluerunt: vel quo falſus colitur Deus; quomodo peccato Jeroboami etiam Baalis cultum populus adjecit, & veteres pagani ſidera Cœli coluerunt: vel quo falſus Deus inſuper in imagine colitur; qui cultus fuit ſtatuæ Nebucadnezaris. Omnes hæ idololatriæ ſpecies apud Hierarchicos in uſu ſunt. Deum in imaginibus colunt: falſos colunt Deos, panem Euchariſticum, crucem, Papam, Sanctos, qui verus Deus non ſunt: denique crucem in imaginibus crucis, Sanctos in ſtatuis adorant. Nos juxta ſpecies creaturarum in Aſſumptione expreſſas, puta *Papam, Euchariſtiam, Sanctos, imagines, reliquias Sanctorum* & *res conſecratas*, Hierarchicorum idololatriam commodè in Papolatriam, Artolatriam, Hagiolatriam, Iconolatriam, Lipſanolatriam & Hierolatriam partimur. De Papolatria ſatis ſuperque ſupra nobis actum. Reliquas ſpecies paucis perſtringere juvabit.

Artolatriam, Hagiolatriam, Iconolatriam, Lipſano-latriam & Hierolatriam diſtinguitur.

XXXIX *Artolatriam*, ſeu adorationem Panacei Numinis in Euchariſtia, ejuſmodi idololatriam eſſe, in quam, ceu Mare quoddam mortuum, omnes ſuperſtitiones Pontificiæ ſeſe exonerant, ſcitè Anglus Dunelmenſis Epiſcopus quondam dixit. Eſt enim cultus Pontificii externi apex, prora & puppis. De quo Concilii Tridentini Patres *Seſſ.* XIII *cap.* 5. ſic loquuntur, definiúntque: *Nullus dubitandi locus relinquitur, quin omnes Chriſti fideles, pro more in Catholica Eccleſia ſemper recepto, latriæ cultum, qui vero Deo debetur, huic* Sanc-

Artolatria mare mortuum eſt. De Euchariſtia cultu definitio Tridentinorum ex qua idololatria Hierarchicorum demonſtratur.

Sanctiſſimo Sacramento in veneratione adhibeant. Poſtea *Canone VI. Si quis dixerit*, inquiunt, *in Sancto Euchariſtiæ Sacramento, unigenitum Dei filium non eſſe cultu latriæ etiam externo adorandum, &c. & ejus adoratores eſſe idololatras, anathema ſit.* Quæ duo non ſonant idem. Non enim idem eſt, *Sacramentum eſſe adorandum*, & *Chriſtum in Sacramento eſſe adorandum*; cùm *cap. V.* Synodus Sacramentum adorandum à Chriſto diſtinguat. Aſſerit enim, in *Sacramento* illo cultu latriæ venerando, Chriſtum Dominum ac Deum noſtrum *præſentem adeſſe.* Atqui in quo quid præſens eſt, non poteſt idem eſſe cum eo, quod in ipſo *præſens adeſt.* Cùm igitur ſi à Chriſto diſceſſeris, ex Hierarchicorum hypotheſi non aliud ſit in Euchariſtiæ Sacramento, quàm viſibilia panis & vini accidentia, tam tenui videlicet & levi rei, qua vix quicquam in tota rerum univerſitate longiùs à Deo diſtat, imò quæ, ſi rectè rem putemus, nihil eſt (accidentia enim à ſubjecto ſeparata nihil ſunt) Diviniſſimum illum latriæ cultum decernunt. Neque ſatis Synodum purgat Pallavicinus *Hiſt. Conc. Trid. lib.* XII. 7: 6. aſſerens, *Chriſtum in Sacramento eſſe dici, non ut aquam in vaſculo, ſed ut partem in toto cujus pars eſt.* Quia Synodus Chriſtum in Sacramento non eſſe ſimpliciter, ſed *præſentem adeſſe* dicit; quæ verba non partis in toto, ſed contenti in continente, locati in loco exiſtentiam ſonant. Si ergo verba capitis quinti, uti manifeſtè ſonant, accipiantur, non aliud Synodus decreverit, quàm ut *Sacramentum* Euchariſtiæ, quatenus à Chriſto, qui in eo præſens adeſſe dicitur, illud diſtinguitur, hoc eſt, accidentia panis & vini, quæ ipſa etiam formalem Sacramenti hujus rationem facere, Vaſquez, Soto, Ficinus, alii pertendunt; latriæ cultu adorentur. Qua idololatria tetrior fœdiórque nulla excogitari poteſt.

Eandem committi

XL. Sed conſiſtat ſanè Sacramentum Euchariſtiæ

in

in compoſitione quadam ex ſpeciebus & corpore Chriſti, uti quidem Suarez, Becanus, Bellarminus, & plerique hodie pertendunt; ne ſic tamen efficietur, ut totum Sacramentum ſit Chriſtus, Deus, qui ſolus adorandus, & latriæ cultu proſequendus eſt. Nam Gabrielem Biel, qui Sacramentum per Synecdochen ſolum Chriſtum eſſe, ſecluſis ſpeciebus, ſtatuit, omnes hodie repudiant. Fruſtra vero nuper retiarius meus, Abbas vicinus A. Redingius, conſuetis præciſionibus ſuis, ſpecies, humanitatem ſeu corpus Chriſti, & Divinitatem ejuſdem ſic diſtinxit, ut *ſpecies adorari non per ſe, ſed qua conjunctas cum corpore Chriſti, verbo Divino hypoſtaticè unito: humanitatem ſeu corpus Chriſti realiter in Sacramento ſubſiſtens, adorationem in Sacramento terminare, ſed ejus motivum non eſſe: denique Divinitatem ſolam per ſe primò adorabilem eſſe, per modum objecti formalis motivi, & latreaticæ adorationis ſpecificativi*, pertendat. Has certè ſubtilitates Tridentini Patres vel ignorârunt, vel penſi non habuerunt, ſimpliciter *Sacramentum*, etiam prout à Chriſto diſtinctum eſt, adorandum proponentes definientéſque. Cúmque ſpecies Euchariſticæ à ſubjecto ſeparatæ nihil ſint; & humanitas Chriſti, qua talis, unita licet hypoſtaticè verbo, ſit κτίσις *creatura*; quisquis ſpecies ſive propter ſe, ſive propter aliud adorat, is idolum fictitium, non entia Deificata ſcilicet adorat: & quisquis humanitatem Chriſti, ſive ut motivum, ſive ut objectum terminans adorationis, adorat, ab idololatriæ crimine abſolvi nequit. Et quocunque ſe artolatræ vertant, certè Sacramentum adorantes, verum, ſolum, ſummum Deum non adorant, adeóque idololatriæ commiſſæ manifeſti ſunt. Fuit enim verus ſolus, ſummus Deus, antequam Sacramentum eſſet.

probatur, ſi maximè Euchariſtia Sacramentum in compoſitione ex ſpeciebus, corpore & Divinitate Chriſti, conſtituatur.

XLI. Artolatria omnis tranſſubſtantiatione nititur. Hac enim panem Euchariſticum Deificant ſcilicet. Si igitur tranſſubſtantiatio panis nulla contingit, idololatriam

Artolatriæ fundamentum tranſſubſtantiatio eſt. Qua ſi falſa fuerit, omnium turpiſſimos idololatras fore Pontificios, Coſterus fatetur.

latriam omnium maximam à ſe committi, Hierarchici omnes fateantur oportet. Faſſus eſt ingenuè Franciſcus Coſterus Jeſuita *Enchir. Controv. cap.* 12. ubi ſic ille: *Tolerabilior eſt error eorum, qui pro Deo colunt ſtatuam auream. aut argenteam, aut alterius materiæ imaginem, quomodo Gentiles Deos ſuos venerabantur; vel pannum rubrum in haſtam elevatum, quod narrat de Lappis; vel viva animalia, uti quondam Ægyptii: quàm eorum, qui fruſtum panis, quod hactenus per univerſum orbem tot annis fecere Chriſtiani, niſi vera ſit doctrina tranſſubſtantiationis.* Sic profectò eſt, nec pro merito ſatis crimen exaggerari poteſt. Nam ne panem quidem verum, nutriendi facultate præditum, ſed ſpumam panis, rem pœne nihil, adorabunt. Atqui, audi Coſtere, vera doctrina Tranſſubſtantiationis non eſt: dogma eſt monſtroſum, verbo Dei & ſanæ rationis principiis univerſis contrarium, piæ antiquitati prorſus incognitum.

Tridentinorum de ea definitio oppugnatur.

XLII. Tranſſubſtantiationem illam his ferè verbis Tridentini *Seſſ.* XIII. 4 definiverunt: *Quoniam Chriſtus Redemptor noſter corpus ſuum, id quod ſub ſpecie panis offerebat, verè eſſe dixit, ideo perſuaſum ſemper in Eccleſia Dei fuit,* idque *nunc denuo Sancta hæc Synodus declarat, per conſecrationem panis & vini converſionem fieri totius ſubſtantiæ panis in ſubſtantiam corporis Chriſti Domini noſtri, & totius ſubſtantiæ vini in ſubſtantiam ſanguinis ejus. Quæ converſio convenienter & propriè à Sancta Catholica Eccleſia Tranſſubſtantiatio eſt appellata.* Ubi verò corpus ſuum *ſub ſpecie panis* Chriſtum obtuliſſe Scriptura teſtatur? Obtulit in cruce pendens, non ſub ſpecie panis latens. Obtulit, poſtquam verba illa: *Hoc enim eſt corpus meum*, pronuntiavit. Hoc verò, quod corpus ſuum eſſe dixit, panis erat, uti ſeries textus, & λογογραφικὴ ἀνάγκη evin-

cit.

cit. Aliud certè longè eſt dicere: *Hoc eſt corpus meum*; aliud dicere: *Sub ſpecie panis verè eſt corpus meum*. Ex adverſariorum hypotheſi verbis, H. E C. M. pronunciatis demum fit tranſſubſtantiatio. Quomodo igitur verbum *Hoc* ſpeciem panis notare poteſt, quæ talis, ſubjecto ſuo exuto, demum per tranſſubſtantiationem contingere putatur? Cúmque in omni converſione, qualem eſſe tranſſubſtantiationem fingunt, ſint duo termini, unus *à quo*, alter *ad quem*, & terminus ad quem in prædicato propoſitionis illius exiſtat, terminus à quo, qui non ſpecies duntaxat, ſed ipſa ſubſtantia panis eſt, in ſubjecto ſit oportet. *Hoc* ergo ſubſtantiam *panis* ſignificabit. Addo, verba illa ne quidem converſiva eſſe; tum quia non dixit Chriſtus, *Hoc fiat corpus meum*, ſed *Hoc eſt corpus meum*: tum quia dici ſupponit eſſe; adeóque Hoc *dici* corpus Chriſti non potuit, niſi ante fuit. Quale etiam fuit corpus, in quod ſubſtantiam panis converſam aſſerunt, integrum, an fractum? Cùm corpus illud pro nobis datum Chriſtus ipſe dixerit, integrum eſſe nequit. Fractum igitur erit. At in gloria Chriſti ejus corpus ἀπαθὲς frangi propriè dici non poteſt. Neutrum ergo eſt. Taceo, quòd tranſſubſtantiatio tum pugnat cum inſtitutione Cœnæ & præcipuis fidei articulis: tum Cœnæ Dominicæ eſſentiam penitus deſtruit, perimendo & *ſignum*, quia panis & vini ſubſtantiam abolet relictis ſpeciebus, quæ abſque proprio ſubjecto ſpectra potiùs fallacia, quàm rerum Divinarum infallibilia teſtimonia ſunt; & rem *ſignatam*, quia corpus Chriſti ſpoliat ſua quantitate & dimenſionibus, pro uno multiplex ſpirituum proprietates mentiens, inducit, & pro nucleo Euchariſtiæ ſubſtituit ejuſmodi carnem, quam Chriſtus ipſe vel prodeſſe, vel vivificare negat; & *analogiam Sacramentalem*, quia relationis Sacramentalis fundamentum

 tollit,

tollit, & ubi ſignum in rem ſignatam convertitur, omnis inter illa ſimilitudo deſinit.

Circumſtantiis Cœnæ;

XLIII. Quomodo quæſo induci Chriſtianum nomen profeſſi potuerunt, ut crederent, Chriſtum ſuum ipſius corpus altera manu geſtaſſe, porrexiſſe deglutiendum ſanctis hoſpitibus, qui illum & inter manducandum, & poſt ſacrum illud fruſtulum piè devoratum, præſentem intuiti ſunt, alloquentem audiverunt? Chriſtum ſe totum ſimul devoraſſe, integrum tamen & incolumem præterea diſcubuiſſe? Glorioſum Chriſti corpus in rancidulos ventriculorum meatus migraſſe; ut vel in corporis noſtri ſubſtantiam inibi demum convertatur, vel putredinem ſentiat; vel in nihilum evaneſcat; vel in Cœlum illud, in quo erat, antequam rediit, dum rediit revertatur? Quæ hæc ineptiarum portenta ſunt, Chriſtianam religionem univerſam probris & ſannis infidelium objicientia?

Nec non principiis ſcientiarum, Phyſices, Metaphyſices, Mathematices, Logices;

XLIV. Ad principia ſanæ rationis & ſcientiarum omnium exactum iſthoc dogma monſtroſum pariter apparebit. Etenim principium *Phyſices* eſt: *Internum ſpatium, quod corpus uno tempore occupat, corpori illud occupanti æquari.* Si igitur unum idémque corpus duo iſtiuſmodi loca & ſpatia interna eodem tempore occupet (corpus autem Chriſti occupabit plurima) corpus his duobus ſpatiis illis erit æquale, utpote quod utraque eodem tempore replet, quæ tamen alterutrius ſpatiorum ſunt duplum. Quam ob rem & corpus illius corporis in ſpatio alterutro ſiti duplum eſt, ac proinde unum idémque corpus duplum ſui ipſius. Quæ manifeſta contradictio eſt. *Metaphyſices* principium eſt: *Unum quodvis indiviſum eſt in ſe, & diviſum ab omni alio.* Corpus autem Chriſti unum, cùm ſit tum in Cœlo, tum etiam ſine ulla ejuſdem corporis continuatione ſimul in terra, totum corpus dividetur à toto corpore, ac proin unum & plura erit. *Mathematices* principium Euclideum eſt: *Totum majus*

majus eſt ſua parte. Tridentini verò ſanxerunt, *ſub unaquaque ſpecie, vel ſub ſingulis cujuſque ſpeciei partibus, ſeparatione facta totum Chriſtum contineri.* Cùm verò corpus Chriſti eodem tempore ſibi æquale ſit, annon ſic pars æquabitur toti, neque totum majus erit parte? *Logices* principium eſt: *Partes cum toto conſentiunt, & inter ſe diſſentiunt.* In hoſtiæ autem ſeu Sacramenti diviſione partes adeò inter ſe conſentiunt, ut una omnino eademque res ſint. Cúmque diviſio quævis ſive Logica, ſive phyſica ſit diviſio unius alicujus in multa, hæc diviſio eſt unius in unum, idque ſe ipſum. Denique principium Catholicum eſt: *Unumquodque eſt, vel non eſt: Idem non poteſt eſſe ſimul & non eſſe.* Poſita autem μετουσίᾳ & πολυπαρουσίᾳ corporis Chriſti idem erit & non erit eodem tempore. Res enim individua quævis permanens, nec, poſtquam extiterit, unquam deſitura, quæ fieri poteſt, futurúmque eſt, ut fiat ex re aliqua, illa nondum exiſtit. Individuum verò Chriſti corpus incorruptibile fieri poteſt, futurúmque eſt, ut fiat ex pane conſecrato, quippe qui in corpus ejus individuum convertitur. Corpus autem ejus individuum & incorruptibile indeſinenter erat ante hanc conſecrationem. Erat ergo, & non erat, eodem tempore. Plures τερατολογίας alibi à me fuſiùs diſcuſſas, manifeſtáſque contradictiones omitto. Quid eſt non fidei duntaxat, ſed rationi etiam omni, Cœlo indignante, ridentibus Ethnicis, reluctante tamdiu vera Eccleſia, bellum indicere, & humanitatem exuere, ſi hoc non eſt?

XLV. Neque veterum quiſquam dogma iſthoc credidit; niſi forte Eutychiani, qui apud Theodoretum *Dialogo II.* qui ἀσύγχυτος inſcribitur, à tranſmutatione panis & *vini* in corpus & ſanguinem Dominicum, argumentantur ad mutationem corporis Domini in Divinam eſſentiam. Sed negat ille Pater Orthodoxus, Symbola myſtica propriam naturam amittere. Nec manere duntaxat *Et antiquitati poſteriori omni repugnat.*

priorem ſpeciem & formam, ſed etiam ſubſtantiam priorem aſſerit. Ita enim libro primo, qui Ἄλεξιπλος dicitur, *Chriſtus*, inquit, *viſibilia ſigna appellatione corporis & ſanguinis* honoravit, οὐ τὴν φύσιν μεταβαλών, ἀλλὰ τὴν χάριν τῇ φύσει προστεθηκώς, ***non tranſmutans*** ſymbolorum *naturam*, *ſed naturæ* ſymbolorum *adjiciens gratiam*. Idem Gelaſius Papa *lib. de duabus in Chriſto naturis*, panem & vinum ita tranſire in corporis & ſanguinis Chriſti ſubſtantiam dicit, ut tamen ſubſtantia panis & vini eſſe non deſinat. Et clamat omnis Patrum Senatus, in Cœna panem & vinum eſſe *ſymbola*, ἀντίτυπα, *ſigna*, *exemplar*, *ſimilitudinem*, *figuras* corporis & ſanguinis Domini. Docuerunt ſanè iidem μεταβολὴν καὶ μεταστροπὴν, *tranſmutationem* & *converſionem* quandam ſymbolorum, ſed relativam illam, non eſſentialem; officii & uſus, non ſubſtantiæ vel naturæ reſpectu; ut quæ ante in ſedanda fame & ſiti uſum communem habuerunt, accedente verbo corporis & ſanguinis Dominici Sacramenta fiant. Conſtat enim, res quoad ſubſtantiam non mutari. Neque fando auditum eſt unquam, relatum eſſe correlatum. Demum à Concilio Lateranenſi, obſtetricante barbarie & ignorantia, horrendum μετουσίας ſeu tranſſubſtantiationis (alii συνουσίας potiùs autumant) monſtrum in ipſa naturæ principia, rerum ordinem, Servatoris humanitatem, Sacramenti veritatem, conſtantem Scripturæ ſententiam, Theologiæ fundamenta omnia arietans; excluſum, & à Monachis mendicantibus, novis itidem naturæ monſtris, avidiſſimè exceptum fuit: ex quo cùm aliæ hæreſes ingruere, tum ἀρτολατρείαν, ſeu panis adorationem, ab Honorio III. primùm ſancitam, & ab Urbano IV. inſtituto feſto corporis Chriſti auctam, conſequi neceſſe fuit.

Idololatra panis hoſtiæ

XLVI. Quæ cùm ita ſint, atque omnino prodigioſum

ſum illud tranſſubſtantiationis dogma, uti non fruſtra ὁ δεῖνα aſſeruit, *unum tot in ſe abſurdos errores contineat, quot momenta temporis ab ejus prima nativitate,* id eſt, à Concilio Lateranenſi, unde dogmatis iſtius æra auſpicanda eſt; *ad hanc uſque horam interceſſerunt;* ipſo utique Jeſuita Coſtero ἑαυτὸν τιμωρουμένῳ, judice, Pontificii idololatriæ adeò turpis & deteſtabilis rei ſunt, ut illa longè tolerabilior omnis Gentilium idololatria fuerit. Adorant enim maximè ſolenniter & devotè non tam panem, quàm ſpumam panis; & quod ſic adorant, mox horribile dictu! devorant. Quibus proin jam olim ſalsè admodum Averroes objeciſſe fertur, *ſatius eſſe ut permaneat anima ſua cum Philoſophis, quàm cum illis Chriſtianis, qui adorant quod comedunt, & comedunt, quod adorant.* Quod meritò Theodoretus ἐσχάτην ἀβελτηρίαν eſſe dixit.

Adoratores certiſſimi ſunt. Averroe is adverſus eos, qui adorant, quod comedunt, apophtegma.

XLVII. Neque profectò artolatras perſuaſio, quòd ſub ſpecie panis & vini corpus & ſanguis Chriſti, adeóque totus Chriſtus θεάνθρωπος præſto ſit, atque ei, ceu Regi ſuo præſenti, honor adorationis omnino exhibendus ſit; ab idololatriæ culpa abſolvit. In cultu enim Dei non falſa perſuaſio, ſed vera fides regnat. Stultorum eſt putare: ſapientum & prudentum ſcire, & teſte Deo credere. Si prætextus talis juvaret, jam omnem ferè gentium idololatriam nitrum lomentúmque facere liceret. Potior longè ratio erat, ut Gentiles Solem verum illum æternúmque Deum, creatorem ac gubernatorem omnium eſſe, uti in Liturgiis eorum habetur, crederent, quàm ut Chriſtianus panis, ſeu ſpumæ conſecratæ, fruſtulum ſupremum Numen eſſe, ut credat, inducatur. Neque dubitare licet, quin Pagani æquè firmiter crediderint, Solem Deum eſſe, quàm Chriſtianus quivis credere poſſit, Panem Euchariſticum eſſe corpus Chriſti. Cui tamen ſano in mentem venit, propte-

Non juvat artolatras perſuaſio, quòd Chriſtus præſens ſit ſub ſpeciebus panis.

Digitized by Google

propterea Solis cultores veriſſimos idololatras non eſſe? Accedit, quòd erronea hæc perſuaſio & canoris vocibus, & ſcriptis irrefragabilibus ex Dei verbo & ſana ratione toties convicta eſt, plurimis ad ravim uſque clamantibus, imò ſanguinem proprium expuentibus, ut veritati contra palpabilem adeò idololatriam fidem facerent. Unde verbo Dei ubique expoſito, & ex eodem clariſſimè demonſtrata veritate, errori exploſiſſimo πρόφασις nulla ampliùs eſſe poteſt.

Adeóque panem adeſſe negant.

XLVIII. Fruſtra ergo Hierarchici inclamant, ſe artolatras, ſeu panis adoratores non eſſe, eò quòd panem adeſſe, ne quidem agnoſcunt. Sufficit enim, nil niſi panem, vel panis potiùs ſpumam adeſſe. Quin etiam gravior idololatria fuerit, ſi caſſa accidentia, quæ à ſubjecto avulſa nihil ſunt, & adeſſe, & à ſe adorari agnoverint. Præterea Pagani, qui Solem adorabant, non eam rem, quæ non aliud quàm Sol, res inanimis, ſenſus & intelligentiæ expers erat, illic adeſſe; ſed Supremum potiùs Numen in Sole mundo præſidere autumabant. Neque tamen opinio falſa idololatriæ labem à fama eorum abſtergere potuit.

Si maximè tranſſubſtantiationis dogma obtineret, non eò minùs Hierarchici idololatria ſe pollueren̄t, quia de converſione facta nunquam certi eſſe poſſunt; & tamen adorare non deſinunt.

XLIX. Sed eſto ſanè, fidem nonnullam tranſſubſtantiationis dogma mereatur, ut conſecratione legitimè facta, præſens ſit in Euchariſtia corpus & ſanguis Chriſti. Ne ſic quidem idololatriæ crimine ſeſe Hierarchici exſolverint. Tridentini enim, uti ſupra oſtendimus, Euchariſtiam à Chriſto diſtinctam adorandam ſanxerunt. Tum qui adorat Chriſtum infallibili fide ſtatuat oportet, Deum eſſe, quem ut Deum & Chriſtum adorat. Papiſtæ autem infallibiliter certi eſſe nequeunt, Chriſtum eſſe, quem adorant. Quippe domeſtica illorum principia ſunt, ut tranſſubſtantiatio fiat triticeum, non corruptum eſſe debere panem: vinum ex uvis maturis expreſſum: pronuntiationem conſecra-

crativam fieri debere, nec addendo, nec detrahendo, nec mutando, nec tranſponendo: Sacerdotem conſecrantem oportère rite eſſe baptizatum &, ordinatum: eundem Sacramentum non aliter conficere, quàm ſi adſit intentio faciendi, quod facit Eccleſia. De conditionibus autem iſtis alterutram in partem quotuſquiſque πληροφορητικῶς certus eſſe poteſt? Qui autem neſcit quid adoret, & tamen adorat perinde ac ſi ſciret, verum Deum eſſe, quod adorat, purus criminis idololatriæ haberi nequit. Produnt anceps periculum diſputationes perplexæ Pontificiorum, quorum proin multi hoc veluti pharmaco idololatriæ ſuæ ſenſum ſopientes, ad adorationem requirunt conditionem expreſſam vel tacitam: *Adoro te, ſi Deus es.* Adorant interim abſolutè, hoc eſt, id quod vero Deo debetur, objectio illi, veluti *θεῷ ἀγνώστῳ Deo incognito* impendunt; & tamen cum conditione ſi Deus ſit. Hoc ſcilicet eſt juxta viam illam adulteræ Prov. XXX. 20. *comedere, & tergere os ſuum, & dicere: Non ſum operata iniquitatem.*

L. Succedit *Hagiolatria*, ſeu Sanctorum Angelorum & Hominum Cœlitum cultus. Tridentini quidem *Seſſ.* XXV. ſimpliciter *Sanctorum invocationem* commendant. Sed cultus eorundem tam varius, tam multiplex eſt, ut in eo narrando non copia, ſed modus dicendi quærendus ſit. Honorantur nempe Sancti aris, imaginibus, radiatis capitibus, Templis, Miſſis, cereis, feſtis, juramentis, votis. quorum nonnulla ad cultum latriæ referri ſolent. Invocantur imo adorantur. uti Catecheſis Tridentina *in præceptum* 1. aliique plures, alibi à nobis producti loquuntur. Et quid ſunt *Orationes ad Sanctos* aliud quàm *adoratio* Sanctorum? Ante imagines Sanctorum quorundam procumbentibus mos eſt orare, Pater noſter. probante etiam Catecheſi Tridentina capite de

Artolatriam Hagiolatria, ſeu ſanctorum cultus excipit, qui circumſcribitur.

oratione: *Cùm ad imaginem Sancti quis orationem Dominicam pronuntiat, ita tum ſentiat, ſe ab illo petere ut ſecum oret.* Coſterus Jeſuita *Enchir. de Venerat. Sanctorum* ſic ſcribit: *In honorem Sanctorum recitamus orationem Dominicam.* Salmeron *in* 1. *Tim.* 11. *Diſp.* 7. eò impietatis proceſſit, ut diceret, *orationem fuſam per Sanctos meliorem eſſe ea, quæ Deo funditur, non adhibita interceſſione.* Creduntur Mediatores & interceſſores apud Deum, utpote magis εὐπρόσιτοι, ut ſic per gradus & via obliqua ad Deum veniatur: cordium inſpectores, omniſcii, omni præſentes. ſine quibus dotibus omnes omnium orationes earúmque integritatem dijudicare non poſſent. Nec tantùm creduntur pro nobis ſupplicare, ſed etiam pro nobis ſatisfacere, & aliis ſalutem mereri. Nam quod Deo ſupererogaverunt, creditur aliis cedere in ſolutionem, Papa ſic diſpenſante. quomodo Clemens VI. *Extravag. Unicus* dicit, *ad cumulum theſauri electorum merita adminiculum præſtare.* In Miſſa Sacerdos petit remiſſionem peccatorum & ſalutem non tantùm per preces Sanctorum, ſed etiam per eorum merita. Unde Bellarminus *de Indulg. lib.* 1. 4. non dubitavit dicere, Sanctos aliquo modo eſſe Redemptores noſtros. Denique eo uſque ſuperſtitio excrevit, ut rudis plebecula vix Chriſtum à Sanctis diſtinguat, & in ipſa Miſſa Maria Chriſto præponatur. Ibi enim Miſſa inſtituta dicitur inprimis ad commemorationem Virginis Mariæ, Chriſto inferiorem in locum projecto. Et Sacerdos peccata ſua confitetur Michaeli & Sanctis, Chriſto inſuper habito.

Cultum eum Divinum eſſe probatur.

LI. Quis ſic Sanctis religioſum & Divinum cultum præſtari, negare auſit? Quiſquis enim invocatur, adoratur, pro Mediatore & interceſſionis & ſatisfactionis habetur; omniſcius, omni præſens per invocationem

&

& adorationem conſtituitur; aris, Templis, Sacrificiis, juramentis, votis, incurvatione honoratur, ei religioſus & Divinus honos exhibetur. Cuncta enim hæc non cadere niſi in Deum & Chriſtum, ſupra probavimus; & Scriptura, adeóque res ipſa ſonorè loquitur. Ei enim qui ſic colitur, Divina quædam πλεονεκτήματα, Excellentiæ Divinæ competant neceſſe eſt. Atqui Sanctos ſic coli, ne ipſa quidem impudentia negare auſit.

Prætextus Hagiolatrarum, quòd Sanctos ut amicos Dei, non ut ſummum Deum colant, & mediationem eorum ad interceſſionem reſtringant, diluuntur.

LII. Atque fruſtra Hagiolatræ diſtinctionum ſuarum præſtigiis evadere, & à cultu Divorum ſuorum idololatriæ aſperginem amoliri ſatagunt. Neque enim quicquam illi proficient, niſi ea, quæ recenſuimus, ſigna eſſe cultus communia, & non Divini propria demonſtraverint. quod nunquam præſtare illi poſſunt. Quocunque ergo loco Sanctos habeant, ſive Dei ſummi, cauſæ primæ, omnium bonorum largitoris, ſive Divorum ſubalternorum; ſatis eſt, quòd ea iis tribuunt, quæ ſoli Deo eximia ſunt, nec ulli creaturæ impertiri licet. Sic enim, Divina iis tribuendo, quantum in ipſis eſt, Divos ſubalternos ſuos in Deum ſummum convertunt & tranſſubſtantiant. Prætextus quinetiam ille, quòd univerſus ille Sanctorum cultus non aliud ſit, quàm bonorum, quibus indigemus, à Deo per Filium Chriſtum impetrandorum ratio, neque efficit, ut modus, quo impetrare conantur, idololatria eſſe deſinat: & ad ſummum hoc efficit, ut Sancti ad conditionem Gentilium Deorum *Medioxumorum*, Dæmonúmque, hominum negotia cum Summo Numine tranſigentium, ſimilitudinem propiùs accedant. Duliæ & hyperduliæ cultus à latriæ cultu diſtincti alexipharmacon abunde ſupra averruncavimus. Neque denique Mediationem interceſſionis à mediatione redemptionis vel ſatisfactionis ſeparantes, nitidiores ſe

faciunt, tum quia niſi ſatisfactionis & redemptionis merito nixus, Mediatoris adinſtar, intercedere nemo poteſt; quomodo Chriſtus Mediator eſſe, niſi dato redemptionis pretio (1. Tim. 11. 5. 6.) non potuit: tum quia eoſdem Divos ſatisfactionis etiam Mediatores facere, jam probavimus.

A Sanctis perinde atque à Summo Deo maxima quæque eos orare, ex invocationum formulis ad Sanctos, Coſmum, Damianum, Andræam, Nicolaum, Agnetem, Brigittam, Catharinam, &c.

LIII. Inſpectæ paulò altiùs Orationum ad Divos fuſarum formulæ palam facient, Hagiolatras maxima quæque perinde à Sanctis, atque à Deo, ſi non magis, efflagitare. Ita enim Oratio ad S. Coſmum & Damiamum, eos ceu *Medicos piiſſimos, meritis clariſſimos* implorat, ut *à peſte, clade corporum præſervent & operum; Moribus,* inquiunt oratores, *ne langueamus, nec moriamur Spiritu, ſed animæ ab obitu velociter ſurgamus; & vivamus in gratia, Sacra Cœli palatia donec regrediamur.* An altius à Deo quicquam petimus? Oratio ad S. Franciſcum talis eſt: *S. Franciſce, proſperè veris; Pater accelera ad populum, qui premitur & teritur ſub onere, palea, luto, latere, & ſepultos Ægyptio ſub ſabulo nos libera, carnis extincto vitio.* Annon hæc eſt liberationis à captivitate & ſervitute peccati imploratio? Preces ad S. Andræam gratiam tolerandi patienter crucem ſic expetunt: *Jam nos foveto languidos, curámque noſtri ſuſcipe, Quò per crucis victoriam Cœli petamus gratiam.* S. Nicolaum in talia vota vocare ſolent: *Ergo piè nos exaudi Aſſiſtentes tuæ laudi, Ne ſubdamur hoſtis fraudi, Nobis fer auxilia. Nos ab omni malo ducas, Vita recta nos conducas, Poſt hanc vitam nos inducas Ad æterna gaudia.* Sic Nicolaus ille adverſus omnes Sathanæ inſultus tutos incolumésque haud ſecus quàm Deus ipſe, præſtare potis erit. S. Agnetem gratiam *ſerviendi Deo in charitate perfecta*: S. Brigittam gratiam *periti Naucleri adinſtar per omnes tempeſtates caſúſque*

ſúſque hujus mundi transfretandi, *& in Cœlo feliciter appellendi* : S. Catharinam gratiam *cordis contriti*, *in bono immoti*, *vivendi Deo*, *ipſa regente*, *pura mente*, *de procella mortis ſalvandi*; *mundum ſuperandi*, *decumbentem læva fovendi*, *& de morte ſæva ſolvendi* &c. ſupplice prece orant. Ubi illud animadverſione dignum eſt, quòd inter viginti quatuor, quibus oratio ea comprehenditur, verſus, tres duntaxat occurrunt, quibus Catharina illa ut pro ſupplice intercedat, oratur: reliquis omnibus ejus, tanquam bonorum ſpiritualium jugis fontis & ſcaturiginis, auxilium imploratur. Gemellas ad S. Martinum, Andræam, Jacobum, Bartholomæum, alios Sanctos Sanctáſque formulas reperire eſt.

Inprimis ad Deiparam directis demonſtratur.

LIV. Et tales quidem ad minorum gentium Divos Diváſque orationum formulæ frequentantur. Longè flagrantior affectus ſe in cultu Deiparæ, ceu Matris Chriſti, adeóque Mariolatria, omnium devotiſſima exerit. In Roſario B. Virginis oratione proſa ſic interpellatur: *Peccatorum conſolatrix, infirmorum curatrix, errantium revocatrix, juſtorum conſummatrix, deſolatorum ſpes, & auxiliatrix, atque mea promptiſſima adjutrix, tibi, Domina glorioſa commendo hodie & quotidie animam meam, ut me in cuſtodiam tuam commendatum ab omnibus malis & fraudibus Diaboli cuſtodias, atque in hora mortis conſtanter mihi aſſiſtas, & animam ad æterna gaudia perducas*. Ad calcem Roſarii hæc occurrunt : *Cor meum illumina*, *fulgens ſtella maris*, *& ab hoſtis machina ſemper tuearis*. *O glorioſa Virgo*, *libera nos ab omni malo*, *& pœnis inferni*. Et ſanè ante Reformationis tempora B. Virginis patrocinium tanto ardore precibus ſuis captæ ſuperſtitione animæ ambiverunt, ut Chriſti oblivio eos penitus cepiſſe videatur. Oratio recepta erat, & hodié-

hodiéque eſt ejuſmodi: *Te, mater illuminationis cordis mei, te, nutrix ſalutis meæ mentis, te obſecrant quantum poſſunt cuncta præcordia mea. Exaudi Domina, adeſto propitia, adjuva potentiſſima, ut mundentur ſordes mentis meæ, ut illuminentur tenebræ meæ. O glorioſa Domina, Porta vitæ, Janua ſalutis, via reconciliationis, Aditus recuperationis, obſecro Te per ſalvatricem tuam fœcunditatem, fac ut peccatorum meorum venia, & vivendi gratia concedatur, & uſque in finem hic ſervus tuus ſub Protectione cuſtodiatur.* Mutato ſexus genere cuncta hæc ad Chriſtum Salvatorem mundi, & quidem magnificê ſatis, dirigerentur. Planè ſicut in *Pſalterio Virginis Mariæ*, quod Bonaventura authore prodiit, & inter opera ejus juſſu Sixti V. edita extat; nec non in *Bibliis Mariæ*, quæ Alberto Magno authori tribuuntur, & Doctorum ac Profeſſorum Theologiæ approbatione ſuffulta lucem publicam ſalutârunt; mutato ſexus genere Mariæ cuncta ab Hieropſalte & in univerſis Bibliis Jehovæ Summo dicta horribili audacia vendicantur. In Litania *Filia Dei*, *Illuminatrix cordium*, *Fons miſericordiæ*, *Flumen Sapientiæ*, *Regina Cœli*, *Domina mundi*, *Domina Cœli & terræ* inſignitur. Neque aliud ſupererat, quàm ut in locum Chriſti Filii Dei, *Chriſta*, *Filia Dei* ſubſtitueretur, & *Chriſtæ* potiùs *Filiæ Dei*, quàm Chriſti Filii Dei cultores Mariolatræ ſe profiterentur. Ut jam tenuiter nimis de ea Biel *Lect.* 80. *in Can. Miſſæ* prædicaverit, *quòd Rex Regum dimidium Regni ſui huic Reginæ dederit; & ex potioribus Regni ſui bonis, nempe juſtitia miſericordiáque juſtitiam retinuerit ſibi, miſericordiam autem Matri reliquerit.*

Colliguntur, quæ de B. Maria honore & cultu maxi-

LV. Poſſent de Mariolatria hac dici profectò innumera & ſtupenda. Et de ea multa nimis, taliáque, quæ Hierarchicorum in cultu B. Mariæ ſuperſtitionem omnes

nes idololatriæ numeros impleviſſe planiſſimè produnt, duo Viri celebres, Augiæ hoc ſtabulum ingreſſi purgantéſque, Andreas Rivetus, & Carolus Drelincurtius, cum Camuſio Bellicenſi Epiſcopo, contentionis funem ducens, dixerunt. Ibi productos bona, & ne ab ipſo quidem Camuſio ſolicitata fide, teſtes & numero, & in Eccleſia Pontificia authoritate præſtantes legere eſt, qui omni fronte poſita & pudore proſtituto, uti quidem Meretricis hujus lenones decebat, plenis, quod ajunt, tibiis decantant, *B. Virginem eſſe Deam Deificatam, Divinizatam, Oceanum Divinitatis & Complementum Trinitatis, Infantem ſive Infantinam Trinitatis; habere poteſtatem in omnes Gratias & beneficentias Dei, Hominúmque ſalutem; plenam & ſupremam poteſtatem diſpenſandi de Gratiis Dei omnibus; eſſe depoſitariam vitæ æternæ, habentem innumera alba, nomine Dei ſubſcripta, in quibus ipſa, quæ placuerit, ſcribat; Theſaurariam eſſe generalis Sacri ærarii Dei & redituum Spiritus S. Cancellariam aulæ Cæleſtis, Gubernatricem Cælorum, Paradiſi Rectricem, Inventricem, Authorem & Cauſam gratiæ, ſcaturiginem ſalutis, vitæ, Chriſtianorum vitam; Librum vitæ, in quo ſcripti ſint prædeſtinati; Canalem omnium gratiarum Dei; Solam & unicam cauſam, cur grati ſimus Deo; Mediatricem, Propitiatricem, Redemptricem mundi; Feneſtram Paradiſi; Portam Cæli; Portam auream firmamenti; Scalam Cæli; in cujus gratiam omnes liberationes & indulgentiæ ſub V. T. contigerint, per quam, ceu tubum Opticum Deus omnes reliquos homines reſpiciat; à Deo ad B. Virginem appellationem licitam eſſe; in celebri illa viſione duarum ſcalarum Rubræ & Candidæ facilius eſſe in Paradiſum aſcendere per candidam quæ eſt Virginis, quàm per rubram, quæ eſt Chriſti; Monachos per rubram aſcendere molientes præcipites in terram actos*

ma quæque & ſtupenda Mariolatra prodiderunt. Atque ex iis, B. Mariam tantùm non Deo & Chriſto præferri colligitur.

*actos eſſe, & per candidam aſcenſum tentantes Cœlum
intraſſe; Improbos poſt abnegatos Deum & Chriſtum,
à morte liberatos eſſe, quòd B. Virginem confeſſi eſſent; fas
eſſe orare Chriſtum in nomine Mariæ; eſſe eam Agnum
Cœli; ſuſtuliſſe maledictionem, condonare & delere pecca-
ta; reparatricem eſſe damnorum Adami; rectè eam Altare
appellari; omnia peccata noſtra in ſanguine Chriſti &
lacte B. Mariæ ſubmerſa eſſe; homines à Chriſto damnatos
per B. Mariam ſervari poſſe; ſæpius eam Chriſti decreta
reſigere; eundem effectum habere ſanguinem Filii & lac
Mariæ, atque dubitare peccatorem meritò, ad utrum re-
ctiùs ſe convertat; ipſam contriviſſe caput ſerpentis;
eſſe eam ſupremam Dominam, Reginam, Imperatricem,
Monarcham, Gubernatricem Cœlorum, Paradiſi, Ange-
lorum, Seraphinorum, Reginam Reginarum, Principem
Principum; Deum cum ea partitum eſſe regnum; eſſe
judicem vivorum & mortuorum, abſolutè eam dominari
in totum univerſum, cauſam eam una cum Chriſto eſſe,
cur Deus mundum creaverit; imò ipſam mundum aliquo
ſenſu creaſſe; opera ejus æquè ac opera Dei perfecta eſſe;
poteſtatem eam habere in Dominum Jeſum Regiam, ita
ut ei imperare pro lubitu poſſit; Deum ei debitorem &
obſtrictum eſſe; reſpectu generationis temporalis Chriſti,
Deum Patrem nulla re præcedere Virginem; Chriſtum,
quà Deum & hominem B. Virginem imitatum eſſe; ma-
jora eam clementiæ exempla dediſſe, quàm Chriſtum; Je-
hovam illam poſſediſſe ab initio viæ ſuæ; eſſe eam adoran-
dam, etiam adoratione latriæ; adoratam eſſe ab Ange-
lis in primo creationis ejus momento, poſſe nos baptizari
in nomine B. Virginis; omnia noſtra debere nos in nomine,
& ad gloriam nominis ejus inchoare & finire.* Quid vide-
tur de his, & ſimilibus infinitis floſculis, qui in hortis
doctorum pluſquam octoginta Epiſcoporum, Archie-
piſcoporum, Cardinalium, Jeſuitarum ab eodem Dre-

lincur-

Digitized by Google

lincurtio, citatis totidem eorum verbis, laudatorum ejuſmodi, qui publica authoritate Cenſorum Apoſtolicorum, praxi quinetiam publica, ex qua Eccleſiæ Romanæ fides cognoſcitur optimè, muniti, neque unquam ab Inquiſitorum ſpongiis vexati, talia in publicum protulerunt; nec non in Litaniis & Hymnis ſolennibus occurrunt? Quique etiam defenſores vindicéſque in Eccleſia Romana haud imæ caveæ Theologos nacti ſunt? Annon bellè admodum hæc Hierarchiæ, Babylonicæ Meretrici, & ſcortationum Matri quadrare putabimus?

LVI. Denique Hagiolatria iſthæc luculentum maximè abſurditatum ſyrma poſt ſe trahit. Hinc enim velut per poſticam, ſub canonizationis velo, Gentilium ἀποθέωσις inceſſit, ut jam Hierarchia non tam idololatriam eorum profligaſſe, quam novis fucis & cincinnis ſpecoſiùs adornaſſe dicatur. Invaluerunt miraculorum impoſturæ, oraculorum ludibria, Legendarum non aurerum, ſed, uti Eſpencæus appellavit, ferrearum fabulæ; &, quod præ cœteris Hierarchicos craſſiſſimæ idololatriæ reos peragit, Divorum, qui nunquam Solem vel ſupra, vel infra ſe aſpexerunt, larvæ, ejuſmodi ſcilicet perſonæ, qualis illa fuit, quam narratur ab Æſopo vulpes in domum hiſtrionis ingreſſa conte ctraſſe, dicens: O quale caput, & cerebrum non habet! Ejuſmodi Divi chimærici ſunt Reges tres, Magorum trium pretextu, conficti, Magnus ille Chriſtophorus, S. Georgius, ab ipſo Baronio inter *Non-entia* abjectus, Hippolytus, Longinus, Diva Margarita, Catharina, Urſula, Petronilla, Martialis, Septem dormientes, aliáque ejuſmodi Utopica Numina, quæ nihil unquam fuerunt in mundo, & tamen devotè diu in mundo adorata ſunt. ſuperſtitione omnium Gentilium δεισιδαιμονίαν ſuperante. Taceo *Sanctos minimè Sanctos* Dominicum, infamem Waldenſium latronem; Thomam Beket perduellem, Raimundum de penna forti

Abſurditatum hagiolatria ingens ſyrma. Divi ſin primis Chimærici, non Sancti, quorum cultus omnem idololatriam ſuperat.

Ignatium, Xaverium, Philippum Nærium, Saleſium, alióſque ejuſdem commatis, à Celeb. Giſb. Voetio *Diſp. ſel. p.* III. 520. *&c.* fuſiùs recenſitos. Hinc etiam domus Dei in latronum ementium & vendentium ſpeluncas, priſci ritus in hiſtrioniam theatralem, Agapæ in Bacchanalia, devotæ ſolennitates in Orgia, piorum eleemoſynæ in hypocritarum aucupia degenerârunt. Perculítque inde idololatria hæc ſcandalo graviſſimo Judæos & Turcas, qui in Thalmude & Alcorano Chriſtianis idololatriam pleno gutture objectant. Denique ſic tandem, uti ſolent exoletæ meretrices turpitudinis ſenſum exuere, decoxit pudor omnis, ut Vaſquez *de adorat. lib.* III. I: 5. non erubuerit aſſerere, *ipſum Diabolum poſſe ſub lucis radio, ut & Judæ labia, Aſinámque, cui Chriſtus inſidebat, abſque culpa adorari.* Valentianus quoque, uti ſupra vidimus, idololatriam aliquam licitam eſſe, agnoſcit. Quin ad Gallum etiam, B. Petri monitorem, invocationem olim directam eſſe, vetuſta ſatis in Bibliotheca Oxonienſi membranula oſtendit. Hi ſcilicet Hagiolatriæ pudendi fructus ſunt.

Iconolatria ſuccedit. De imaginum cultu definitio Tridentinorum; è diametro oppoſita Divinæ legi.

LVII. Hagiolatriam hanc *Iconolatria* excipit, à qua quantum veteres initio Eccleſiæ abhorruerint, vel unus Lactantius *Inſtit. lib.* II. 19. ſic declarat: *Non eſt dubium, quin religio nulla ſit, ubi ſimulachrum eſt.* Cœterùm non æquè Tridentini abhorruerunt, quorum hæc definitio *Seſſ.* XXV. extat: *Imagines Chriſti, Deiparæ Virginis & aliorum Sanctorum, in Templis præſertim habendas & retinendas, eiſque debitum honorem & venerationem impertiendam, non quòd credatur ineſſe aliqua iis Divinitas, vel virtus, propter quam ſint colendæ; vel quòd ab eis ſit aliquid petendum, vel quòd fiducia in imaginibus ſit figenda; veluti olim fiebat à Gentibus, quæ in idolis ſpem ſuam collocabant; ſed quoniam honos, qui eis exhibetur, refertur ad prototypa, quæ illæ repræ-*

ſen-

ſentant: ita ut per imagines, quas oſculamur, & coram quibus caput aperimus & procumbimus, Chriſtum adoremus, & Sanctos, quorum illæ ſimilitudinem gerunt, veneremur. Id quod Conciliorum, præſertim verò ſecundæ Nicænæ Synodi Decretis contra imaginum oppugnatores eſt ſancitum. Dixit equidem Deus Legiſlator unicus inter tonitrua & fulmina: *Non facies tibi ſculptile, nec ſimilitudinem illius, quod in Cœlo eſt.* Contradicunt Tridentini inter anathemata: *Imagines Chriſti, Deiparæ, Sanctorum, in Templis præſertim* (adeóque cultu Dei) *habendæ & retinendæ*, adeóque etiam faciendæ ſunt. Dixit Deus: *Non coles eas.* Contradicunt Tridentini: *Imaginibus debitus honor & veneratio impertienda eſt.* Dixit Deus: *Non incurvaberis iis.* Contradicunt Tridentini: *Imagines oſculandæ ſunt, coram iis caput aperiendum, procumbendum eſt.* Quid eſt digitum in Cœlum extendere, contra ſeverum Dei præceptum idolis (omnis enim imago religioſè culta idolum eſt, uti ſupra oſtendimus) inſervire, ſi hoc non eſt? Conſcientiam ipſorum iconolatrarum appello, qui ſecundum præceptum abſcondere coacti ſunt, ne populus idololatriam ſuam manibus palpare poſſit.

Gentiles & Hierarchici iconolatræ paria faciunt, dum utrique imagines à rebus, quarum imagines ſunt aquè distinguunt.

LVIII. Separare quidem Tridentini cauſam ſuam à Gentilium, in idolis ſpem ſuam collocantium, cauſa conantur. Conantur fruſtra. Neque enim tam ſtolidi Gentiles, idololatræ quamvis fuerunt, ut aurum, argentum, lapides, ligna Deos, atque in iis, ceu Diis, fiduciam collocandam eſſe, putarent. Mutârunt enim pro arbitrio ſimulachra, Deos ſemper eoſdem animo retinentes. Ita Rhodii coluerunt Solem. Ejus antiquiſſimas imagines fecerunt capitis humani radiati forma: recentiorem coloſſum ad hominis totius ſimilitudinem fabricati ſunt. Mutârunt ſimulachra Solis; Solem eundem retinuerunt. Non ergo ſimulachra putârunt Solem, nec in illis,

p 2 ſed

ſed in hoc fiduciam, collocârunt. Multa dein uni Deo ſimulachra ſtruxerunt, nec pro multitudine ſimulachrorum complures ſibi Deos finxerunt. Præterea nova quotidie ſimulachra conſecrârunt, nec putârunt novos ſe facere Deos. Legantur excuſationes, quas ab idolôlatris ſui ſeculi prætextas fuiſſe, S. Auguſtinus *In Pſal.* cxiii. *Conc.* 2. refert. Nempe cùm arguerentur, reſpondebant vulgares, ſe non illud viſibile colere, ſed Numen, quod illic inviſibiliter habitaret. Qui verò purgatioris, ut ipſe loquitur, religionis erant, nec ſimulachrum, nec dæmonium ſe colere ajebant, ſed per effigiem corpoream ejus rei ſignum, quam colere deberent, intueri. Vetuſtiſſimi ſcriptores id ipſum teſtantur. Athenagoras enim *Legat. pro Chriſt.* refert, *quoſdam ex Sapientibus Gentilium dixiſſe, ipſa quidem idola imagines & ſimulachra tantùm fuiſſe, Deos non fuiſſe, quorum honori ea eſſent dicata; & quæcunque in ea conferuntur, reditus & ſacrificia ad Deos referenda eſſe, & in eorum gratiam fieri.* Origenes *lib.* vi. *contra Celſ.* teſtatur, eoſdem cauſari ſolitos, *ſe ſimulachra adorare in honorem Dei;* alios dixiſſe, *hæc non eſſe Deos, ſed Deitatis imitationem, & verorum ſymbola.* Sic apud Arnobium lib. vi. *Deos*, inquiunt, *per ſimulachra veneremur.* Et: *Neque nos*, aiunt, *aras, neque auri argentique materias, neque alias, quibus ſigna conſiunt, eſſe per ſe Deos, & religioſa credimus Numina: ſed eos in his colimus, eos veneramur, quos dedicatio infert ſacra.* Quin & fuiſſe ait, qui confiterentur, *ſigna nihil habere Numinis, neque ullum omnino ineſſe his ſenſum, neque hoc ignoraſſe antiquos, ſed propter indomitum atque imperitum vulgus (quæ pars in populis atque in civitatibus maxima eſt) ſalutariter ea conſilióque formaſſe, ut velut quadam ſpecie objecta his Numinum, abjicerent aſperitatem metu, arbitratique præſentibus ſeſe ſub Diis agere facta impia deponerent, & ad humana officia morum immutatione tranſirent.* Quàm

Quàm ſimilis ergo iconolatriæ Ethnicæ Papiſtica eſt?

LIX. Cur verò, ſic Bellarminus, aliique Hierarchici quærunt, omnes Prophetæ laborant, ut doceant, Gentilium idola aurea & argentea non eſſe *Deos*, atque inde probant, *quia non loquuntur, non vident*, & cœtera; niſi quia ipſa ſimulachra pro Diis, loquentibus, videntibus habuerunt, adeóque in iis fiduciam collocârunt? In promptu cauſa eſt, licet non hæc, quam illi allegant. quaſi pro Diis propriè, non metonymicè dictis habuerint. Nam Eſai. XLVI. 6. Propheta dicens, *Deum auro, argento à conflatore fieri*, ſignificat *Dei* nomine ſimulachrum Dei, uti apparet ex v. 5. ubi ſic præfatur Deus: *Cui aſſimilaretis me, aut æquaretis, aut compararetis me, ut eſſemus ſimiles? Cui aſſimilabitis Deum, & quam ſimilitudinem ei ordinabitis?* Id ipſum etiam Catechiſmus Tridentimus *in explicat. præc.* 1. agnoſcit. Ita Belum Chaldæi pro ſummo Numine habuerunt Baruch. VI. 4. atque eum *hominem fuiſſe, pro Deo ab illis habitum poſt mortem*, Bellarminus *de verbo Dei lib.* 1. 13. aſſerit. Ergo idola *non videre non loqui* Prophetæ dixerunt, non quòd ea loqui, videre Gentiles putaverint; ſed ut innuerent, ſtultè Gentiles facere, qui muta ſimulachra tum *Deos* metonymicè (quomodo Iſraelitæ vitulum אלהי *Deum* ſuum appellârunt, licet in eo, ceu veri Dei ſimulachro, verum Deum coluerint) tanquam Dei ſcilicet ſimilia nuncuparent: tum honore prorſus, ut Deos, afficerent, ea colendo, adorando Eſai. XLV. 6. iis ſacrificando Baruch. VI. 20. ea invocando Habac. II. 19. fiduciam & ſpem in illis reponendo Pſal. CXV. 8. CXXXV. 18. Habac. II. 18. Ecquod enim luculentius documentum eſt, idola nec Divinis honoribus dignanda, nec ſimilia Dei judicanda eſſe; quàm quia *inclamantes nequeunt audire*, Eſai. XLVI. 7. *os habent, ſed non loquuntur; oculos habent, ſed non vident; naſum habent, ſed non odorantur; manus habent, ſed non palpant, pedes habent, ſed non*

 ambu-

Digitized by Google

ambulant; non mutiunt gutture ſuo Pſal. cxv. 5. cxxxv. 16. *nec eſt ſpiritus ullus in medio eorum*, Habac. II. 19.?

Chaldæorum veterum & Hierarchicorum iconolatria ex Jeremia Epiſtola comparatur.

LX. Quòd ſi Hierarchici Platonica, quam Plutarchus *de audit.* commendat; in alienis peccatis meditatione, *Num ego talis ſum?* Epiſtolam Jeremiæ, quam Bellarminus inprimis hic legere & meditari jubet, perlegerent conſideratè, intelligerent planè, & concluſionem & argumenta, quibus ſcriptor ille utitur, iconolatriæ ſuæ exactè congruere. Nam ad ſingula argumenta ſic Epiſtola illa concludit: *Unde notum ſit vobis, quia* Chaldæorum ſimulachra, Belum repræſentantia, *non ſunt Dii.* Annon Hierarchici hic ſe ipſos vident, qui Divorum ſtatuas *Divos* nuncupant; quanquam minùs Ethnicè, ſi vocarent tantùm, & non etiam Ethnicorum more colerent, & tanquam Deos venerarentur. Argumenta perſimilia ſunt. Illic enim Baruch. VI. 3. Chaldæi dicuntur *Deos argenteos, aureos & ligneos humeris portaſſe.* Id Hierarchici Divis conſimilibus faciunt, ut Baronius *Natal in Martyrol. Rom. Aug.* 16. de Rocho; Sleidanus *Comment. lib.* IX. de Genoovefa; de aliis alii teſtantur. Illic v. 5. Chaldæorum turba *Deos adoraſſe* dicitur. quod ad ſimiles Divos Hierarchici, coram imaginibus Sanctorum venerabundi procumbentes, transferunt. Illic v. 10. Chaldæi *Deos ſuos veſtimentis induunt & ornant, ac ſi homines eſſent*, quo deliramento Hierarchici in ſimilibus Divis inſaniunt, uſque adeò ut ex ipſis moderatiores nonnulli Monlucius Epiſcopus Valantianus, Salignacus, Eſpencæus *Hiſt. Eccl. Ref. in Gallia lib.* IV. inter varios imaginum abuſus hunc nominatim perſtrinxerint, & aboleri optaverint. Illic v. 18. Chaldæi *lucernas Diis accendunt, quarum nullam ii videre poſſunt!* Vidétne meliùs ligneus Hiſpanorum Jacobus ſuam candelam, aut alii Divi cereos; qui coram ipſis accenduntur? Illic v. 20. Chal-

dæorum Dii *atrantur facie ſua ex fumo*, quem thura in eorum venerationem cremata emittebant. Hierarchici aureis, argenteis, æreis Divis ſimiliter thura adolent. Denique ne ſingulis, quæ ejuſmodi ſunt, inſiſtam, illic v. 30. *Sacerdotes habentes capita barbáſque raſas*, ſimillimi ſcilicet Papiſtarum Sacerdotibus; v. 48. *ingruente bello conſilium de Diis ineunt, ubi abſcondantur ſimul cum iis.* Hanc Divorum quoque, non ſui duntaxat, curam Pontificiis Sacerdotibus eſſe oportere, apud Severinum *de vita Hyac. lib.* I. 13. Hyacinthum docuit B. Virginis ſtatua, lamentabiliter conquerens: *O fili Hyacinthe, effugis manus Tartarorum, & me diſſecandam & conculcandam relinquis.* Ad ſingula igitur argumenta, exemplo Epiſtolæ illius Jeremiæ, à Bellarmino hic commendatæ, cùm concludere mihi liceat: *Unde notum ſit Vobis, quia non ſunt Dii*; fateantur oportet Hierarchici, ſtatuas ipſas pro Divis à ſe haberi, ſi idola ipſa ab Ethnicis pro Diis habita hinc conficere velint.

LXI. Sed forte Hierarchici non æquè ac Ethnici dicunt ligno *Pater meus es*, & lapidi, *Tu genuiſti me.* Jerem. II. 27. Adeóque non æquè ac Ethnici imagines ſuas Deos eſſe putant. Sed paria facere Hierarchicos, conſtat. Nam cùm *ad Imaginem Sancti alicujus pronuntiant orationem Dominicam*, quod Catechiſmo Tridentino *de Orat. tit. quis orandus ſit*, teſte faciunt, dicunt ſanè ligno, aut lapidi, *Pater noſter es.* Nec enim, quia phraſi diſcrepare videntur, *dicere ligno*, & *dicere ad lignum*, iccirco re differunt, quæ Jeremias & Catechiſmus notant. Siquidem & phraſi, qua Catechiſmus utitur, uti etiam potuit Jeremiæ interpres, uti paſſim conſuevit, veluti Geneſ. VI. 13. VII. I. IX. 13. ubi pro לנח *ad Noe*, להם *ad eos* habet; adeóque etiam illud Jeremiæ לעץ *ad lignum* reddere potuit: & Bellarminus *de Eccleſ. Triumph. lib.* II. 23. plenè ac perſpicuè morem

Utrique ligno dicunt, Pater meus es; & lapidi, Tu genuiſti me.

Digitized by Google

rem Pontificiorum oratorum explicans, *Concionatores*, inquit, *alloquuntur imaginem crucifixi, eique dicunt, Tu nos redemiſti, Tu nos Patri reconciliaſti.* Sicut autem, quemadmodum Bellarminus ſtatim addit, iſta non dicuntur imagini, nec ut lignum, nec ut imago eſt, ſed ut accipitur loco exemplaris, id eſt, dicuntur Chriſto, cujus tamen imago vices gerit; ſic Auguſtinus in Pſal. CXIII. ſcribit, Ethnicos haud fuiſſe profeſſos, ſe preces ſimulachris fundere, quatenus ligna aut ſimulachra erant, ſed quatenus loco exemplarium accipiebantur, id eſt, oraſſe Deos ipſos, quorum vicem ſimulachra gerebant. An ovum ovo ſimilius eſt, quàm Gentiles & Hierarchici iconolatræ ſunt?

Utrorumque rudis populus ſtatuas & imagines pro Diis habet.

LXII. Aſt peritiores & cordatiores inter Ethnicos agnoviſſe, quòd preces ſimulachris fundendæ ſint, ut ſunt non ligna & ſimulachra, ſed loco exemplarium; rudiores verò ipſis ſtatuis, ut Numinibus ſupplicaſſe, Hierarchicus aliquis ſuggeſſerit. Quid ergo tum fiet de rudi in Papatu plebecula? An minùs ſolemnia inſanit? Non ſolam allegabo hiſtoriam unius illius Anglicanæ ſub Papatu, quæ in Templo coram ſtatua B. Virginis ſupplicans, interrogata quid faceret, reſpondit: *Ego huic B. Dominæ preces fundo, ut apud Dominam noſtram in Cœlo pro me intercedat.* Quam reſponſionem cùm ex vultu ſubridentis illius, qui interrogaverat, minùs rectam eſſe miſella conjeciſſet, retractavit, & *Lapſa ſum*, dixit: *Ego precor B. Dominam noſtram in Cœlo, ut huic gratioſiſſimæ Dominæ me commendet.* Non ſolùm Polydori Vergilii teſtimonium, ſic *de Invent. rer. lib.* VI. 13. ſcribentis: *Bene multi ſunt, bene multi rudiores ſtupidioréſque, qui ſaxeas, vel ligneas, marmoreas, æneas, ſeu in parietibus pictas, variiſque coloribus litas imagines colant, non ut figuras, ſed perinde quaſi ipſæ ſenſum aliquem habeant: & iis (NB) magis fidant,*

fidant quàm Chriſto ipſi, cujus tamen imago vicem gerit. Hæc quidem Belgici Cenſores & Expurgatores deleri juſſerunt, & recentiores editiones forte deleverunt. At nullis ſpongiis deleri poterit teſtimonium Papæ Pii II. Pontificiis approbantibus editum, qui *Comment. Pii* II. *lib.* 2. refert, *in Eccleſia S. Mariæ Prunetanæ, agri Florentini, Virginis eſſe imaginem, quam mira religione populi venerantur, tanquam pluviæ ſerenitatiſque donatricem, quum neceſſitas ingruit. Dives illic Templum eſt,* inquit, *& aſſiduis Mortalium votis inſigne.* Donator pluviæ ab Ethnicis habebatur Jupiter ipſe pluvius, non ejus ſimulachrum. Unde, Pauſania in Atticis teſte, Athenienſes volentes monumento teſtari ſiccitatem terræ, qua laboraverat regio, fecerunt ſimulachrum terræ ſupplicantis, non ſimulachro Jovis, ſed Jovi, ut ſibi plueret. Sive ergo Prunetani illi imagini, uti verba ſonant, ſive in imagine Mariæ, ceu pluviæ & ſerenitatis donatrici ſupplicârunt, vel paria cum Ethnicis fecerunt, vel eos ſuperſtitione ſua ſuperârunt.

Debitus juxta Hierarchicos imaginibus honor religioſus & Divinus eſt.

LXIII. Cœterùm imaginibus Chriſti, Deiparæ & Sanctorum *debitum honorem & venerationem*, adeóque honorem quendam proprium Tridentini decernunt. non conſtituentes tamen, qua in re ille conſiſtat; niſi quòd *apertionem capitis*, & *ante eas proſtrationem* exprimunt. Aliunde ergo honor ille erui debet. Neque rectiùs quã ex Concilio Nicæno, cujus ſententiam ſuam Tridentini fecere; conſecrationum imaginum formis, & Doctorum in Papatu eminentium, eorum cum primis, qui in Sanctorum numerum relati ſunt, ſententia erui poteſt.

Id quod colligitur ex definitione Concilii Nicæni II.

LXIV. Concilium Nicænum II. quod attinet, ſimpliciter illud decrevit, imagines eſſe adorandas, & *æquè venerabiles eas eſſe atque Evangelia.* Adorationem, honorem incenſi, ſuffitus, cereorum imaginibus tribuit. Quàm de iiſdem magnificè ſenſerit, vel illud indicio eſt, quòd varia imaginum miracula, loquelam, curationem morborum,

pœnas contemptorum prolixè extollit. Act. 2. citatur Baſilii illa ſententia ſuppoſititia. *Sanctos Prophetas, Apoſtolos ſuſpicio. Quam ob cauſam & hiſtorias imaginum illorum honoro, & palam ÁDORO.* Sed & confirmata in eo Concilio eſt ſententia Taraſii Patriarchæ Conſtantinopolitani, monitúſque ille, *ut deinceps etiam* σεπτὰς *venerandas imagines Chriſti, Deiparæ Virginis, & Sanctorum colere & adorare pergat.* Photius quoque in Collectionibus ſuis inter alia: *Hæc ſeptima* (Nicæna) *Synodus imaginem Chriſti* ἐπὶ τιμῇ καὶ σεβασμιότητι τοῦ εἰκονιζομένου προσκυνεῖσθαι καὶ τιμᾶσθαι *ad honorem & venerationem illius, quem ipſa refert, adorandam atque colendam ſuffragiis omnibus cenſuit & confirmavit; cùm adoratio nimirum, & honor adhibeatur* καθ' ὃν τρόπον *eodem modo, quo in aliis notis & formis ſacris ſanctiſſima latriæ utimur. Neque enim in illis conſiſtimus, honorémque ac adorationem inibi concludimus, nec in diverſos ac diſcrepantes fines diſtrahimur, ſed per cultum ipſarum ac adorationem, quæ diſcrepans ac diviſa videri poſſit, nos ſanctè ac indiſtractè in diviſam illam unámque ac unificam Deitatem ſurſum ferimur.* Apertè ſic declaratur, eum ipſum cultum, qui ad Deitatem tranſit, præſtari priùs aut ſimul imagini Chriſti, utpote qui revera cultus unus & ἀδιαίρετος *indiviſus* ſit; & quidem cultus latriæ, qualis ſoli Deo Altiſſimo competit. De cultu imaginum Sanctorum, eodem Photio teſte, Synodus Nicæna decrevit, quòd colendæ & adorandæ ſint κατ' ἀναλογίαν τῆς τῶν πρωτοτύπων ὑπεροχῆς καὶ σεβασμιότητος *pro ratione excellentiæ & venerabilitatis prototyporum*, utpote *per quas in unitivam quandam conjunctivámque virtutem attollamur, cujus beneficio, Divino illo ac ſupernaturali congreſſu contactúque fruamur illius, qui rerum expetendarum ſummus eſt; ipſius utique Dei.* Imaginibus ergo Chriſti, juxta Nicænos, eadem devotio & cultus, quæ ipſi Deo, latriæ ſcilicet:

cet: Sanctorum verò talis, qualis prototyporum eſt, atque ita ut, dum ſtatuis & imaginibus eorum adhæremus, idonei ſic ad communionem & contactum ipſius Dei evadamus, competit. An ad excitandam idololatriam, væſanúmque & rabidum imaginum ac idolorum amorem & deſiderium, potentius aliquod philtrum, quàm Nicæna hæc Sanctio excogitari potuit? Imaginari nempe iconolatræ ſic docentur, quòd dum Statuis inanimatis adhærent, & idola colunt, individuus ille actus atque is ipſe ſit, quo amplexibus veri & æterni Dei conſtringantur uniantúrque. Idololatriæ autem univerſæ hoc κρησφύγετον eſt, quòd per idolorum cultum devotionis & affectuum cum Deo conjunctio intendatur.

LXV. Imaginum cultum conſecratio earundem conſtituit. Quomodo ſimili conſecratione Deaſtros Gentilium factitatos ſic apud Minutium Felicem Octavius narrat: *Ecce funditur, fabricatur, ſculpitur; nondum eſt Deus. Ecce plumbatur, conſtruitur, erigitur, nec adhuc Deus eſt. Ecce ornatur, conſecratur, oratur. tunc poſtremò Deus eſt.* Talis imaginum Pontificiarum ratio eſt. Cœterùm conſecrationum formulæ cultum earundem propalant. B. Virginis imago tali formula conſecrari ſolet: *Sanctifica, Deus, hanc imaginem B. Virginis, ut tuis fidelibus ſalutaris auxilii opem ferat, tonitrua aut fulmina, ſi valuerint, nocentia celeriùs expellantur, pluviarum quoque inundatio, aut civilium bellorum commotio, ſeu Paganorum devaſtatio ad præſentiam ejus comprimantur.* Quis ſic ſub B. Virginis imagine, tanquam ſub alis magni Jehovæ ſe non abſcondat? Imago S. Johannis hac ferè formula conſecratur: *Præſta, Deus, ut omnes cum reverentia illam intuentes, precéſque coram illa fundentes, pro quacunque neceſſitate oraverint, exaudiantur. Sit hæc imago Dæmonum ſancta expulſio, Angelorum advocatio, fidelium protectio, ejúſque in hoc loco po-*

Conſecrationum imaginum formulis.

tenter vigeat interceſſio. Potens profectò incantamentum ad efficiendum, ut ſimpliciorum animæ ejuſmodi imaginibus, perinde ac ſi ipſarum præſentia Divina protectio foret, addictiſſimæ hæreant ſtupéantque. Conſecrationis imaginum in Rituali Romano Pauli V. & Urbani VIII. authoritate, adeóque poſt Concilium Tridentinum recognito hæc formula narratur: *Præſta, Deus, ut quicunque coram hac imagine Unigenitum Filium tuum vel beatiſſimam Virginem (prout imago fuerit, quæ conſecratur) vel glorioſum Apoſtolum, ſive Martyrem, ſive Confeſſorem aut Virginem ſuppliciter colere ac honorare ſtuduerit, illius meritis & obtentu à te gratiam in præſenti, & æternam gloriam obtineat in futuro.* Sic ergo Virgo Sanctíque alii ante imagines ſuas pro gratia vel gloria ſupplicibus, una cum ipſo Chriſto, & quidem ex propriis meritis, & propter cultum hunc, quo ante ſtatuas eorum, ceu præſentias ſymbolicas, preces fundunt, gratiam & gloriam, ceu cauſæ ſociæ, diſtribuunt, diſpenſántque. Hic ille debitus honos, hæc debita veneratio eſt imaginum, à Tridentinis inſinuata. An majus quid Gentiles imaginibus ſuis deferunt? Etenim apud eos, inquit Octavius, *imago ornatur, conſecratur, oratur, tunc poſtremò fit Deus.* Atque ſimili conſecratione hic imagines fiunt Dii, utpote coram quibus religioſè & devotè incurvantur homines, ſimili ſupplicantium poſitura, qua pagani uti ſolebant; à quibus, cohærentibus quippe & conjunctis Divis ipſis, gratia & gloria poſtulatur; cerei iiſdem accenduntur, incenſi & ſuffimentorum oblationes fiunt; feſta, Templa, altaria æquè ac Divis ipſis fiunt; quæque antiquo etiam Paganorum ritu circumgeſtari ſolenniter ſolent.

Et Theologorum Thomæ imprimis, Bonaventuræ

LXVI. De Theologorum, eorum etiam, qui Divorum in chorum cooptati ſunt, puta Thomæ & Bonaventuræ (qui imagines eodem, quo prototypon, cultu, adéoque

que Chriſti & crucis etiam latriæ cultu venerandas pertendunt) ſententia diſcordè non repetam hic, quæ ſupra *theſi* XXXVI. dicere occupavi. Certè Azorius Jeſuita affirmat, conſtantem eſſe Theologorum opinionem, imaginem eodem honore cultúque honorandam colendámque, quo is, cujus imago eſt, honoratur & colitur. Quod à Nicæni Concilii, imaginibus cultum κατὰ τὴν ἀναλογίαν τῶν πρωτοτύπων ὑπεροχῆς *juxta analogiam* (unde Bellarminus, aliíque *analogicum* cultum vocant.) *excellentiæ prototyporum* decernentis ſententia nihil abludit. Bellarminus *de Imag. lib.* II. 24. *Si*, inquit, *imago non eſt veneranda niſi impropriè, quia nimirum coram illa vel in illa, aut per illam adoratur exemplar, certè licebit ſimpliciter negare, imagines eſſe venerandas. Quod enim non dicitur niſi impropriè; ſimpliciter negari poteſt. uti patet. At Concilium* VII. *act. 7. anathema dicit illis, qui negant imagines eſſe venerandas*. Et quemcunque tandem imaginum honorem & cultum proprium faciunt, *religioſum* eſſe fatentur omnes. Religioſum autem cultum Divinum eundem eſſe, ſupra probavimus.

tura. Bellarmini &c. ſententia.

LXVII. Fruſtra ergo Tridentini honorem, qui imaginibus exhibetur, referri ad prototypa, quæ illæ repræſentant, prætexunt. Nam honorem quendam religioſum proprium imaginibus eo ipſo deputant: iis capita aperienda, coram iis procumbendum ſciſcunt. Et quæ ex Concilii Nicæni II. ſententia, conſecrationum formulis, & Theologorum placitis allegavimus, honorem imaginum proprium, Divinum, haud inferiorem eo, quem ſuis Pagani idolis exhibuerunt, eſſe arguunt. Supra quoque *Theſibus* XXXIII. XXXIV. XXXV. illud cultus & honoris relativi, ſeu ad prototypa relati, quem non potuerunt non Nicæni & Tridentini ſancire, non potuerunt non ipſi etiam pagani obtendere & revera obtenderunt ſemper, monſtrum debellavimus, & ad *viam adulteræ* pertinere, efficaciter demonſtravi-

Prætextus Tridentinorum, quòd honor imaginibus exhibitus ad prototypa referatur, refellitur.

ſtravimus. *Dicant*, ſic Carolus M. & Synodus Francofurtenſis in Capitularis *lib.* III. 16. Nicænos iconolatras ferit, *dicant igitur, quibus hoc tam peculiare eſt dicere, quòd imaginis honor in primam formam tranſit: dicant: ubi hoc legerint, aut quibus valeant approbare. Dominus namque & Salvator noſter non ait: Quandiu feciſtis imaginibus: ſed quandiu feciſtis uni de minimis iſtis, mihi feciſtis. Nec ait, qui imagines, ſed qui vos recipit, me recipit. Nec Apoſtolus ait: Diligamus imagines, ſed, diligamus nos invicem.* Addo illud Agobardi libro de Picturis & imaginibus: *Summopere notandum eſt, quia ſi opera manuum Dei non ſunt adoranda & colenda, nec in honore Dei, quantò magis opera manuum hominis non ſunt adoranda, nec in honore eorum, quorum ſimilitudinem gerunt.* Cùm ergo Divina lex, quæ ſimplex, & ad facilem populi captum ſcripta eſt, neque adeò hominum argutorum ſubtiles evaſiones & profundas latebras patitur; omnem imaginum cultum vetet; neque Chriſtus teſtatus ſit, gratum ſibi eſſe honorem per imagines ad ſe tranſeuntem, relinquitur, honorem & adorationem, quæ in prototypon tranſire putatur, in imaginibus manere, quieſcere, terminari, adeóque qui vel eas, vel coram iis adorat, etiam præter opinionem & intentionem ſuam, ex rei nimirum veritate opus manuum hominis, aurum, argentum, ligna, lapides, picturas adorare.

Relatio imaginum ad prototypa nec ſimilitudinis imaginum cum prototypis; nec intentionis iconolatrarum, incurvatione

LXVIII. Sed dicant adhuc iconolatræ, relatio imaginum ad prototypa obtineat ne virtute *ſimilitudinis* imagines inter & prototypa intercedentis, an *intentionis* iconolatræ, aſpectu imaginis, & incurvatione coram eadem intendentis colere Chriſtum, Deiparam, Sanctos? *Prius* innuere Tridentini videntur, cùm *imagines prototyporum ſimilitudinem gerere* dicunt. Cœterùm nec ſimilitudo talis religioſi cultus fundamentum

tum

coram imaginibus Chriſti & Sanctorum honorem intendentium, virtute obtinet.

tum eſſe poteſt, tum quia externa lineamenta extra prototypa nihil venerabile & excellens habent; tum quia potiſſima prototypi pars, mens, ſola venerabilis in imagine non repræſentatur: & Pontificiæ imagines ne quidem Prototyporum formas habent. Crux enim Chriſti, & Chriſtus ipſe uſque ad Concilium VI. Generale non imagine aliqua, ſed ſymbolo & typo, uti ex Paulino Caſſander probat, exprimebantur. Et Chriſtus quidem Agni, crux verò coronæ floribus undique textæ ſpecie figurari conſuevit. Unde ergo illa, quæ poſt Concilium Generale circumfertur Chriſti & crucis imago deprompta eſt? Quæ ſimilitudinis cultum religioſum fundantis nota indubitabilis? Par ratio imaginum Deiparæ, Apoſtolorum, Sanctorum veterum; quas exactam prototyporum formam referre, nemo fidem faciet. Pleræque imagines non aliam quàm barbæ, inſignium, habitus differentiam habent. Quin ſimiles ſæpe imagines ſunt hominibus notis, heri & nudius tertius natis, quandoque inſignitè improbis. quos ſic honor & cultus ille continget. Quid quòd imagines ſtatuuntur Sanctis Cœlitibus, cœleſti viſione fruentibus? Illi verò in Cœlo non corpore, ſed anima tenus degunt. Quomodo ergo imagines corporeæ eorum à corpore ſeparatorum ſimilitudinem gerunt? Et quæ tandem Divinitatis, juxta quam ſolam Chriſtus θεάνθρωπος adorationis objectum eſt, effigies exſculpi poteſt? Neque *poſterius* iconolatras expediet felicius, tum quia ſimilis intentio nec Judæos vitulum, nec Paganos idola ſeu imagines ſupremi Numinis colentes ab idololatriæ culpa liberavit; tum quia incurvatio verſus imagines Deiparæ & Sanctorum, ceu eorundem præſentium ſymbola, & vetita planè eſt, & omnipræſentiæ omniſcientiæque excellentiam Deiparæ & Sanctis eximiam facit, adeóque honorem Dei non-Diis impertitur.

LXIX.

Iconolatria haud poſtrema ſpecies Staurolatria, ſeu adoratio crucis eſt, quæ ex Pontificali R. ubi inprimis ſolennitatem, qua Paraſceve Antepaſchali peragi ſolet, deſcribit;

LXIX. Iconolatriæ ſpecies haud infima eſt *Staurolatria*, ſeu cultus imaginis crucis & crucifixi Chriſti. quo cultu vix aliud Hierarchia ſolennius habet. Et quidem latriæ ſummum in hoc genere cultum, totiúſque religionis apicem cruci Thomas Aquinas 3. *par.* 4. 25. 4. vindicat. Quæ ſententia publica ferè Eccleſiæ Romanæ authoritate conſtituitur. Nam *Pontificale*, publicum atque authenticum volumen, à Papa non uno confirmatum *Parte* 3 *p.* 480. *Crux Legati*, inquit, *quia debetur ei latria, erit à dextris.* Quin & crucem, ſtatim atque conſecrata eſt, uti ibidem *par.* 2. *p.* 361. habetur, *Pontifex flexis ante eam genibus devotè adorat & oſculatur. Idem faciunt, quicunque alii voluerint.* Solennis maximè ejus adoratio fit feria ſexta Paraſceve antePaſchali. Ritus adorationis ejus in Miſſali Romano *fer.* 6. *in Paraſc. p.* 225. 226. legere eſt. Completis orationibus Sacerdos primò crucem jam in altari præparatam accipit à Diacono. Ubi ad locum ventum eſt, quo chorus cantat, *Venite, adoremus*; tum omnes ſe proſternunt, excepto celebrante, qui diſco operit brachium dextrum crucis, ac elevans eam tertiò, altius incipit: *Ecce lignum crucis*; aliis cantantibus & *adorantibus*: *Ecce lignum crucis, in quo ſalus mundi pependit*, Chorus reſpondet: *Venite adoremus.* Poſtea Sacerdos ſolus portat crucem ad locum ante altare præparatum, & genu flexus ibidem eam locat; mox depoſitis calceamentis accedit ad adorandam crucem, ter genua flectens, antequam eam oſculetur. Hoc facto revertitur, & recipit calceamenta & caſulam. Hæc Sacerdos, vix quæſitiorem & ſanctiorem adorationis cultum ipſi Chriſto exhibiturus, ſi in terris eſſet. Demum miniſtri altaris, dein alii clerici & laici bini & bini *ter genibus flexi crucem adorant.* Inde cantatur communiter Antiana: *Crucem tuam adoramus, Domine, & ſanctam reſurrectionem*

tuam

tuam laudamus & glorificamus. Ecce enim propter lignum venit gaudium in univerſo mundo. Poſt cantatur: *Crux fidelis, inter omnes arbores una nobilis; Nulla ſylva talem profert, fronde, flore, germine, dulces clavos, dulce pondus ſuſtinet.* Sed & die Septembris 14 in ſolennibus Miſſæ Sacris, ea parte, quæ Offertorium vocatur, ſic Deum precari mos eſt: *Protege, Domine, plebem tuam per ſignum ſanctæ crucis ab inſidiis inimicorum omnium, &c.* In ſecreto rogant, *ut ſicut illud* (crucis vexillum) *adorare meruerunt, ita perenniter ejus gloriæ ſalutaris potiantur effectu.* In Miſſa de Sancta cruce: *Tuam crucem adoramus, Domine.* Menſis Maii die tertio, quo crucem ab Helena inventam credunt, inter cœtera ſacra oratio dicitur, qua crucem, ceu vivum Numen ſic invocant: *O crux ſplendidior cunctis aſtris, mundo celebris, hominibus multum amabilis, ſanctior univerſis, quæ ſola fuiſti digna portare talentum mundi; dulce lignum, dulces clavos, dulcia ferens pondera, SALVA præſentem catervam in tuis hodie laudibus congregatam.* Oratio in Breviario Rom. *feſto Maii* p. 892. extat. Chriſti ipſius, & imaginis crucis ejus adorationi differentiam nullam relinqui, liquet. Unde Guilhelmus Philander *Annot. in Vitruv. de architect. lib.* IV. 8. crucifixi Chriſti imaginem *Chriſti in cruce pendentis* appellatione inſignit. Et in ſolennitate Paraſceves Paſchæ ſupra memorata, Presbyter imaginem crucifixi ex ſepulchro recipiens, templum circuit, & portas ejuſdem clauſas pulſat, dicens: *Attollite portas principes veſtras, & elevamini portæ æternales, & introibit Rex gloriæ.* Interrogante eo, qui in portis excubat: *Quis eſt iſte Rex gloriæ?* Presbyter reſpondet: *Dominus fortis & potens in prælio, Dominus virtutum, ipſe eſt Rex gloriæ.* Simulachrum ergo crucis eſt *Dominus, Rex gloriæ.*

Digitized by Google

Nec non dedicationum & conſecrationum formulis idololatria manifeſta convincitur.

LXX. Quæ verò, quantáque à crucibus ſuis Staurolatræ expectent, ne ignoremus, Pontifex inter cœtera, quibus crucem novam dedicat, uti *Pontif. Rom. p.* 359. & *Ritual. p.* 375. recitatur, *à Domino Sancto Patre Omnipotente Deo ſempiterno poſcit, ut dignetur benedicere hoc ſignum crucis ſuæ, ut ſit*, inquit, *remedium ſalutare generi humano, ſit ſoliditas fidei, profectus bonorum operum, redemptio animarum, ſit ſolamen & protectio ac tutela contra ſæva jacula inimicorum.* Non majora ſunt, quæ Chriſtiani non dico à Chriſti Sacramentis, ſed ab ipſo Chriſto expectant. Sequitur dein longum carmen, in quo, præeunte Pontifice, multa de ligni myſteriis apud Deum philoſophati, inter alia ſic orant: *Sit ei* (plebi) *crux fidei fundamentum, ſpei ſuffragium, in adverſis defenſio, in proſperis adjuvamen. Sit ei in hoſtes victoria, in civitate cuſtodia, in campis protectio, in domo fultura.* Poſtremo carmine ſic conſecratur crux: *Sanctificetur lignum iſtud in nomine Patris, & Filii, & Spiritus S. Et benedictio illius ligni, in quo membra ſancta Salvatoris ſuſpenſa ſunt, ſit in iſto ligno; ut orantes inclinantéſque ſe propter Deum ante iſtam crucem inveniant corporis & animæ ſalutem.* Atque illud ſingulare eſt, quod Chriſtum rogant, ut crucem *illis manibus accipiat, quibus ſuam amplexus eſt. De ſanctitate illius*, inquiunt, *hanc ſanctifica; & ſicuti per illam mundus expiatus eſt à reatu: ita offerentium famulorum tuorum animæ devotiſſimæ Hujus crucis MERITO omni careant perpetrato peccato, & tuæ veræ crucis obtectu eniteſcant ſucceſſibus aſſiduis triumphatores. Radiet hic unigeniti Filii tui Domini noſtri ſplendor Divinitatis in auro: emicet gloria paſſionis ejus in ligno: in cruce rutilet noſtræ mortis redemptio, in cryſtalli ſplendore vitæ noſtræ purificatio. Sit eorum protectio; ſpei certa fiducia eos ſimul cum gente & plebe*

fide

Digitized by Google

fide confirmet; ſpe & pace conſociet; augeat triumphis; amplificet in ſecundis; proficiat eis ad perpetuitatem temporis, ad vitam æternitatis, ut eos temporali florentes gloria muniat, & ad perpetuam redemptos coronam ad regna cœleſtia potenti virtute perducat. Crux proficiſcentium in ſubſidium terræ Sanctæ, ſic *ibid. p.* 381. conſecratur, ut Pontifex hæc à Deo poſcat: *Te ſupplieiter exoramus, ut digneris hanc crucem paterna pietate benedicere, &* COELESTEM EI VIRTUTEM ET GRATIAM *impertiri, ut quicunque eam in paſſionis, & crucis Unigeniti tui ſignum ad tutelam corporis & animæ ſuper ſe geſtaverit, Cœleſtis gratiæ in ea plenitudinem, & munimen valeat tuæ benedictionis accipere.* Quis non videt, in ſimulachrum crucis virtutem crucis, in qua Chriſtus pependit (cui abſolutum latriæ cultum illi deputant) meritum, Cœleſtem virtutem & gratiam, aliáque merè Divina ὅλῳ θυλάκῳ effundi, atque illud qua tale, adorari?

LXXI. Ad *Lipſanolatriam*, ſeu *Reliquiarum cultum* venimus. in quo non minus ἀθέμιτος εἰδωλολατρεία *nefaria idololatria*, ut cum S. Petro loquar, graſſatur. Tridentini iidem *Seſſ.* xxv. ſic de reliquiarum honore loquuntur: *Sanctorum Martyrum, & aliorum cum Chriſto viventium Sancta corpora, quæ viva membra fuerunt Chriſti, & templum Spiritus S. ab ipſo ad æternam vitam ſuſcitanda & glorificanda, à fidelibus veneranda eſſe: per quæ multa beneficia à Deo hominibus præſtantur: ita ut affirmantes, Sanctorum reliquiis venerationem atque honorem non deberi; vel eas aliáque ſacra monumenta à fidelibus inutiliter honorari; atque eorum opis impetrandæ cauſa Sanctorum memorias fruſtra frequentari; omnino damnandos eſſe, prout jam pridem eos damnavit, & nunc etiam damnat Eccleſia.* Pu-

De Lipſanolatria, ſeu Reliquiarum cultu definitio Tridentinorum ſubdola.

Puduit Tridentinos dicere, quod res eſt. Non ergo palam Eccleſiæ ſuæ ſententiam deſcribunt, ſed tectè admodum & verſutè. Non enim de veneratione, honore reliquiarum, ſed de ſpecie honoris & venerationis illius diſceptari probè noverant; an videlicet religioſa iis adoratio competat. Competere equidem Synodus credidit, ſed verbis exprimere erubuit, quia crudele nimis videbatur, à Synodo Chriſti nomen profeſſa damnari quenquam eo nomine, quòd hominum mortuorum corpora adorare palam refugiat.

Reliquiis Divinos honores impendi, ex Concilio Nicæno II. Catecheſi Tridentina Pontificali R. Vaſquez, Thoma Waldenſi, Baronio;

LXXII. Adorandas eſſe Sanctorum reliquias, ſummo conſenſu Eccleſia Romana docet. Nititúrque earum adoratio authoritate Concilii Nicæni II. cujus *Act.* 4. hæc verba ſunt: *Oſſa, cineres, pannos, ſanguinem, ſepulchra denique adorantes, illis tamen non ſacrificamus.* Catecheſis Tridentina *in præcept.* 3. probat juramenta per reliquias: *Ad faciendam*, inquit, *fidem, per res creatas juramus, ut per ſacra Dei Evangelia, per crucem, per Sanctorum reliquias & nomen.* Qui honor ad latriæ cultum pertinet. Per quem enim juramus, eum teſtem conſcientiæ invocamus, & ultorem imprecamur, ſi fefellerimus. Quæ poteſtas & ſcientia ſolius Dei eſt. In Pontificali Romano lege ſancitur, *ne ullum altare abſque reliquiis conſecretur.* Ideo capite *de conſecrat. alt.* altare *ſepulchrum* vocatur, dicitúrque *altare dedicari in honorem & nomen Sancti, cujus reliquiæ altari includuntur.* Pertinet id ad Miſſæ integritatem & dignitatem. Nam in ea Sacerdos prona facie altari incumbens has voces ſubmurmurat: *Oramus te Domine, per merita Sanctorum, quorum reliquiæ hic ſunt, & omnium Sanctorum, ut indulgere digneris omnia peccata mea.* Vaſquez ingenuè magis, quàm alii, tegentes iſthoc dedecus, ſic *in* 3. *Thom. q.* 25. *diſp.* 112. *c.* 2. in ipſo limi-

Digitized by Google

limine ſcribit: *Apud Catholicos veritas indubitanda eſt, reliquias Sanctorum, ſive fuerint partes ipſorum, ut oſſa, carnes & cineres, ſive res aliæ, quæ ipſos tetigerunt, vel ad ipſos pertineant,* ADORANDAS *& in hoc honore ſacro habendas eſſe.* Mox *diſp.* 113. cinctoria & ſudaria ait *adorationis cultu* fuiſſe veneranda. Diſputatione abſoluta perorat, ſe contra hæreticos conſtituiſſe, *reliquias eſſe adorandas.* Atque ita paſſim loquitur. Thomas Waldenſis *Doctr. part.* 3. *Tit.* 13. *cap.* 120. ex Damaſceno definit, non modò lignum crucis Domini, ſed etiam ſepulchrum, præſepe, clavos, lanceam, veſtes, Sion, & Golgotha *eſſe adoranda;* eóſque, qui ſic adorare detrectant, velut hæreticos refutat, qui Deum quidem in his locis aut rebus adorari concedunt, res verò ipſas aut loca *adoranda* negant. Mox *cap.* 121. dicit, omnes Dei Sanctos *& eorum reliquias eſſe ſuis gradibus adorandas.* Ibidem dictum quoddam Ambroſii ab Adverſario objectum expendens vehementer contendit, Helenam Conſtantini matrem Regem Chriſtum ſic adoraviſſe, *ut etiam lignum adoraverit propter Regem.* Baronius *A.* 821. *ſſ.* 14. dicit ſe à Clemente miſſum, *licet tanto munere indigniſſimum, ut exploraret & adoraret venerandum Cæciliæ corpus* Prædicare Evangelium res eſt in Cardinali ſordida; at adorare Cœciliæ oſſa res eſt, quam longè ſupra dignitatem Cardinalis eſſe Baronius agnoſcit.

Praxi inprimis publica aſtruitur.

LXXIII. Sed nunc res, non verba ſpectemus. Quocunque enim nomine reliquiarum cultum appellent, ſive *adorationis*, quod ſimplicius, & ipſi rei conſentaneum eſt; ſive *venerationis*, quod fortaſſe callidius, ad Sophiſticen potiùs pertinet, parùm equidem laboramus, dum conſtet, rem ipſam non aliud, quàm Divinum & religioſum cultum pro-

dere. Jam verò apertum eſt, Hierarchicos & iiſdem obnoxios corpora, cineres, oſſa & Sanctorum ex ſepulchris jam diu quietis eruta elevare; quandoque ſupra altare collocare; auro, argento, ſerico exornare; in ſupplicationibus & proceſſionibus, à populo Chriſtiano ſpectanda, tangenda, oſculanda circumferre; coram ſemeſis illis piorum monumentis geſtibus & animo ſupplices & adorabundos procidere; ab iis gratiam & beneficia Dei expoſcere; iis pretioſa dona offerre; ad loca, ubi reliquiæ eſſe putantur, peregrinationes religioſas inſtituere; eaſdem altari, ad ſanctitatem Euchariſtiæ conciliandam includere; in collo ex devotione & fiducia ad Deum & Sanctos geſtare; tactis iis juramenta præſtare; denique tali reliquiarum venerationi gratiam, beneficia Dei, efficaciam precum apud eas fuſarum, remiſſionem peccatorum polliceri. Atque ſic, quod alicubi Eraſmus, queritur, æquè Lipſanolatræ illi Franciſci cucullam, Annæ pectinem, caligam Joſephi, Thomæ calceum, ac ipſum Dei filium ſuſpiciunt: quod nullo piaculo luent.

Bellarmini ſtropha inſignis. LXXIV. Fruſtra ergo Centuriatoribus & Calvino, reliquias à Latinis *adorari & Divinis honoribus affici* ſcribentibus, Bellarminus *lib.* II. *de reliq. & imag. Sanct. cap.* 2. ſuccenſens, reliquias à ſe Divino honore affici, vel Chriſti loco adorari, negat. *Nos enim*, inquit, *reliquias honoramus & oſculamur, ut ſacra pignora patronorum noſtrorum; ſed nec adoramus, ut Deum, nec invocamus ut ſanctos.* Hac ſcilicet ſtropha probè ſeſe defunctum arbitratur, ſi ſe id, quod præter Deum adorant, *ut Deum adorare* negaverit. quaſi ulla religioſa adoratio ſit, quæ alterius ſit, quàm Dei. Et quid prodeſt proteſtatio contraria facto? Neque etiam adorationis *latreuticæ, duleuticæ, abſolutæ, relativæ* differentiam, à Sophiſtis hic decantari ad ravim uſque ſoli-

ſolitam, non ſemel ſupra profligatam, moramur quicquam. Dei judicium erit ſecundum veritatem, non ſecundum ingenioſas illas præciſiones & intentiones hominum prævaricantium & προφασαζόντων Etiam qui Baalem oſculati tantùm ſunt, eum adoraſſe dicuntur. 1. Reg. XIX. 8. & propter religioſum illud oſculum idololatriæ rei peraguntur.

LXXV. Lipſanolatria cujuſmodi adoratio, abſoluta an relativa ſit, ipſæ adorationis reliquiarum formulæ produnt. Paucas exponamus. In hymno ſuper ferro lanceæ hæc habentur: *Ave ferrum triumphale &c. Felix haſta nos amore per te fixi ſaucia.* An hæc Chriſto dici poſſunt? Lignum crucis ſic alloqui mos eſt: *O crux, ave ſpes unica, hoc paſſionis tempore, Auge piis juſtitiam, Reiſque dona veniam.* Ac ne quis putet, hæc Chriſto dici metonymicè, vel relativè ad Chriſtum, eidem cruci dicuntur, quæ Chriſto dici non poſſunt: *Sola digna fuiſti ferre Sæcli pretium, Crux fidelis inter omnes Arbores una nobilis.* Nec tantùm hæc ligno crucis, ſed ejus etiam imagini dicuntur. In æde S. Petri Romæ aſſervatur *ſudario* impreſſa effigies vultus Chriſti, quam *Veronicam* vocant, nomine mulieris, à qua, ita Baronius *A.* 34. habet, ſudarium traditur faciei Chriſti ſanguine & ſudore aſperſæ admotum eſſe, & vultus ejus effigiem in ſe retinuiſſe. Eſt & urbs Hiſpaniæ, quæ eodem ſudario gloriatur; neque immeritò, ſi Regio Hiſtoriographo Marinæo Siculo *de rebus Hiſp. lib.* 5. credimus: æquè ſanè meritò, ut ego credo, ac Roma. Ad utrum horum ſudariorum dicenda ſit oratio, quam Johannes XXII. edidit, neſcio. Sed ab illo Papa libro Orationum, qui *Antidotarius animæ* inſcribitur, conceſſa memorantur decem millia dierum indulgentiarum devotè dicentibus orationem certam, & inter dicen-

Ex adorationis reliquiarum formulis, inprimis ea, quæ ad Sudarium Veronicæ dirigitur, eam abſolutam, non relativam eſſe, oſtenditur.

dicendum Veronicam inſpicientibus. Orationis formula hæc eſt:

Salve ſancta facies noſtri Redemptoris,
In qua nitet ſpecies Divini ſplendoris,
Impreſſa panniculo nivei candoris,
Dataque Veronicæ ſignum ob amoris.
Salve decus Seculi, ſpeculum Sanctorum,
Quod videre cupiunt ſpiritus Cœlorum;
Nos ab omni macula purga vitiorum,
Atque nos conſortio junge beatorum.
Salve vultus Domini imago beata,
Ex æterno munere mirè decorata:
Lumen funde cordibus ex fide tibi data,
Et à noſtris ſenſibus tolle calligata.
Salve robur fidei noſtræ Chriſtianæ,
Deſtruens hæreticos qui ſunt mentis vanæ:
Horum auge meritum. qui te credunt ſanè,
Illius effigie, qui Rex fit ex pane.
Salve noſtrum gaudium in hac vita dura,
Labili & fragili citò peritura:
Nos adhuc ad propria, O FELIX FIGURA,
Ad videndam faciem quæ eſt Chriſti pura.

Parentem, niſi fallor, Durandum Fœtus ille inſignis habet. Annon ſic Divina & maxima quæque à picta & ficta *facie Redemptoris*, *ſpecie Divini ſplendoris panniculo impreſſa*, *imagine vultus Domini*, *felice illa Figura* ſupplices implorant? Nam quomodo orationem illam ſic Lipſanolatræ fingere vel refingere, ut ipſi Chriſto quadret, poterunt?

Lipſanolatriæ fœditatem prodit, quòd adorant id, quod quale ſit, ignorant.

LXXVI. Ad Lipſanolatriæ fœditatem pertinet, quòd qui hodie reliquias colunt, ferè venerantur id, quod quale ſit, ignorant. Tot enim impoſturæ detectæ paſſim olim & nuper, univerſas ſuſpectas reddunt. Mitto ocreas Martini, Georgii vaginam, cul-

cultrum Criſpini, calcearium, aut quæ in urbe quadam Liguriæ aſſervari dicitur, caudam aſini, cui inſedit Chriſtus, aut Rochi canem, aut Antonii ſuem. Quis mihi Macarius inter tot denſas arborum ſylvas veram crucem dabit? Aut quæ Helena è tot ferreis montibus clavos? Mirumne, ſi aruſpices ipſi arrident ſibi, dum hæc populo oſtentant. Fatetur Caſſander *Conſult. de Reliq. Sanct.* avaritiæ cauſa ad ſimplicem populum alliciendum falſas reliquias plures ſuppoſitas, ficta miracula prædicata, iiſque miraculis alitam populi ſuperſtitionem eſſe. *Nonnunquam*, addit *aſtu & illuſione dæmonis, hominum ſuperſtitione abutentis, per inſomnia & viſa novæ reliquiæ revelabantur, & ejuſdem operatione miracula edi videbantur.* Næ ille elephanti corio circumtectus ſit oportet, non ſuo, qui poſt tot patefactas fraudes, non tantùm incertis adeò reliquiis venditatis fidem habuerit, ſed ante eas etiam ſupplex procubuerit, ut Divinam inde virtutem, ſive ſanationis, ſive ſanctificationis reportet.

Hierolatriæ ſpecies, quas inter cultus Agnorum Dei primas obtinet. Eorum conſecratio deſcribitur.

LXXVII. Reſtat *Hierolatria*, ſive rerum conſecratarum cultus. Miſſis benedictionibus & conſecrationibus Chriſmatis, aquæ luſtralis, oleorum, cerei Paſchalis, campanarum, quas res Papa conſecratione ſua Divina virtute mactatas & imprægnatas in idola convertit; ſpecimen unicum delibabimus, ut ἐκ τοῦ κρασπίδου τὸ ὕφασμα γινώσκειν liceat; cultum videlicet *Agnorum Dei* cereorum. quibus Papalis conſecratio Divinam venerationem cultúmque conciliat. Conſecrat enim eos ſolus Papa, Papatus ſui primo & ſeptimo quoque anno recurrente. Materia Agnorum eſt balſamus, ſacrum chriſma, aqua benedicta, & cera alba ſeu munda. Ritus Papæ eos conſecrantis Marcelli Corcyrenſis

Ceremoniale Romanum *lib.* 1. *ſect.* 7. ejuſmodi prodit: *Cubicularii ad Papam portant Agnos Dei, quos Pontifex immergit in aquam, & Prælati adſtantes eos extrahunt, & in pelvibus argenteis portant ſuper menſas &c. Et omnibus baptizatis per Pontificem, vel per ejus Prælatos, ſurgens Pontifex ſine mitra dicit ſuper eos has orationes: O alme Spiritus &c. qui in aquarum ſubſtantia maxima Sacramenta conſtituiſti, quæ ſunt tuo flatu ſanctificatæ, atque imperante lavacri ſuſceptione, S. Trinitatis nomine invocato, omnia peccata diluunt: quæſumus Domine, hi Agni ſacra & perenni unda balſamóque ſacri chriſmatis perfuſi, tu illo benedicere* &c. Unde *in fonte natos* dixit Poeta, id eſt, in Baptiſmo, quia Papa eos in nomine S. S. Trinitatis cum horribili Sacramenti profanatione baptizat.

Virtutem iis planè Divinam tribui, tum ex conſecrationis eorundem formula.

LXXVIII. Quæ virtus *Agnis* hiſce *Dei* inſit, & quis honor debeatur iiſdem, tum ex Papæ conſecrantis precatione; tum ex carmine, cum quo Urbanus V. tres Agnos Dei Græcorum Imperatori miſit, cognoſcitur. Utraque in Ceremoniali eodem conſignata extat. Papa conſecrans inter alia ſic precatur. *Et quemadmodum ille Agnus innocens, tua voluntate immolatus, in ara crucis Jeſus Chriſtus filius, Protoplaſtum noſtrum de Diabolica poteſtate eripuit: ſic iſti agni immaculati virtutem illam accipiant, quos conſecrandos offerimus in conſpectu Divinæ Majeſtatis tuæ. Tu eos benedicere, ſanctificare, & conſecrare digneris, ut tua larga benedictione ſanctificati* EANDEM *virtutem accipiant contra omnes Diabolicas verſutias, & fraudes maligni Spiritus: ut illos devotè ſuper ſe ferentibus, nulla tempeſtas eiſdem prævaleat, nulla adverſitas dominetur, nulla aura peſtilens, nulla acris corruptio, nullúſque morbus caducus, nulla maris procella & tempeſtas, nullum incendium, neque ulla iniquitas domine-*

minetur eis, neque prævaleat homo: partus cum matre incolumis ſervetur, per interceſſionem Unigeniti, &c. Tandem adjicit, *per Jeſum Chriſtum*, quaſi ei illuſurus, petens, ut *ejus interceſſione* Agni cerei eandem cum ipſo virtutem recipiant.

LXXIX. Carmen, cum quo Urbanus V. tres Agnos ad Imperatorem Græcum tranſmiſit, ejuſmodi eſt:

Tum ex carmine, cum quo Urbanus V. tres Agnos Dei Imperatori Græcorum tranſmiſit, aſſeritur.

Balſamus, & munda cera, cum Chriſmatis unda
Conficiunt agnum, quod munus do tibi magnum
Fonte velut natum, per myſtica ſanctificatum,
Fulgura deſurſum depellit, omne malignum,
Peccatum frangit, UT CHRISTI SANGUIS, *& angit*:
Prægnans ſervatur, ſimul & partus liberatur.
Dona defert dignis, virtutem deſtruit ignis,
Portatus munde, de fluctibus eripit undæ.

Palam eſt, non ſoli Chriſto, non ſoli ſanguini ejus, ſed *Agno Dei*, à Chriſti ſanguine diſtincto, & cum eodem comparato effectus hoſce verè Divinos tribui. Canit enim Vates ille: *Peccatum frangit, ut Chriſti ſanguis, & angit.* Ergo virtus ſanguini Chriſti propria huic Agni Dei idolo tribuitur. Elegantiori carmine elegiaco eadem complexus eſt Guilhelmus Eſtius apud Molanum *cap.* 13. ſed qui verſum illum maximè blaſphemum modò repetitum hoc Pentametro commutavit: *Et pietas animo ſurgit, abitque tepor.* Quod an ſit Paraphraſten agere, judicent alii. Impudentior equidem Eſtio Gretſerus contra myſterium Pleſſæi *cap.* 60. illos verſus & agnoſcit & tuetur: aſt Urbano antiquiores eſſe pertendit. Flavius quoque Cherubinus in Compendio Bullarii, Notis ad Bullam Gregorii XIII. A. 1572. editam, ad idem illud Urbani Octaſtichon

Digitized by Google

chon provocat, ut plures alios mittam. Molani & Gretſeri Κρησφύγετα Celeb. Gisb. Voetius *Diſp. Tom.* III. *p.* 953. *&c.* diluit.

Argumenti concluſio. LXXX. Abundè ſic Aſſumptioni noſtræ, quòd *Hierarchia creaturas nonnullas, veluti Papam, Euchariſtiam, Sanctos, imagines, reliquias, & res conſecratas religioſè venerans, creaturis Divinum cultum exhibeat, & exhibere populum ſibi obnoxium jubeat,* fidem nos feciſſe confidimus. Relinquitur, ut fas nobis integrúmque ſit concludere, *Hierarchiam, Papam, Euchariſtiam, Sanctos, imagines, reliquias, res conſecratas religioſè venerantem idololatriam committere, & ad idololatriam populum ſibi obnoxium ſeducere*; adeóque, in quo rei noſtræ cardo vertitur, *cæteris paribus, Babylonem Magnam, Matrem ſcortationum & abominationum terræ eſſe.*

DISSER-

Digitized by Google

DISSERTATIO
DUODECIMA.
QUA

Hierarchiam, ſeu Clerum Eccleſiæ Romanæ dominantem eſſe Babylonem Magnam probatur Septimò, *quia Sanctos veri Dei cultores, omnéſque diſſentientes, atrociter perſequitur.*

BREVIARIUM.

I. *Erroribus Hierarchiæ Tyrannicis crudelitas ſeu tyrannis erga Sanctos, omnéſque diſſentientes cohæret.*

II. *Tyrannidem ejuſmodi Babyloni M. Prophetia tribuit.*

III. *Ejuſdem ream eſſe Hierarchiam, Syllogiſmo probatur. cujus propoſitio ex terminis conſtat.*

IV. *Aſſumptio per membra ſua aſſeritur. Hierarchiæ crudelitas adverſus eos, qui Deo magis quàm Papæ adhærent, adeóque Sanctos & diſſentientes omnes intenditur.*

V, *Quos illa hæreticorum probroſo titulo necquicquam proſcindit.*

VI. *Quin Hierarchiam perſequendo eos verè Meretricem Babylonicam ſe prodere; & perſecutionem ejus ſuſtinentes plurimos verè Sanctos eſſe, legitimo præjudicio evincitur, quia Sancti vim patiuntur, Meretrix religionis cauſa vim infert.*

VII. *Religionem vi & armis adſtruere, pugnat cum doctrina & praxi Chriſti, Apoſtolorum;*

VIII. *Doctorum veteris Eccleſiæ, Lactantii, Auguſtini, Tertulliani, Athanaſii, Hilarii &c.*

IX. *Cum natura religionis, quæ doctore opus habet, non tortore; cùm coactio ſimulatores efficiat.*

X. *Cum culpæ & pœnæ proportione, quoad externam ſocietatem;*

XI. *Cum proprietate Eccleſiæ, cujus eſt non ſævire ad ſanguinem uſque, vim facere.*

XII. *Cum judicio denique ſaniorum inter Pontificios, Ximenii, Cujacii, Bodini, Thuani, Curiæ Pariſienſis, Nicolai Fabri, Seldi, Lazari Schwendii, &c.*

XIII. *Tyrannidis ergo rea eſt Hierarchia, quæ legibus latis ſolius religionis cauſa cùm alios, tum Sanctos inprimis perſequendos ſciſcit.*

XIV. *De pœnis hæreticorum ſententia Bellarmini, legibus Eccleſiæ Pontificiæ, & Conciliorum decretis innixa.*

XV. *Ordo, quo Eccleſia Papalis in puniendis hæreticis procedit, ex eodem proponitur & perſtringitur.*

XVI. *Ejuſdem diſtinctio inter pœnas infidelium, & à fide deficientium, examinatur.*

XVII. *Sciopii ferales ſententiæ de hæreticorum Regum aliorúmque excidio procurando, ab Inquiſitione Papienſi approbatæ.*

XVIII. *Hierarchicorum de religione vi proferenda ſententia concluditur.*

XIX. *Inquiſitionis origo & progreſſus ex Paulo Veneto, aliiſque narratur.*

XX. *Dominationis & tyrannidis Hierarchicorum apex eſt, vinculum ac neceſſitas ſilendi.*

XXI. *Judices tribunalis illius ſunt Monachi, juxta Dianam, Juriſconſulti potiùs quàm Theologi; ipſis Principi-*

cipibus formidabiles.

XXII. *Poteſtatem habent delegatam in* Papa*, & juxta quoſdam accedentem ad ordinariam; illegitimam planè.*

XXIII *Judicii illorum norma ex Cornelio Agrippa exponitur; non verbum Dei, vel recta ratio, ſed Pontificum poſteriorum decreta Perſica.*

XXIV. *Modus in eodem procedendi infernalibus furiis, quàm hominibus dignior eſt.*

XXV. XXVI. *Injuſtitia & crudelitas proceſſus ex Gonſalvo, Diana, aliis repræſentatur.*

XXVII. XXVIII. *Horribiles torquendi captivos modi ediſſeruntur.*

XXIX *Suppliciorum diritas.*

XXX. *Cui Monachi hypocritæ, pro traditis Seculari brachio in ſpeciem, & recepto juxta Baronium more, intercedentes, ludibrium addunt.*

XXXI. *Inquiſitionem non Sanctuarium Domini, ſed fornacem Babylonicam eſſe, concluditur.*

XXXII. *Crudelitatis Papæ documentum proximum eſt, quòd per Legatos & Emiſſarios diſſentientes Regum & Principum furori exponit. De Babyloniis his Legatis Prophetia phialæ ſextæ Apoc.* XVI. 12 *&c. comparatur.*

XXXIII. *Nuntii & Emiſſarii ſpirituales Papæ prophetiæ ei exactè quadrant.*

XXXIV. *Súntque duorum generum, vel à Papa immediatè miſſi, Legati à latere, Nuntii Apoſtolici.*

XXXV. *Vel Monachi, Jeſuitæ inprimis, voto proprio ad miſſionem obſtricti.*

XXXVI. *Legatorum & Miſſionariorum* Papæ *& Apoſtolorum ſeu Legatorum Chriſti immane diſcrimen.*

XXXVII. *Sunt Spiritus, & quidem immundi.*

XXXVIII. *Ranis Ægyptiacis ſimilimi, quod utrorumque comparatione oſtenditur.*

XXXIX. *Sunt Spiritus dæmoniaci,* שדים*, crudelitate,*

tate, aſtutia, impuritate dæmoniaca præditi.

XL. *Miracula oſtentant. uti relationes inprimis Indicæ teſtantur.*

XLI. *Eunt ad, & in Reges ac Principes terræ & habitabilis; Totorbiperambulitechni.*

XLII. *Congregant Reges & Principes ad bellum ſacrum.*

XLIII. *Coaxatus & coccyſmus eorum perpetuus quo Reges & Principes mundi ad bellum ſacrum incendunt.*

XLIV. *Legum Hierarchiæ, ad tyrannidem religioſam obligantium, Inquiſitionis, & Legatorum Miſſionariorúmque claſſicum religioſum canentium executio & ſucceſſus, adeóque actualis Hierarchiæ crudelitas ex hiſtoria panditur.*

XLV. *Tyrannidis in conſcientias ſubjectorum Hierarchia rea eſt.*

XLVI. *Fruſtra eandem nobis objicientibus Walenburgiis.*

XLVII. *Tyrannis ejuſdem in corpora & fortunas Sanctorum & diſſentientium ediſſeritur.*

XLVIII. *Bella Papalia cum Imperatoribus Græcis,*

XLIX. *Nec non Occidentalibus, Henricis, Fridericis, Ludovico Bavaro.*

L. *Factiones Italicæ, bellum Siculum, Sacrum, Schiſmata Pontificia, Imperium Græcum à Pontifice proditum Hierarchiæ crudelitatem arguunt.*

LI. *Perſecutionum adverſus Sanctos hiſtoria. Veluti Albigenſes, quorum innocentiæ Reinerus Inquiſitor teſtimonium præbuit.*

LII. *Bohemos.*

LIII. *Per Reformationem ab Eccleſia Romana ſeparatos.*

LIV. LV. *Supplicia Martyrum poſt Reformationem horrenda præ omnibus præcedentibus compendio narrata.*

LVI. *Prætextus militaris licentiæ iiſdem obductus diſcutitur.*

LVII.

LVII. *Leonis X. Hadriani VI. Clementis VII. adverſus Eccleſiam molimina.*

LVIII. *Tridentinum Concilium à Paulo III. indictum. Franciſci I. Galliarum Regis & Caroli V. æmulatio in perſequenda Papæ inſtinctu Eccleſia. Waldenſium præſide Oppa ſtrages horrenda.*

LIX. *Mariana Angliæ perſecutio, & Jeſuitarum adverſus Eliſabetham & Jacobum Regem molimina. Laniena Hibernica.*

LX. *Hiſpanicæ adverſus Eccleſiam crudelitatis ſpecimina.*

LXI. *In Belgio maximè, duce Albano.*

LXII. *Nec non Gallicæ ſub Henrico II & fratribus Valeſiis.*

LXIII. *Papæ & Italiæ Principum, Sabaudi inprimis novi adverſus Waldenſes furores. Laniena vallis Telinæ, & nupera Pedemontana horribilis.*

LXIV. *Pax religioſa in Imperio Paſſavii & Auguſtæ conſtituta ab Hierarchicis oppugnatur, ceu vi extorta, & quia hæreticis fides data ſervanda non ſit. cujus dogmatis impietas demonſtratur. Cum Turca quàm cum Papa tutiùs iniri fœdera poſſunt.*

LXV. *Pax eadem religioſa in Germania, Bohemia, Hungaria, Polonia &c. ſancita ab iiſdem Hierarchicis pro viribus extremis infringitur & violatur.*

LXVI. *Jeſuiticæ crudelitatis ſeries paucis pertexitur.*

LXVII. *Crudelitas Hierarchicorum in Orientem deſpumans. velut adverſus Americanos. quos prætextu convertendorum ad Chriſtum Cleri inſtinctu Hiſpani immaniſſimè vexârunt.*

LXVIII. *Nec non Æthiopes Habeſſinos, Japonenſes, Sinenſes, Clero machinante mirè perturbatos, & mutuis cædibus commiſſos.*

LXIX. *Concluſio, quòd Hierarchia ſit Mulier, Sanctorum*

Digitized by Google

& teſtium Jeſu ſanguine ebria, *adeóque Babylon Magna*, *verbis Franciſci Petrarchæ aſtruitur.*

LXX. *Bellarmini objectio*, *quòd perſecutio Hierarchicorum adverſus noſtros Ethnica veteri longè inferior*, *& veri nominis perſecutio non ſit, ſed civile bellum ; ipſi contra à noſtris perſecutionem patiantur*, *proponitur.*

LXXI. *Hierarchicorum perſecutio veterum Gentilium perſecutionem ſuperat pluribus modis*, *etiam numero cæſorum & ſuppliciorum immanitate.*

LXXII. *Prætextus belli civilis diluitur.*

LXXIII. *Perſecutio Eccleſiæ ab Hierarchicis imminens adhuc*, *crudelitatis eorundem menſuram implebit.*

LXXIV. *Hierarchicos à Proteſtantibus perſecutionem nullam ſuſtinuiſſe oſtenditur*, *& peroratur.*

Erroribus Hierarchiæ Tyrannicis crudelitas ſeu tyrannis erga Sanctos, omnéſque diſſentientes cohæret.

I. TYrannicos & idololatricos Hierarchiæ errores ſatis equidem ſuperiore diatriba perſtrinximus. Priuſquam tamen ad *Magicos* procedamus, tum rei ipſius neceſſitas, tum Prophetiæ ordo poſtulat, ut utriuſque connexa capita nonnulla pari methodo demonſtranda ſuſcipiamus. Et *Tyrannicis* quidem, in Chriſtum Eccleſiæ caput, ejúſque univerſa officia arietantibus erroribus cohæret *tyrannis* in ejuſdem corpus, Sanctos & fideles teſtes Jeſu, omnéſque diſſentientes. Idem enim erga membra Chriſti, qui erga Chriſtum caput affectus haud dubiè æſtuat. Qui caput ferit, corpori quomodo parceret? Imò tantò minùs parcit, quantò invalidiores ictus ſunt, quibus Chriſtum caput, in Cœlis ad dextram Dei triumphans, impetit. Sicut enim Leopardus, animal μισανθρωπότατον homine abſente, vel imaginem ejus ſolam videns, ſive pictam, ſive ſculptam, confeſtim in oculos ejus involat, eámque lacerat & diſcerpit: ſic hi cùm ad Chriſtum abſentem,

tem, & in Cœlis regnantem penetrare nequeant, ejus imaginem & εἰκόνα, homines fideles, corpus Chriſti in terris militans inſectantur, exagitant, infeſtant. *Idololatricis* verò erroribus tum blaſphemiæ erga verum Deum, tum corporalis ſcortatio conjunctiſſimæ ſunt. In præſentiarum *Tyrannidem* Babylonis & Hierarchiæ erga corpus Chriſti omnes Sanctos, fideléſque cultores Dei & diſſentientes alios apertam in lucem proferre, atque ſic *Septimum* demonſtrationis noſtræ caput exhibere conſtitutum nobis eſt.

Tyrannidem ejuſmodi Babyloni M. Prophetia tribuit.

II. Tyrannidem & crudelitatem in perſequendis atrociter Sanctis & diſſentientibus quibusvis Angelus Babyloni Magnæ clariſſimè tribuit. Nam & habitum ejus cap. XVII. 4. πορφύραν καὶ κόκκινον *purpuram & coccinum*, crudelitatis ſymbola, uti ſupra oſtendimus, ſtatuit: & v. 6. Mulierem deſcribit, ceu μεθύουσαν ἐκ τοῦ αἵματος τῶν ἁγίων *ebriam ſanguine Sanctorum, & ſanguine teſtium Jeſu*: & in ea *Sanguinem Prophetarum, Sanctorum & omnium in terra mactatorum inventum eſſe*, cap. XVIII. 24. teſtatur. Quomodo etiam Matth. XXIII. 35. Hieroſolymæ imputatur ſanguis Habelis. Quippe omnis homicida communionem cum omnibus homicidis habet, omnium homicidiorum reus fit, & cum homicidis omnibus punitur.

Ejuſdem ream eſſe Hierarchiam, Syllogiſmo probatur. cujus propoſitio ex terminis conſtat.

III. Planum igitur eſt, Hierarchiam Eccleſiæ Romanæ, cœteris paribus, Babylonem Magnam jure haberi ab omnibus, ſi tyrannidis & crudelitatis erga Sanctos & diſſentientes quoſvis rea peragi poſſit. Nos autem ream peragimus ſequenti Syllogiſmo:

Quicunque cœtus adverſantes ſibi eos, qui Verbi Divini ſcripti authoritate, aliiſque legitimis rationibus freti ei ſe ſubjicere detrectant, probroſo hæreticorum titulo traductos, & lege lata cogendos, puniendos, excidendos decernit: & inſtituto tribunali

nali injuſtis modis torquet, punit, occidit: & per emiſſarios Regum Principúmque indignationi & furoribus exponit: & ſanguinariorum decretorum ſuorum executione pro viribus ſuis & extremis modis quoad conſcientias, corpora, honores & fortunas omnes infeſtat; is Sanctos veri Dei cultores, omnéſque diſſentientes atrociter perſequitur, adeóque cæteris paribus, Babylon Magna eſt.

Atqui Hierarchia, ſeu Clerus Eccleſiæ Romanæ dominans adverſantes ſibi eos, qui Verbi Divini ſcripti authoritate, aliiſque legitimis rationibus freti ei ſe ſubjicere detrectant, probroſo hæreticorum titulo traductos, & lege lata cogendos, puniendos, excidendos decernit: & inſtituto tribunali injuſtis modis torquet, punit, occidit: & per emiſſarios Regum Principúmque indignationi & furori exponit: & ſanguinariorum decretorum ſuorum executione pro viribus ſuis, & extremis modis quoad conſcientias, corpora, honores & fortunas omnes infeſtat.

Ergo Hierarchia, ſeu Clerus Eccleſiæ Romanæ dominans Sanctos, Veri Dei cultores, omnéſque à ſe diſſentientes atrociter perſequitur; adeóque cæteris paribus, Babylon Magna eſt.

Propoſitionis veritas ex terminis cognoſcitur. Aſſumptio proin ſola nobis demonſtranda venit.

Aſſumptio per membra ſua aſſeritur. Hierarchiæ crudelitas adverſus eos, qui Deo magis quam Papæ adhærent, adeóq. e

IV. Hierarchiæ crudelitas & perſecutio omnis adverſus eos, qui *verbi Divini authoritate, aliiſque legitimis rationibus freti ei ſe ſubjicere detrectant*, adeóque *adverſantur*, intenditur. Non aliud enim majus crimen illa interpretatur, quàm non obedire Papæ, eum pro ſummo Eccleſiæ capite & dictatore, quin & pro Summo in Spiritualibus & temporalibus Rege ac Domino non agnoſcere, imperata ejus non facere, defini-

finitiones non recipere. Pro authoritate & poteſtate illa ſua, tanquam pro aris & focis, ſed pro his magis, quàm pro illis dimicat. Qui ei ſe ſubjicere renuunt, & freti Scripturis ac rationibus legitimis, quibus vetamur fidem & conſcientiam obſtringere hominibus, & legitimo Magiſtratui, non poteſtatis violento raptori & uſurpatori contra omne fas, obedire jubemur, jugum iniqui Domini excutiunt, unius ſoliúſque Dei, ejúſque verbi obedientiam & fidem ἀνυπόκριτον profitentur, & opere ipſo, amore Dei & proximi ſincero, humilitate, & in perſecutionibus patientia, conſtantiáque præſtant: illi *ἅγιοι καὶ μάρτυρες Ἰησοῦ testes Jeſu*, adeóque ii ipſi, quorum ſanguine ebriam Mulierem Prophetia dicit; ſunt. Qui non tam Scriptura, forte incognita vel non intellecta, quàm ratione & jure legitimo freti jugum Papæ detrectant: ii ſi non *Sanctorum*, ſaltem legitimè *diſſentientium*, adeóque affectatæ Papæ παμβασιλεία adverſantium loco ſunt.

Sanctos & diſſentientes omnes intenditur.

V. Nihil autem refert, quo nomine, *Sanctorum*, & ſimpliciter diſſentientium, an *Hæreticorum* vel *Infidelium* etiam Hierarchicis tales veniant. Etenim pridem res ſua nomina perdiderunt: & peſſimi quique bonum malum, & malum bonum dicere conſueverunt. Res, non vel opinio, vel ſuſpicio, vel iniqua hominum, qui non quæ Chriſti, ſed quæ ſua ſunt, quærunt, judicia æſtimanda ſunt. Nunquam certè vel Meretrix Babylonica eos, quos odit, & perſequitur, *Sanctos* & *teſtes Jeſu*: vel Sancti & teſtes Jeſu Meretricem Babylonicam caſtam Virginem, honeſtámque matronam inſignient. Hæretici ſunt S. Auguſtino *lib. de utilitate credendi*, qui *alicujus temporalis commodi*, & *maximè gloriæ, principatúſque ſui gratia, falſas ac novas*

Quos illa hæreticorum probroſo titulo nequicquam proſcindit.

novas opiniones vel gignunt, vel ſequuntur. Tales certè non illi ſunt, qui Hierarchiæ repugnant. Nam repugnando nec temporale commodum, nec gloriam, nec principatum ambiunt; certi potiùs, ſe repugnando talium jacturam facere. Neque etiam qui Scripto Dei verbo adhærent, & dogmatis in eo revelatis aſſentiuntur, parati cedere iis, qui ex Scripturis rectiora demonſtraverint, novas opiniones vel gignere, vel ſequi cenſentur meritò. Argumentorum certè affatim eſt, quibus nos magis infamatos, quàm convictos hæreſium eſſe, demonſtremus. Olim quoque Ariani Orthodoxos hæreticorum pipulo differre auſi ſunt. Audiamus Salvianum de Arianis ſic loquentem: *Hæretici ſunt, ſed non ſcientes: denique apud nos ſunt hæretici, apud ſe non ſunt. Nam in tantum ſe Catholicos eſſe judicant, ut nos ipſos titulo hæreticæ pravitatis infament. Quod ergo illi nobis ſunt, & hoc nos illis. Nos illos injuriam Divinæ generationi facere, certi ſcimus, quòd minorem Patre filium dicant. Illi nos injurioſos Patri exiſtimant, quòd æquales eſſe credamus. Veritas apud nos eſt, ſed illi apud ſe eſſe præſumunt. Honos Dei apud nos eſt: ſed illi hoc arbitrantur honorem Divinitatis, quod credunt. Inofficioſi ſunt, ſed illis hoc eſt ſummum religionis officium. Impii ſunt, ſed hoc putant veram eſſe pietatem.*

Quin Hierarchiam perſequendo eos verè Meretricem Babylonicam ſe prodere, & perſecutionem ejus ſuſtinentes plurimos verè Sanctos eſſe, le-

VI. Cœterùm eos, quos Hierarchia, ceu Papæ immorigeros, perſequitur, & quorum ſanguine inebriatur, verè Sanctos eſſe, tum eorum recta fides, charitas & patientia demonſtrat: tum legitimum quoddam præjudicium evincit. Nam eo ipſo, quòd Hierarchia eos religionis cauſa, & quia Regno Papæ colla ſubmittere renuunt, odit & perſequitur, ſe quidem Meretricem Babylonicam eſſe palam prodit, quia non eos, qui perſecutionem patiuntur, ſed qui inferunt, Babylonis & Meretricis Magnæ ſtigmate Prophetia inurit; eos verò qui

qui perſecutionem ſic illatam fideliter & conſtanter patiuntur, Sanctos & teſtes Jeſu Prophetia eadem declarat. Non Iſacus filius promiſſionis Iſmaelem, filium ſecundum carnem, ſed Iſmael carnalis Iſacum ſpiritualem perſequitur. Ipſum Jus Canonicum *Cauſa* 23. *can.* 13. *q.* 4. hanc ſententiam tulit: *Nunquam Spiritualis Carnalem perſequitur; ſed carnalis ſpiritualem.* Docet id ipſum praxis non tyrannorum duntaxat, ſed etiam hæreticorum veterum. De Neſtorio *Hiſt. Tripart. lib.* XII. 4. memoratur, quòd in prima ſua inauguratione ad Archiepiſcopatum Conſtantinopolitanum Imperatori dixerit: *Da mihi, o Imperator, terram ab hæreticis liberam: & ego Cœlum tibi reddam. Tu mihi hæreticos extirpa: & ego Perſis delendis adero.* Planè ſic Papa Imperatori & Regibus pollicitus eadem ratione auxilium contra Turcas. Ita Donatiſtæ, Ariani, Eutychiani, alii ſumma crudelitate orthodoxos perſecuti ſunt. Eudoxius Arianus Imperatorem Valentem Arianum juramento adſtrinxit ad defenſionem Arianæ hæreſeos, & diverſum ſtatuentium extirpationem per gladium & tormenta quævis. Dioſcorus, Zonara *Tomo* III. *in Theodoſio Juniore* teſte, cùm defenſionem Eutychianiſmi ſuſcepiſſet, orthodoxos Epiſcopos ſtipatis militibus (audite Papales Epiſcopi) ad ſubſcriptionem coegit.

gitimo præjudicio evincitur, quia Sancti vim patiuntur, Meretrix religionis cauſa vim infert.

VII. Religionem certè vi & armis adſtruere, & propagare, ſolius religionis cauſa, de cœtero nullius criminis, blaſphemiæ, perduellionis, maleficii compertos, infeſtare, non Chriſtianum, ſed Antichriſtianum, & propriè Babylonicum eſt. Pugnat id cum doctrina & praxi Chriſti, Apoſtolorum & priſcæ Eccleſiæ: cum natura religionis: cum proportione culpæ & pœnæ: cum proprietate veræ Eccleſiæ: cum judicio ſaniorum omnium. *Cum doctrina & praxi Chriſti, Apoſtolorum,*

Religionem vi & armis adſtruere, pugna ttum doctrina & praxi Chriſti, Apoſtolorum;

Ec-

Eccleſiæ priſcæ id pugnare, teſtatiſſimum eſt. Chriſtus quidem Servator Luc. IX. 54. 55. Apoſtolos ſuos ob intempeſtivi Zeli votum, ut ad exemplum Eliæ de Cœlo cadens ignis Samaritas Meſſiam non recipientes abſumeret, graviter increpuit, eóſque ad Spiritus Evangelici manſuetudinem revocavit. Sed & S. Petrum idem Matth. XXVI. 52. ſeverè caſtigavit, poſtquam Zelo percitus, æquiſſimo quidem illo, ſed non ſecundum ſcientiam, Malcho aurem præcidiſſet; palam etiam denuntians perituros, quicunque pietatis obtentu, aut Zelo præfervido impulſi, perdere alios aggredientur. Apoſtoli quoque Magiſtri ſui, nil niſi pacem ſpirantis, & præceptum & exemplum ſecuti, authoritate ſuadendi magis, quàm jubendi poteſtate, nulla ſuppliciorum immanitate, prædicationis Evangelii prima per orbem terrarum fundamenta jecerunt; non carnalibus, ſed ſpiritualibus militiæ armis uſi, 2. Cor. X. 4.

Doctorum veteris Eccleſiæ, Lactantii, Auguſtini, Tertulliani, Athanaſii, Hilarii &c.

VIII. Secuti Apoſtolos veteris Eccleſiæ Patres, opus ab Apoſtolis feliciter cœptum urgentes, *nullius ſe miſcere morti* (ita Gregorius M. loquitur) ne tum fas eſſe duxerunt, quando ad Chriſtianos ſumma rerum pervenit. Nemo illorum religionem Chriſti aliquo inferre cupiens, armis rem geſſit: nemo bellum cum ullo Principe ſuſcepit; quippe qui probè meminiſſent, juxta Thucydidis illud, τὸν πόλεμον διδάσκαλον βίαιον *bellum* ceu *violentum magiſtrum* in religionis negotio locum nullum habere. *Longè* enim, uti Lactantius *Divinat. lib.* V. 20. loquitur, *diverſa ſunt carnificina & pietas: nec poſſunt aut veritas cum vi, aut juſtitia cum crudelitate conjungi.* De Manichæis audiamus eum, qui in illorum craſſis ſordibus diu hæſit, Auguſtinum ſic *contra Epiſt. fund. cap.* 1. 2. differentem: *Illi, ſæviant in vos, qui neſciunt, quo cum labore verum inveniatur, & quàm difficilè caveantur errores. Illi in Vos ſæviant, qui neſciunt, quàm rarum & arduum ſit carnalia phantaſmata piæ mentis ſere-*

ſerenitate ſuperare. Illi in vos ſæviant, qui neſciunt, quanta difficultate ſanetur oculus interioris hominis, ut poſſit intueri fidem ſuam. Illi in vos ſæviant, qui neſciunt, quantis gemitibus & ſuſpiriis fiat, ut ex quantulacunque parte poſſit intelligi Deus. Poſtremò illi in vos ſæviant, qui nullo tali errore decepti ſunt, quali vos deceptos vident. Ego autem ſævire in vos omnino non poſſum, quos ſicut me ipſum illo tempore, ita nunc debeo ſuſtinere, & tanta patientia vobiſcum agere, quanta mecum egerunt proximi mei, cùm in veſtro dogmate rabioſus & cæcus errarem. Ante ipſum Tertullianus *ad Scapul. Non religionis eſt*, inquit, *cogere ad religionem, quæ ſponte ſuſcipi debet, non vi, cùm & hoſtiæ ab animo libenti expoſtulentur. Ita etſi nos compuleritis ad ſacrificandum, nihil præſtabitis Diis veſtris*, &c. Athanaſius quoque *Epiſtola ad Solitarios* in Arianam hæreſin acriter invehitur, quòd prima in contradicentes uſa eſſet judicum poteſtate, & quos non poſſet verbis inducere, eos plagis, vi, carceribúſque ad ſe pertrahere anniteretur. *Aque ita*, inquit, *ſe ipſam, quàm non ſit pia, nec Dei cultrix, manifeſtat.* Similia Hilarius Oratione ad Conſtantium habet. Gregorius ad Conſtantinopolitanum Epiſcopum: *Nova & inaudita eſt iſta prædicatio, quæ verberibus exigit fidem.* In Gallia jam olim damnati ſunt Eccleſiæ judicio Epiſcopi, qui ut in Priſcillianiſtas gladio, animadverteretur, curaverant: & in Oriente damnata Synodus, quæ in Bogomili exuſtionem conſenſerat.

IX. Sed & *cum natura religionis* vis ob religionem facta pugnat, utpote quę doctore, non tortore indiget. Animus enim externa & corporea violentia ſuperior, per naturam ſuam velle, quod nolit; & nolle, quod velit, nequit. Adeò enim liber eſt, ut ne ab ipſo quidem Deo cogatur nolle, quod vult, vel quod non vult, velle, utpote quæ contradictoria ſunt. Locuples libertatis hujus coactioni oppo-

Cum natura religionis, qua doctore opus habet, non tortore; cùm coactio ſimulatores efficiat.

oppoſitæ Scriptura paſſim teſtis eſt. veluti Deut. xxx. 1. 9. Joſ. xxiv. 15. 2. Cor. 1. 23. &c. *Quis*, inquit Lactantius *Inſtit. lib.* v. 14. *imponat mihi neceſſitatem vel credendi, quod nolim, vel quod velim, non credendi.* Et ut maximè te impoſuiſſe credideris, quid aliud, quàm hypocriſin & ſimulationem, pietati validiſſimè contrariam induxeris, & fortaſſe, uti apud Socratem *Hiſt. Eccl. lib.* III. 14. Themiſtius loquitur, ἁλουργίδα, ὀυ θεὸν θεραπεύοντας *purpuræ tuæ*, *non Dei cultores* aliquot effeceris, ſi veram, aut idoli, ſi aliam religionem urgeas. Mentis Rex Deus eſt, quem Stephanus Poloniæ Rex Sapientiſſimus uni ſibi hæc tria reſervaſſe dixit: *ex nihilo aliquid facere; ſcire futura, & dominari velle conſcientiis.*

Cæſar in has poterit juris habere nihil.

Atque id etiam Calanus, Indorum vetuſtus Philoſophus, agnovit, cùm ad Alexandrum, amicorum ſuaſu, vim & manum Indorum Philoſophis allaturum, hæc, Philone *lib. quòd omnis probus liber*, narrante, ſcriberet: Τὰ μὲν σώματα μετοίσεις ἐκ τόπου εἰς τόπον. Ψυχὰς δὲ ὀυ δύναμαι ποιεῖν ἃ μὴ βούλονται, ἢ μᾶλλον πλίνθους καὶ ξύλα φωνὴν ἀφεῖναι· ὀυκ ἐςι βασιλεὺς, ὀυτε ἄρχων, ὅς ἀναγκάσει ἡμᾶς ποιεῖν, ἃ μὴ προαιρούμεθα. *Corpora quidem de loco in locum transferes: animos verò non coges, quæ nolint, facere: aut citiùs lapides & ligna vocem emittere. Non eſt Rex aut Imperator, qui adigat nos facere, aut credere ea, quæ non decrevimus.* Sed fac, religionem violentia promoveri. Evangelii tamen illa militaris & cruenta prædicatio calamitatis iliada, etiam felici bellorum eventu, ſecum trahit: perfidiam, atheiſmum, rebellionem, excidia Rerumpublicarum & gentium, & quicquid honeſtati & ſanctitati contrariatur. Sic pietas pietate perit; & ſæpe, qui volunt hæreſium nulla inter ſe eſſe Zizania, hoc efficiunt, ut nullum apud eos

ſit

Digitized by Google

ſit triticum. Et quàm denique fœdum illud, laudem prædicationis Apoſtolicam cum carnifice militibúſque communicare?

Cum culpæ & pœnæ proportione, quoad externam ſocietatem;

X. Parùm etiam Religioſa hæc violentia *cum culpæ & pœnæ proportione* congruit. Fieri enim poteſt, ut erroneam in religione ſententiam amplectatur inſcius, cùm ſua cuique religio videatur optima, utpote quæ à pluribus non ratione, ſed affectu dijudicatur. *Quis* verò *nomen unquam ſceleris errori dedit*, vel pœnam decrevit? Seneca in *Herc. fur.* ſic quærente. Si verò pertinaci quis malitia peccaverit; cùm tamen Religionis jus non homini cum homine intercedat, ſed inter hominem ac Deum conſcium animi hominis verſetur, ac proinde religionis diverſitate jus hominum non lædatur, nec violentia, exceptis iis, quos ſupra deſignavimus, inferri errantibus, nec ſupplicia, quæ delictis publicam humanæ ſocietatis deſtruentibus debentur, irrogari poſſunt.

Cum proprietate Eccleſiæ, cujus eſt non ſævire ad ſanguinem uſque, vim facere.

XI. Cum *proprietate Eccleſiæ*, cujus eſt non ſævire ad ſanguinem uſque, vim facere, ſed vim pati, violentiam iſthanc pugnare ſupra adſtruximus. *Hæretici* contra (ſic Hieronymus *Orat in Auxent.*) *quos non poſſunt ſermone decipere, eos putant gladio eſſe feriendos. Cruentas leges ore dictant, manu ſcribunt, & putant, quòd lex fidem hominibus queat imperare.* Probè equidem novimus, ſacris literis edocti, non Eccleſiam, ſed Hominem illum peccati, Filium perditionis interficere populum Sanctorum 2 Theſſ. II. 3. Dan. VIII. 24. XI. 41. & Beſtiam, non Eccleſiam, facere bellum adverſus teſtes Dei, & vincere illos, ac occidere Apoc. XI. 7. XIII. 7. 15. Sed & Prophetia noſtra non Eccleſiam, ſed Babylonem, non veſte magis, quàm innocentum cruore purpuratam; Sanctorum ſanguine ebriam inducit.

Cum judicio denique ſaniorum inter Pontificios, Ximenii, Cujacii, Bodini, Thuani, Curiæ Pariſienſis, Nicolai Fabri Seldi, Lazari Schwendii, &c.

XII. Denique cum *judicio ſaniorum*, Pontificiorum etiam, illam religioſam tyrannidem pugnare, plurium ſuffragiis probari poteſt. Pauca adſcribam è quibus agmen ducat Theologus Hiſpanus, Petrus Ximenius, qui *Epiſt. Belgic. Epiſt.* 33. de turbulentiſſimo bello, quod contra Proteſtantes Religioſa Gallia ſuperiori Seculo geſſit, ſic inter alia ad Caſſandrum ſcripſit: *Luimus hac in parte pœnas ſtultitiæ noſtræ, quòd ita animati ſumus, ut à nobis in religione diſſidentes ferre non poſſimus, niſi ſimul eos extinctos velimus, atque extinguere etiam ſtudeamus. Addimus deinde incendio oleum ex aliis cauſis, quæ non minùs virium habent ad alendas has contentiones, quamvis religionis cauſa tegantur. Orandus ergo ſummis precibus Deus, ut arma, quæ ipſe certè non excitavit, eripere aliqua ratione dignetur manibus imprudentium, ne dicam furentium* &c. Sic de Gallicis rebus Hiſpanus. Ipſa verò Gallia viros habuit ſapientes, quibus iſtud ferro & flammis diverſam religionem extirpandi conſilium ſegniter placuit. Cujacius apud Alb. Gentilem *de Jure belli cap.* 10. negat religionem eſſe, *quæ calet in cœdes civium, & perniciem patriæ.* Bodinus πολιτικώτατος *de Repub. lib.* IV. 7. *Si*, inquit, *Princeps aliquis certiſſimas de vera religione aſſenſiones animo comprehenſas habens, ſubditos opinionum varietate & multitudine diſtractos in ſuam velit pertrahere ſententiam, vim amovere oportet. Nam quò majora ſupplicia irrogabis, eò minùs proficies: cùm ea ſit hominibus inſita vis & natura, ut ad aſſentiendum aliquid ſponte duci velit, cogi nolit.* Inprimis Seculi noſtri Livius, Jac. Auguſtus Thuanus, quid de ſuppliciis religionis cauſa illatis ſentiat, non uno loco prodidit. veluti cùm *Hiſtor. lib.* LXVII. ex Leunclavio oſtendiſſet, Turcas à

Muphte

Muphte ſuo perſuaſos, exiſtimare, gratius eſſe Deo, religionis Muhamedanæ cauſa, Perſam unum trucidari, licet profeſſione & ipſe Muhamedanus ſit, quàm ſi quis Septuaginta Chriſtianos, à Muhamedanis in religione prorſus diſſidentes, interficiat; hæc poſtea ſubjicit: *Quam eandem ſententiam quidem novi Theologi nuper tueri auſi ſunt, cùm dicerent, bellum, quod communi Chriſtianorum conſenſu contra Muhammedanos geri oportuit, utiliùs ad Dei gloriam contra Sectarios, qui inter nos ſunt, omiſſis Turcis verti debuiſſe. Quod quàm piè & juxta manſuetudinem Chriſtianam dicatur*, ipſi, *qui conſcientiam aliorum moderantur* (Jeſuitæ) *conſcientiam ſuam rogent.* Eodem facit, quòd idem *lib.* 11. Carolum V. ſcribit *Summi Pontificis ſuaſu ſententiam mutaſſe, & arma in Turcam parata, vertiſſe in Germanos, peſſimo, ſed ſolenni & uſitato Pontificis Romani conſilio, qui eos è Chriſtianis, qui nimiam ipſorum potentiam in dubium vocant, capitaliori odio, quàm ipſos Chriſtiani nominis hoſtes ſemper ſunt proſecuti.* In præfatione ad Henricum IV. ex profeſſo & rationibus ſolidiſſimis, exemplíſque clariſſimis, *Bellum non eſſe legitimum tollendæ ex Eccleſia ſciſſuræ modum*, demonſtrat. Idem animus fuit Nicolao Fabro, Ludovici XIII. Præceptori, qui Balbo in vita ejus teſte, & ipſe *religionem moderata ratione ſuadendam potiùs, quàm ferro & armis imperandam* judicavit. Quin & Curia Suprema Pariſienſis Ann. 1535. Regi Evangelicos extirpaturo, propoſitum diſſuaſit, *æquum* eſſe dictans, *ut potiùs Eccleſiæ veteris veſtigiis inſiſtatur, quæ non ferro & flammis in religione conſtituenda, ac propaganda, ſed puriore doctrina, & honeſtis vitæ Antiſtitum exemplis rem confecerit*, Thuano eodem *lib.* XVI. narrante.

Poſſem conſentientes producere Seldum, Ferdinandi I. Procancellarium; Lazarum Schwendium, Cæſari Maximiliano II. peculiari ſcripto præcipitia & παρακεκινδυνευμένα in Proteſtantes conſilia vehementer diſſuadentem, alios; ipſum denique Turcarum Imperatorem, Gentileto in Anti-Machiavello narrante, Papæ A. 1453. Sacrum in Turcas bellum conflanti objicientem, *Chriſtum magnum & nobilem Prophetam fuiſſe, ſed nunquam imperaſſe, ut homines ad ſuſcipiendam ſuam legem vi & armis adigerentur: neque ſe quenquam cogere, ut Muhammedis legi credat.*

Tyrannidis ergo rea eſt Hierarchia, quæ legibus latis ſolius religionis cauſa cùm alios, tum Sanctos inprimis perſequendos ſciſcit.

XIII. Hæc cùm ita ſint, tyrannidis & crudelitatis reus eſt, quiſquis lege etiam lata vi religionem promovet, pœnis externis in corpora, honores, fortunas eorum, qui in alia omnia eunt, graſſatur; conſcientiæ dominatur; inprimis ſi vim eam proferat in Sanctos; & ut impune magis proferre poſſit, hæreticorum nomine eoſdem traducat. Quid verò hic Hierarchici? Ratum apud eos, & legibus conſtitutum eſt, poſſe, imò debere vim inferri omnibus iis, qui Papam ſuum non agnoverint Dominum, ejúſque oraculis & definitionibus fidem adhibere & ſubſtringere neglexerint; Tros Rutulúſve fuant. Quorum in numero non poſſunt non eſſe Sancti, utpote qui uni ſolíque Deo adhærentes, nullius in humanæ authoritatis obſequium ſeſe dedere, nulli homini religionem dictanti ſacramento jurare poſſunt. Fruſtra ſævitiæ ſuæ hæreſin obtendunt, quæ nulla eſt. Non enim Papa & Hierarchici omnes adverſus diſſentientes, Proteſtantes inprimis, extinguendos amore Dei, vel religionis ſalutiferæ excitantur, ſed importuno flagitatore, VENTRE & AMBITIONIS immenſæ ſtimulis agitati. Hæ ſunt veræ & germanæ cauſæ, quæ ſub religionis & hæreſeos diſſentientibus impactæ velamento latitant.

XIV.

Digitized by Google

XIV. De pœnis hæreticorum Bellarminus *de Laicis lib.* III. 21. 22. diſputat. *Nos*, inquit, *oſtendemus*, *hæreticos incorrigibiles ac præſertim relapſos poſſe ac debere ab Eccleſia rejici, & à Secularibus poteſtatibus, temporalibus pœnis, atque ipſa etiam morte mulctari.* Inter alia argumento *à legibus Eccleſiæ* petito militans, *Probatur*, inquit, *tertiò legibus Eccleſiæ, C. ad abolendum, & cap. Excommunicatus, extra de hæreticis. & in ſexto de hæreticis, cap. ſuper eo, definit Eccleſia, hæreticos incorrigibiles ſeculari poteſtati tradendos, ut ab eis debito modo puniantur. Item Conſtantienſe Concilium Seſſ.* 15. *damnavit ſententiam Johannis Huſſ, & ipſum Johannem, & Hieronymum de Praga tradidit Seculari poteſtati, à qua ambo exuſti fuerunt. Denique Leo X. articulos Lutheri damnavit.* Sed Canones & Decretales illæ, pœnas externas in hæreticos ſtatuentes nullæ ſunt in Eccleſia priſca pura & incorrupta. Quæcunque verò afferuntur, modernæ ſunt, Eccleſiæ Babylonico fermento corruptæ, & Pontificum Papatum & Principatum ſuum per ſummam vim, ferro & flamma proferentium. Pertinet huc inprimis Bulla Pauli IV. qua ipſos Summos Reges & Principes in hæreſin, hoc eſt, apoſtaſiam à tyrannide Papæ lapſos, iiſdem pœnis & eccleſiaſticis & temporalibus immanis illa tigris ſubjecit, quibus ſubjicere quoſvis alios ſolet. Horribilem Bullæ illius ſententiam *Hiſtor. Pap. ſſ.* 273. repræſentavimus.

De pœnis hæreticorum ſententia Bellarmini, legibus Eccleſiæ Pontificia, & Conciliorum decretis innixa.

XV. Operæ pretium eſt, ex eodem Bellarmino cognoſcere ordinem, quo Eccleſia Papalis in puniendis hæreticis procedit. *Experientia* (Babylonicorum furorum ſcilicet) inquit *loc. cit. docet, non eſſe aliud remedium*, *hæreticorum* coercendorum. *Nam Eccleſia paulatim progreſſa eſt, & omnia remedia experta. Primò ſolùm excommunicabat. Deinde addidit mulctam pecuniarum, tum exilium. Ultimo coacta eſt ad mortem veni-*

Ordo, quo Eccleſia Papalis in puniendis hæreticis procedit, ex eodem proponitur & perſtringitur.

venire. Nam excommunicationem contemnunt hæretici, ac dicunt, eſſe fulmina frigida. Si mineris mulctam pecuniariam, nec Deum timent, nec homines reverentur, ſcientes, non defuturos ſtultos, qui illis credant, & à quibus alantur. Si in carcerem concludas, vel in exilium mittas, corrumpunt vicinos verbis, & longè poſitos libris. Ergo ſolum remedium eſt, mittere eos maturè in locum ſuum. Hæc Draconis Romani lex eſt, ſanguine non atramento ſcripta; neque adverſus eos, qui Deum, Chriſtum, verbum ejus, Sacramenta γνήσια contemnunt, lacerant, abnegant; (alias in ipſos Hierarchicos pœnæ reciderent) ſed adverſus eos ſolos fere, qui Papalem Majeſtatem dedignantur, Sanctos, vel ſaltem jurium ſuorum, à Tarpejo illo Vulture invaſorum raptorúmque, defenſores. Quanquam in puniendis veris etiam hæreſibus Eccleſia nec poteſt, nec tenetur omnia remedia poſſibilia pro rebus ſpiritualibus, ſed ea ſola, quæ in ejus poteſtate ſunt, expedire. Cúmque eò pervenerit, ut hæreticum pro Ethnico & publicano declaraverit, ſuis jam partibus abundè defuncta, ovibus ſuis providit ſatis, dum eas, ut à lupo jam noto & manifeſto caveant, ſic præmuniit. Neque aliam in hæreticos pœnam præſcripſit. Si tamen ille obſtinatus nocere perrexerit, non ampliùs Eccleſiæ, ſed Principis fuerit, non belluina crudelitate graſſari, ſed moderatis remediis & ordine providere, ne Eccleſia, ne Reſpublica detrimentum patiatur. Neque enim *Eccleſia dici poteſt, quæ cruentis morſibus paſcitur, & ſanctorum ſanguine & carnibus opimatur.* dictum eſt Parmeniani, ab Optato Milevitano, *contra Parmen. cap.* 2. ceu veriſſimum, approbatum, & in ipſum Parmenianum retortum.

Ejuſdem diſtinctio inter pœnas infidelium,

XVI. Idem porro Bellarminus *loc. cit. cap.* 22. objicienti, *Fidem eſſe liberam*, reſpondet, *infideles quidem liberos eſſe ab obligatione juris humani ad ſuſcipiendam fidem,*

fidem, neque puniendos, niſi à ſolo Deo, ſi non reſipiant. At verò qui jam per Baptiſmum fidem ſunt profeſſi, eos liberos eſſe ab obligatione juris vel humani, vel Divini non eſſe; ideo cogi, ut eam obligationem ſervent, debere. At hæc quoad humanum jus obligatio fingitur certè, non probatur. Baptizatus ſanè nec tacitam nec expreſſam ſponſionem emittit, vel in ſe obligationem humanam ullam ſuſcipit. Totum hoc negotium merè ſpirituale ſolum inter Deum & animam hominis tranſigitur; & baptizatus ſic jus acquirit ad bona Eccleſiæ ſpiritualia, ut ipſa tamen Eccleſia nullam in baptizatum juriſdictionem, nedum humanam & temporalem acquirat. Quòd ſi ſpiritualia ad opus externum exeant, jam propter opera illa externa juriſdictioni externæ baptizatus ſubjicietur. Si ergo in hæreſin veram incidat, & declaret, ſe eſſe in ea ſententia, quæ ſit judicata hæreſis, deeſt quidem ſuæ obligationi erga Deum; at erga hominem non deeſt, quia humanam obligationem nullam ſubivit.

& à fide deficientium, examinatur.

XVII. Haud alienum hic fuerit Hierarchicorum de vi diſſentientibus, ſeu hæreticis, quos illi defectores à Papa & ejus lege faciunt, inferenda, ψηφίσματα ſeu decreta in lucem proferre ex famoſi illius agyrtæ, conductitii aulæ Romanæ mancipii, Caſpari Sciopii *Claſſico belli Sacri*, in exemplum è multis, ut cujus Spiritus filii ſint Hierarchici, cognoſcatur. Prodiit liber feralis non ſine publica approbatione Fr. Jacobi Martenifii, Vicarii Generalis Inquiſitoris Papiæ, qui librum vulgari voluit juſſit. In eo dictis Scripturæ obtorto quaſi collo in alium & diverſum à vero ſenſum tractis, homo, ut Ariſtophanis illud de eo uſurpem, δαιμονίως ἐνθουσιῶν καὶ κορυβαντιῶν *furore ingenti, more Corybantum agitatus*, cap. I. ex Pſal. CXLIX. 8. ait, *alligandos Cæſari Proteſtantium Reges ſive Principes in compedi-*

Sciopii ferales ſententia de hæreticorum Regum aliorumque excidio procurando, ab Inquiſitione Papienſi approbata.

pedibus; & Nobiles eorum in manicis ferreis, non in eum finem, ut eos poſt paucis annis è captivitate liberet ac dimittat (Johannem Fridericum Saxoniæ Electorem, & Philippum Haſſiæ Landgravium indigetat) *ſed ut faciat in eis judicium conſcriptum apud Prophetam:* (Eſai. LX. 12.) *Gens & Regnum, quod non ſervierit tibi, peribit, & gentes ſolitudine vaſtabuntur.* Paulò poſt ex Eſai. XLIX. 23. *Si Reges*, inquit, *Principéſque nolint vultu in terram demiſſo (NB) Pontificem adorare, & pulverem pedum ejus oſculando lingere, iis neceſſe futurum, ut erubeſcant & conturbentur in Sæculum Sæculi, & confundantur & pereant.* Utque appareat, quàm æger mora, & ſpei impatiens in maturandam cœdem Proteſtantium inhiet, ſubjicit, & deinceps ſæpe inculcat: *Statim* ſæviendum in Proteſtantes eſſe. Barbaris nempe, Taciti *Annal.* VI. 32. verbis utar, *cunctatio ſervilis: STATIM exequi Regium videtur* Ergo Cæſarem jubet *ſtatim iſtos filios Belial & idololatras* (Deut. XIII. 13. &c.) *percutere in ore gladii, terrámque eorum delere, & omnia, quæ in illa ſunt, uſque ad pecora, infantes & pueros,* (1. Reg. XV. 3.) *parvulum & lactentem.* Eoſdem (ex Num. XXV. 4. Joſ. X. 26.) *in patibulis contra Solem ſuſpendi* jubet. Neque *curandum Cæſari* ait, *quo id animo cæteri Reges ſint accepturi, quibus ſcilicet æquius videri queat, ſupplicio aut pœna corporis remiſſa, cuſtodiam captivis poni Principe aut Rege dignam.* Addit Theomachus ille ex 1. Reg. XV. 33. Deut. XIII. 13. Pſal. C. 8. *Proteſtantium Principes inſtar Agag Amalecitarum Regis in fruſta concidendos, idque in honorem Dei. Omnes hæreticos & ſchiſmaticos, quippe homines Diis alienis ſervientes, in matutino, hoc eſt, ſtatim interficiendos.* Cap. 18. ex 1. Reg. XV. ſic Cæſarem affatur: *Hoc memorabili exemplo* (Saulis Amalecitis parcentis) *monitus, etiam atque etiam,*

Impe-

Digitized by Google

Imperator cavebis, ne ſi quando Tuos ac Dei perduelles, Divino ac humano jure mori juſſos, in poteſtatem tuam redegeris, clementiæ famam aucupabundus, eis parcas, & gladium in vindictam malorum Tibi (NB) *ab Eccleſia datum, ſic feriatum geras.* Denique, quod Iſraelitis de Cananæis occidendis Deus Deut. VII. 2. mandaverat, ad Proteſtantes accommodans, *cum tradiderit*, inquit, *tibi Dominus gentes iſtas, percuties eas uſque ad internecionem. Non inibis cum eis fœdus* (Pacem Religionis) *nec miſereberis eorum, ne ſint in ruinam tui.* Hoc eſt, ne ſi clementius eos tractaveris, Papæ ſcitu Imperium & vitam amittas. Qui vitæ Proteſtantium, etiam Regum & Principum, adeò non parcendum ſtatuit, multò minùs fortunis eorundem parcit, quin eas univerſas prædæ exponit. Sic enim habet: *Deus hæreticorum bona Catholicis dedit occupanda.* Ec quare? *Si enim* (inquit cap. 2. ex Eſaj. I. 19. I. Tim. IV. 8.) *audieritis me, inquit Dominus, bona terræ comedetis. Et Paulus: Pietas ad omnia utilis eſt, habens promiſſionem vitæ, quæ nunc eſt, & futuræ. Et Servator: Qui reliquerit domum,. aut agros propter me, accipiet centuplum nunc in tempore hoc, & in Sæculo futuro æternam vitam.* Alibi cap. 3. p. 22. *Principes hæreticos ait non eſſe Principes, ſed Tyrannos ac lupos, ac proin Regnis ac Provinciis hæreditariis ejiciendos.* Ibidem demonſtrare conatur, *Principibus hæreticis ſubditos ipſos, aut etiam alienos, nullam inimitiæ cauſam cum iis habentes imperium abrogare, ſibique vindicare poſſe.*

Hierarchicorum de religione vi proferenda ſententia concluditur.

XVIII. Satis jam tum ex Bellarmino, Eccleſiæ decretis innixo, tum ex Ardelionis Sciopii, Viri Sanguinum & doloſi horrendo legis Draconicæ carmine (quibus etiam Suarezii, Marianæ, Bannes, Emanuelis à Sa, aliorum ſanguinariæ voces, ab aliis pridem notatæ, addi poſſunt) conſtat, quæ Hierarchicorum de Religione Ponti-

ſicia cœdibus rapiniſque propaganda fides & ſententia ſit: & quàm pium Sanctúmque, & legibus congruens habeatur, atrociter perſequi omnes qui adverſus Papæ imperia vel hiſcere ſuſtinent. licet de cœtero illi de Deo, Chriſto convenienter verbo ejus credant, & puri ſceleris ſanctique mundo vivant. Sed magis id etiam ex Sacerimo illo *Officio*, ſeu *Tribunali Inquiſitionis* liquebit. de quo paucis nunc & planè ad rem noſtram dicemus.

Inquiſitionis origo & progreſſus ex Paulo Veneto, aliiſque narratur.

XIX. De Inquiſitionis origine cùm alii, tum dedita opera P. Paulus Venetus, in Hiſtoria Inquiſitionis, fuſiùs paulò egit. Summa huc redit. Chriſtus & Apoſtoli contra hæreſin non aliud reliquerunt remedium, quàm correptiones frequentatas errantium, & ſi callum ii obducerent, declarationem, ut non ſecus ac Ethnici & Publicani vitarentur. Nec temporales iis pœnas decreverunt, nec forum pœnale erexerunt. Poſtquam Imperatores Chriſto nomen dederunt, ab Epiſcopis curam gerere Divinæ legis utriuſque tabulæ; adeóque æquè vel magis blaſphemias, hæreſes, perjuria, quàm latrocinia & furta, latis legibus coercere edocti ſunt. Hinc contra hæreſin rogatæ leges frequentes, & poſt in Codicem Theodoſii & Juſtiniani relatæ; & iiſdem reis etiam pœnæ pecuniariæ, exilia, privationes partis bonorum, vel omnium, ſecundum delictorum circumſtantias impoſitæ ſunt. Executio verò Judicibus Secularibus demandari ſuevit. In judicio cognitio hæreſeos foro eccleſiaſtico: cognitio facti & ſententia politico competiit. Epiſcopi poſtquam opiniones hæreticas declarârunt, & pertinaces excommunicârunt, non ampliùs negotio huic ſe immiſcuerunt, ſed alii, ne adverſus charitatem delinquere viderentur, ne quidem ſeculari Judici reos detulerunt: alii detulerunt quidem pertinaces (unde de quibuſdam ob turbas potiùs quàm hæreſin ſupplicia etiam capitalia ſumpta ſunt) attamen, ut

ut ſanguini parceretur, ſupplicârunt iidem. Sic cauſæ hæreſeos in Imperio Romano octo fere integris Seculis tractatæ ſunt ad diviſionem uſque Orientalis & Occidentalis Eccleſiæ. Et in Orientali quidem Eccleſia forma iſthæc perſeveravit. In Occidentali Papa regnavit, in quem omnes jam hæreſes immeare cœperant. Non igitur per trecentos inde annos alii hæretici venerant: & ſi quis caſus occurreret, Epiſcopi judicabant & caſtigabant etiam permiſſu Principum. Interea Papam inter & Imperatores diſſenſiones æſtuare cœperunt. Unde Papæ judicio non alia hæreſis gravior haberi cœpit, quàm Politicorum, Majeſtatem Papalem dedignantium. Nec dum tamen Inquiſitionis nomen innotuit. Demum Innocentius III. Seculo duodecimo exeunte, *delegatæ Inquiſitionis officium* inſtituit, ad Epiſcoporum ſcilicet, uti Nicol. Eymbricenſis Direct. *Inquiſit. p. 3. n.* 229. loquitur, *nolentium aliis negotiis præferre fidei dogmata*, negligentiam ſupplendam. Extant Innocentii ad Auxitanum Archiepiſcopum datæ literæ *Epiſt. Decret. Innocent. lib. 1. p.* 49. in quibus de naviculæ Petri in partibus Vaſconiæ invaleſcentibus adverſariis conqueſtus, de remedio adhibendo ſic inter alia commonet: *Ideóque fraternitati tuæ præſenti pagina indulgemus, per Apoſtolica Scripta firmiter injungentes, quatenus ad extirpandas hæreſes univerſas, & eos, qui ſunt hac polluti, de Provinciæ tuæ finibus excludendos, modis, quibus poteris tribuas efficacem: in ipſos & omnes illos, qui cum eis aliquod commercium contraxerint, ſine appellationis obſtaculo eccleſiaſticæ diſtrictionis exercendo rigorem, & etiam per Principes & populum eoſdem facias virtute materialis gladii coerceri.* Ubi ad marginem Scholiaſtes Pontificius, Fr. Pegna annotat: *Hoc tempore nondum erant Inquiſitores delegati conſtituti.* Similes mox literas ad Archiepiſcopos Aquenſem, Narbonnenſem, Viennenſem, Arelatenſem, Ebrodunenſem, Tarraconenſem, Lug-

Lugdunenſem, & eorum Suffraganeos ſcripſit, conſtitutis etiam commiſſariis Rainerio & Guidone quodam, ad capiendum eos, qui Romanæ Eccleſiæ magiſterium refugerent. quales Valdenſes, Cathari, & Paterini erant. Poſtea, Epiſcopis in opere hoc remiſſioribus, officium delegatæ inquiſitionis in Gallia Narbonenſi Dominico commiſſum fuit. qui decem ibi continuos annos in oppugnandis Albigenſibus deſudavit, alibi etiam æmulo Dominici Franciſco. Ac tum demum *Inquiſitionis* nomen percrebuit, eò quòd incumberet delegatis illis *inquirere* in omni loco, quo numero & quales eſſent hæretici; quis Zelus Epiſcoporum, & cuncta hæc Romam deferre. Nondum tamen tribunal erectum, ſed interdum Judices eò perducti, ut exilio, aliáve pœna hæreticos mulctarent; interdum potentior aliquis inductus, ut armis eos coerceret; vel concitus populus ad excidendos eos conſpiravit. Demum A. 1244. Fridericus II. Imperator Patavii quatuor edictis promulgatis, Inquiſitores tutandos ſuſcepit, & hæreticis obſtinatis pœnam ignis, pœnitentibus perpetuorum carcerum decrevit; atque horum omnium examen Eccleſiaſticis, Judicibus Secularibus condemnationem injunxit. Prima hæc lex fuit, quæ hæreticis pœnam mortis dictavit. Sed ipſo poſt Imperatore cum tribus Pontificibus colliſo, hæreſis Papæ magiſterium excutientium altiores radices egit. Poſt mortem Imperatoris Innocentius IV. in Longobardia, aliiſque Italiæ partibus rerum arbiter, Dominicanos & Franciſcanos fratres, ad prædicandum, cruce ſignatos congregandum, exequendáſque extra ordinem leges miſit, authoritatem ſtabilem, & tribunal perpetuum, in quo Inquiſitori junctus erat Epiſcopus, ſed dicis gratia; hac in re iiſdem impertiens. Ne verò Poteſtas ſecularis excluſa videretur, ei poteſtas nominandi Miniſtros Inqui-

Inquiſitionis, è quibus quos vellet Papa eligeret, relinquebatur. Anno 1484. Rex Ferdinandus Catholicus, Muhammedanorum in Granata extirpato Imperio, ad expurganda à Judæis & Muhammedanis propria & uxoris Iſabellæ Regna, Sixto IV. conſentiente in omnibus Hiſpaniæ, Siciliæ & Sardiniæ Regnis, nec quicquam Arragoniis armata etiam vi reſiſtentibus (nam victi occiſorum ſanguine tinctas leges recipere coacti ſunt) tribunal Inquiſitionis erexit ea forma, qua hodiéque extat, & in hæreſes inſuper ſeu veras, ſeu fictas graſſatur. Forma autem ejuſmodi eſt. Rex Inquiſitorem generalem per omnia Regna ſua nominat. Eundem Papa confirmat. Electus & confirmatus pro ſingulis locis Inquiſitores particulares nominat. Eoſdem Rex confirmat. Senatum etiam Rex in loco, ubi curia eſt, deputat, cujus Præſes eſt Inquiſitor ſupremus. Hic Senatus Summam poteſtatem exercet, leges condit, controverſias inter Inquiſitores dirimit, provocationes audit, ſoli Regi ſubeſt. In Regnum Neapolitanum & Belgium, quantumvis niterentur Hiſpani maximè, introducere non potuerunt. Venetiis A. 1289. Papa Nicolao IV. annitente, erectum fuit partim ex Secularibus, partim ex Eccleſiaſticis judicibus conſiſtens; cujus leges longè ab Hiſpanicis diverſas idem, qui ſupra, Paulus Venetus, collegit & expoſuit. Romam Paulus IV. in oraculo Malachiæ *Draco* & *Leo* deſignatus, Phalaridis illum bovem intulit non ſine turbis graviſſimis, moriente eo, conſecutis. quas poſt Thuanum, Paulum Venetum, alios Pallavicinus *Hiſtor. Concil. Trid. lib.* XIV. 9. 5 copioſè tradit.

XX. E re nobis viſum eſt, erecti tribunalis hujus hiſtoriam paucis pertexere. ut vel ex ejus eruta origine haud certè Apoſtolica, ſed noviſſima, quando in Eccleſiam apoſtaſia & ὁ Ἄνομος *Exlex* ille inceſſit, conſtet, *Dominationis & tyrannidis Hierarchicorum apex eſt, vinqu-*

lum ac neceſſitas ſilendi.

ſtet, Pontificiæ dominationis & tyrannidis apicem eſſe. Verè dico, *tyrannidis*. Horribili enim immanitate, in Hiſpanico-Romana inprimis, per Dominicanos fratres, exerceri ſolet. Nam in ſpeciem quidem ad extirpandas hæreſes comparata, ut primùm Inquiſitor comperit, aliquem in quodam Fidei capite à Romana Eccleſia diſſentire, nova & ſanguinaria diſputandi ratione, & tortoribus, carnificibúſque magis, quàm Doctoribus Eccleſiæ, Pontificibúſque conveniente, confeſtim ei Syllogiſmum opponit, ex igne, aqua aut laqueo confectum; qui fortiùs, quàm qui primæ figuræ, & modi *Barbara* dicuntur, ſtringat, & ubi mors neceſſario concluſionem ingrediatur. Revera tamen, ut ſub malis olim Principibus, Tacito *Annal.* III. 67. teſte, *Majeſtatis crimen*: ita hæc *vinculum eſt ac neceſſitas ſilendi*; & Neapolitanorum ipſorum apud Thuanum *lib.* III. judicio in id potiſſimùm inventa, *ut everſis iſta ratione omnium fortunis, liberis capitibus periculum creetur.* Quàm impatiente rigidáque cervice Hiſpanico-Romani homines hoc immane jugum ferant, ſcimus. Non mittere ingenuam vocem, non ducere liberum ſpiritum cuiquam permittitur. Voluntas, ratio, cogitatio hominis, in quam nullus unquam tyrannus imperium tenuit, in vilis ſacrificuli vel Monachi poteſtate hæret. Jubet ille vetátque quod videtur. Præſcribit vivendi ſentiendíque rationem quæ allubeſcat. Non inquirere in veritatem, non expendere religionis mandatæ certitudinem licet. Diſpereas, ſi latum unguem à mente ſenſúque præſcripto deflectas. Ad inferorum portas relegeris, ſi aut imperanti quicquam recuſes, aut dicentis, vel dictantis verba in dubium revoces. Non ita ullum mancipium fuit ſub poteſtate domini; non ita quiſquam dominantis ſervi-

vit

vit libidini, ac populus Chriſtianus Capitolini tyranni edictis; ſuo exemptus arbitrio, & ſub jura aliena miſſus. Sic Tibi, Libertas Eccleſiæ dotalis, os occluditur: Tibi, Sanctiſſime Prophetæ Chriſti Spiritus, frænum injicitur, ut alienæ mancipatus libidini, neque audeas liberè ſentire, neque animi ſenſa profiteri!

Judices tribunalis illius ſunt Monachi, juxta Dianam, Juriſconſulti potius quàm Theologi; ipſis Principibus formidabiles.

XXI. Sed ſingula penitiùs luſtremus. ut de tremendi tribunalis hujus injuſtitia & tyrannide meliùs conſtet. *Judices* ergo ſunt non illi, quibus omnes animas Divina poteſtas, & omnis ratio ſubjecit; ſed homines de clauſtris, Monachi, quorum erat plangere, non plangenda committere, planctúmque innocentum ciere. Et Monachi quidem tales, quos Juriſconſultos eſſe quàm Theologos, longè præſtare, contra Michaelem Zanardum Diana *Par.* IV. *Tract.* 8. *Reſol.* 52. ſeverè pertendit. Illi habent carceres: habent torturas: habent patibula: habent ignes: habent falces & ſecures. Jam fraternoſi Inquiſitores facti ſunt vel ipſis Principibus formidabiles. Hinc vires, hinc arma ſumpſerunt, quibus obvio cuivis, pro veritate contra Romanæ Curiæ errores & intolerandam idolomaniam vel hiſcere auſo, vim horribiliter inferrent. Papæ hæretici, quos pro ſua libidine tales eſſe affirmat. Hos ergo ferro flammáque, Papæ & Inquiſitoribus ejus à Principibus Divini juris ignaris, & humani negligentibus, ac forte etiam ſubditorum expilandis bonis, & diadematis peregrinorum Principum, quos Papa hæreticos declarat, capitibus excutiendis, intentis; in manus tradita perſequi fas eſt.

Poteſtatem habent delegatam in Papa, & juxta quoſdam accedentem ad ordinariam; illegitimam planè.

XXII. Quam vero Monachi illi, unde, à quo poteſtatem habent? *Delegatam* dicunt *à Romano Pontifice*; nonnulli etiam *ordinariam* dicunt; uti apud Dianam *Par.* IV. *Tract.* 8. *Reſol.* 1. Barboſa, ſaltem quoad Inquiſitorem generalem, pertendit; alii, uti ipſe Diana Sanctarellum ſecutus, *Valde accedentem ad ordinariam.* Annon verò quilibet Epiſcopus vel paſtor Eccle-

Digitized by Google

ſiæ gregis ſui paſtor eſt? Annon paſtoris cujuſvis eſt, lupos cognoſcere, & eos à grege ſuo convenientibus remediis abigere? Si quis negligentiùs rem agit, ſunt vicini, ſunt præpoſiti alii: & in Papatu quidem Metropolitani, Primates, Patriarchæ. Cur etiam, ubi diligentiſſimi & doctiſſimi Epiſcopi ſunt, ſuos Papa Inquiſitores Monachos habet? Cur in alienam falcem meſſem mittit? Si hæreſes gliſcunt, Paſtores & Epiſcopi primi ſunt, qui eas olfaciunt, Synodi Provinciales diſcutiunt, ac, ſi neceſſitas poſtulaverit, Nationales & Generales damnant: Principes legitimis mediis exterminant. Caruit Eccleſia Inquiſitoribus ejuſmodi, caruit tribunali mille integros ducentos annos. Quid igitur hoc monſtri? Sed mirum profectò non eſt, ex Papatu monſtro horrendo, monſtra alia permulta indies gigni. Nam perpetuò jam non Africa, ſed Roma portenta nova profert. Intererat etiam Papæ, Epiſcopis ejus creſcentem potentiam pridem obliquis oculis limantibus, tales deligere, quibus, ceu dominationis ſuæ inſtrumentis, nexu & mancupio ſibi devinctis tutò confidere poſſet.

Judicii illorum norma ex Cornelio Agrippa exponitur; non verbum Dei, vel recta ratio, ſed Pontificum poſteriorum decreta Perſica.

XXIII. Incompetens ergo planè tribunalis hujus *judex* eſt. Sed cujuſmodi ille judicii ſui *normam* ſequitur? Malo id Cornelii Agrippæ, teſtis idonei, utpote qui non ſemel cum monſtris his conflixit, quàm meis verbis recitare. Sic autem ille *de vanit. Scient. cap. 96.* hanc in rem ſcribit: *Inquiſitorum juriſdictio cùm tota in Theologicis traditionibus & ſacris Scripturis fundata eſſe deberet, ipſi tamen hanc omnem ex Jure canonico & Pontificiis decretis, ac ſi Papam errare impoſſibile ſit, crudeliſſimè exercent, ipſam Scripturam Sacram velut mortuam literam, & non niſi umbram veritatis à tergo relinquentes; quin & veluti hæreticorum, ut ajunt, ſcutum & propugnaculum procul rejiciunt. Neque etiam antiquo-*

Digitized by Google

tiquorum doctorum Patrúmque traditiones recipiunt, dicentes: quia falli poſſunt & fallere; ſed unam Romanam Eccleſiam, quæ, ut dicunt, errare non poteſt, cujus caput Papa eſt; ejúſque curiæ ſtylum ſibi ſcopum fidei præfigunt, non aliud cum inquirendo expoſtulantes, quàm ſi credat in Romanam Eccleſiam. Quòd ſi affirmârit, dicunt ilico: Eccleſia Romana hanc propoſitionem aut hæreticam, aut ſcandaloſam, aut piarum animarum offenſivam, aut Eccleſiaſticæ poteſtatis derogativam damnat. mox ad palinodiam & revocationem compellunt. Quòd ſi tunc inquiſitus opinionem ſuam Scripturæ teſtimoniis, aliiſve rationibus tueri conetur, interrumpentes ſtrepitu iratis buccis dicunt, non eſſe illi negotium cum baccalaureis & Scholaribus, ad cathedram, ſed cum judicibus ad tribunal: non eſſe ibi litigandum, & diſputandum, ſed ſimpliciter reſpondendum, ſi velit ſtare decreto Romanæ Eccleſiæ, & ſuam opinionem revocare. Sin minùs, faſciculos & ignem oſtendunt, inquientes, cum hæreticis non argumentis & ſcripturis, ſed faſciculis & igne decertandum, hominémque nec pertinaciæ alicujus convictum, nec meliora edoctum, contra conſcientiam ſuam abjurare compellunt: quod ſi nolit, veluti deſertorem Eccleſiæ Seculari foro tradunt, ut comburatur. En normam judicii hujus religioſi non verbum Dei, non ſanam rationem; ſed Romanæ Eccleſiæ Perſica decreta, Romanorum Pontificum nil niſi malè parta tueri quærentium, oracula & ſententias decretorias! En Argumentorum terminos, non ſcripturæ dicta, non rationis, non juris vel Divini vel communis humani ſcita, ſed faſciculos, ignes!

XXIV. Modus procedendi in tribunali iſthoc non religioſis, non Chriſtianis, non hominibus, ſed ingenuè, & quod res eſt, dicam, infernalibus furiis dignus eſt. Exhorbitat enim ab omni jure communi, Divino

Modus in eodem procedendi infernalibus furiis, quàm hominibus dignior eſt.

vino & humano, ab æquitate & juſtitia omni. Si quos juſtitia, clementia, bonitas, circumſpectio, ſimplicitas decuit, religioſum certè tribunal decuit. Has enim, aliáſque virtutes ſimiles vera religio dictat. A nullo tamen tribunali, quàm religioſo iſthoc longiùs eas virtutes exulare, comperiet certò, quiſquis non dicam libros forte adverſariis ſuſpectos, cujuſmodi ſunt *Euſebius Captivus* Cœlii Secundi Curionis; Reginaldi Gonſalvii *Inquiſitionis Hiſpanicæ artes detectæ ac palam traductæ*; Betingerus *de tyrannicæ Inquiſitionis Hiſpanicæ myſterio*; Cornelius Agrippa *de Vanitate ſcientiarum cap. 96.* aliíque ſimiles; ſed Eymerici *Directorium Inquiſitorium*, cum Commentariis Franciſci Pegnæ; Bernhardi Comenſis *Lucernam Inquiſitorum* cum notis ejuſdem Pegnæ; & vel ſolius Antonini Dianæ Panormitani Reſolutiones *de Tortura in Sancto Officio ſuſpectorum de hæreſi*: *de pœnis delictorum pertinentium ad tribunal Inquiſitionis*; & *de Officio ac Poteſtate* Inquiſitorum, quæ Operum ejus *Parte* IV. *tract.* 6. 7. & 8. extant, caſibus pluribus & intricatis refertas, & dicta ab iis, quos modò citavimus, abundè confirmantes, perluſtraverit. Dominicus Bannes, Salmanticenſis, adeóque Hiſpanus Theologus celebris *Comm. ſuper Thom.* 2. 2. *q.* 11. *art.* 2. paucis multa dixit, ſic ſcribens: *Inquiſitores hæreticæ pravitatis procedunt ex præſumptione, & tenentur punire ut hæreticum eum, qui ex dictis & factis convincitur hæreticus, etiamſi revera non ſit hæreticus.* Sic ergo contingere poteſt, ut qui revera hæreticus non eſt, à religioſis illis Patribus horrenda & ſæviſſima quæque patiatur, & vivus tandem comburatur.

Injuſtitia & crudelitas proceſſus ex Gonſalvo, Diana, aliis repræſentatur.

XXV. Juvabit ex authoribus ſupracitatis aliiſque ſacerimi fori hujus proceſſum paucis repræſentare, fidémque omnibus facere, Tribunal illud, quanquam haud perinde juſtum, magis tamen ſeverum & crudele eſſe eo,

cui

cui Infernales illi Judices, Minos & Rhodamantus, præſident. Nam ut propiùs ad illud accedat, ſitum eſt in loco ſubterraneo, ne clamores gemitúſque eorum, qui torquentur, ad aures populi perveniant. Ibi omnia peraguntur in impuriori illo lumine ac fœtore tædarum lychnorúmque, quos manibus miniſtri tenuerint; inter vultus haud minùs torvos, quàm furiarum vultus Poetæ fingunt. Curiæ hujus definitiones & ſententiæ injuſtiores longè ſunt iis, quas apud inferos ferri, iidem comminiſcuntur. Sancti enim Judices hi poteſtate nullis circumſcripta limitibus gaudent. Non notorios duntaxat perſequitur; ſed ſuos habet corycæos, qui facilè imprudentes, divites inprimis, in naſſam ejus pertrahunt. Citare & capere iis licet reos in alieno territorio, ſine literis ſubſidialibus dominorum, uti Diana *Tract.* VIII. *Reſol.* 7. comprobat. Ex ſola præſumptione condemnari poſſe reos *in favorem fidei*, *ib. Reſol.* 36. non pauci tenent. Vilis perſona quælibet pro teſte contra ſuſpectos admittitur. Perinde eſt, ſive viva voce, ſive mutis teſſeris accuſatio inſtituatur. Sine ulla enim perſonarum comparitione, mutuáve oppoſitione actio inſtruitur, ſine parte, ſine teſte præſente, ſolo ferè Judicum ſpiritualium arbitrio. Licet etiam reis promittere impunitatem per ſimulationem, ut faciliùs capiantur; Flaminio Cartherio & Barboſa judicibus.

XXVI. Quamprimum ſuſpectus aliquis in has mortis umbras deſcenderit, atque ille, impatiens moræ, proceſſus ſui initium precibus ſuis impetraverit, exordiuntur judices à terrificis admonitionibus & comminationibus, proteſtantes interim, ſe innocentes fore à ſanguine, ſi pertinacia ſua rigorem reus provocaverit. Ita planè Diana *Tract.* VI. *Reſol.* 28. citata etiam Congregatione Cardinalium, ***nuda teſtium dicta abſque nominum publicatione***, ***vel indicio circumſtantiarum***, ***ex***

quibus in notitiam teſtis veniri poſſet, judicium peragi debere, aſſerit. Quod ſi ſe ipſum tamen accuſare captivus noluerit, ad tormenta impetus judicum fertur. Nam Diana *loc. cit. Reſol.* 1. Torreblancam graviter increpat, negantem, *quòd Inquiſitores proniores ad torquendum ſuſpectos eſſe debeant.* Ratio illi eſt, *quia hæreſis eſt crimen occultum, & difficilis probationis. Ergo,* inquit, *ad torturam judex debet eſſe promptior.* Indicia quod attinet, Martinus Delrio, in cauſis fidei leviora indicia ad torturam ſufficere aſſerit. Sanctarellus graviora requirit. Diana *Reſol.* 2. ex ſententia communi, ſic ille ait, Doctorum in materia torturæ negat dari poſſe certam regulam ad cognoſcendum, quæ indicia ſufficientia ſint; aſſeritque, totum illud ab arbitrio Inquiſitoris pendere. Idem Diana *Reſol.* 3. *& ii*, teſtes duos etiam non idoneos, puta familiares, infames excommunicatos &c. dummodo ſint conteſtes; imò *Reſol.* 6. unum etiam, & *Reſol.* 13. juxta quoſdam famam ad torquendum reum ſufficere pertendit. Ex ſolo dicto ſocii criminis reum torqueri poſſe, *ibid. Reſol.* 7. Petrus Caballus, aliique aſſerunt.

Horribiles torquendi captivos modi eduſſe-runtur.

XXVII. Tam levibus de cauſis ad torturam Rhodamenti hi pergunt. Atque hic infernalium cruciatuum triſte auſpicium capitur. Adeſt truculentus carnifex à capite ad calcem terribili ſpecie perſonatus, Diabolo quàm homini ſimilior, qui torquendos, nullo diſcrimine virorum, fœminarum, virginum, nobilium, ignobiliumve, omnibus veſtimentis exuit, manus à tergo revincit, certo orbium numero, ad octo decémque vices, præcipientibus judicibus, ut orbes ſingulos unum altero arctiùs conſtringat, pollicéſque dein tenuiori chorda colliget, manúſque demum atque pollices vincti ad camelum, qui à trochlea pendet, alliget; poſtea plumbi ferríque maſſam pedibus, prima vice viginti quin-

quinque pondo, anneᶜtat, & in ſublime eum fune rapiat, uſque dum caput trochleam contingat. Sic pendentem inclamant & allatrant religioſi judices, ut in univerſum, quæ ad hæreſin pertinent, omnia, circumſtantias, ſocios, dicta, facta confiteatur; exquiſito cruciatu per horam, ſic Diana licere ait, extracto. Si nihil reus prima hac vice fatetur, ſecunda vice, annexo duplo ferri pondere, in ſublime rapitur, præcipientibus carnifici judicibus, ut funis retro porróque currat crebrò inhibitus retentúſque, donec pondus ferri omnes corporis articulos divulſerit. Cunctanti confeſſionem edere & vociferanti barbari hi, ceu obſtinato cani, inſultant; & dimiſſum tertia vice, alligato pondere majore, in altum rapiunt, & afflictiſſimum corporis Chriſti membrum intolerandis his cruciatibus diriſſimum in modum, non unius horæ ſpatio, quandiu libet, exercent. Triduo poſt, cùm articuli maximè dolent, eaſdem torturas repetunt, & tantiſper frequentant, dum vita & ſpiritus miſeri ægerrimè tractus ſinit.

XXVIII. Sunt & alia torturarum genera, quibus has libidinis ſuæ victimas barbari hi excarnificant. Eſt enim, ubi iterum exutos veſtibus, & manibus revinctos à tergo, à trochlea ſuſpendunt, tibiis cruribúſque per chordas validas arctè conſtrictis, & chordis in carnem, ligno interpoſito tam profundè impreſſis, ut ad ipſa oſſa facilè penetrent. Quandoque utrumque crus, tibias, brachia per tenues validáſque chordas tam arctè conſtringunt, ut in carnem ilico fere ad oſſa ſubſidant. Sic vinctum ſupinúmque imponunt ſcamno grandi, ſolido, excavato ſuperna parte, baculum habente in medio tranſverſum, in quem dorſum impoſiti cum ineffabili cruciatu recumbat. Poſt velo ex lino tenuiſſimo ſuper jacentis os extenſo, & naribus quoque

que obthuratis, aqua non guttatim, ſed uno quaſi continuo filo ex ſublimi in os jacentis ſic effunditur, ut velum ſuo lapſu in imum guttur propellat. Cujus tormenti extremam violentiam, non minorem anxietatem, quàm quæ eſt ſpiritum extremum trahentium, excitantem mollius illud machinamentum, velum tenue, quod ex ore retractum magna aquæ & ſanguinis copia profluens ſequitur, ut ipſa viſcera cum eo è corpore evulſa putes, prodit. Denique, ne non omnia elementa improbis crudelitatum machinatoribus inſervirent, olim, quando ob infirmitatem reus aliter torqueri non potuit, prægrandia prunaria ferrea, ignitis carbonibus plena adhibita ſunt, ut admotæ iis pedum plantæ, lardo perunctæ, ut exquiſitior dolor excitaretur, lentè uſtularentur. Quia tamen, uti Diana *Tract.* VI. *Reſol.* 35. narrat, praxis docuit, quòd plures rei ita torti confeſſionem nullam ediderint, ideo regulariter hoc tormentum, ceu tolerabile nimis, in Sacro tribunali Regni ſaltem Siciliæ, in deſuetudinem abiit.

Suppliciorum diritas. XXIX. Torturæ plus quàm Cyclopicam hanc barbariem ſuppliciorum immanitas excipit. Quæ tamen pro reatu diverſo ipſa quoque differentiam recipiunt. Sunt enim hæretici λεγόμενοι contumaces: ſunt pœnitentes: ſunt pœnitentes in hæreſi rudiores, tyrones, molles: ſunt provectiores, in quibus hæreſis radices egiſſe videtur. Contumaces ſunt, qui liberè Chriſtum confitentur, & Papatum ejurant, neque ullis promiſſis, minis, monitis inflecti ſe patiuntur, ut mentem vel confeſſionem mutent. Hi vivi magna crudelitate comburuntur. Pœnitentes in hæreſi provectiores palo alligati ſtrangulantur, & ſtrangulati comburuntur. Nota hæc ſunt tum ex praxi: tum ex legibus Inquiſitionis Belgis impoſitæ, uti eas Carolus V. A. 1550. contraxit. quas inter prima ſic habet: *Extra Theologos ab Univer-*

ſitate

ſitate admiſſos de Scripturarum ſenſu ſermonem nemo miſceto &c. Qui ſecus faxit, perduellis, ex die criminis inteſtabilis eſto, alienandi facultatem ne habeto. Pœnarum gradus ſunto. Pœnitentia ducti, ſi viri, gladio plectuntor: Fœminæ in terram vivæ defodiuntor: Contumaces igne cremantor, bona univerſorum in fiſcum rediguntor. Molliores & rudiores reconciliantur (hac enim voce uti ſolent) hoc eſt, ignominia publica affecti, & velut in triumphum ducti, publicè laqueos colla induti, togas ferales Sambeniticas geſtantes, pœnam promeritam ſic confitentur, & vel ad certum tempus uſque ſic veſtiti ingrediantur, vel carceribus ſive perpetuis, ſive arbitrio judicis ad certum tempus reſtrictis mancipentur, & bonorum vel magna parte, vel univerſis etiam mulctentur.

XXX. Crudelitati ſuæ barbari Inquiſitores Monachi ludibrium immane addunt, cum Pilato lavantes manus ſuas, dicentéſque: *Puri ſumus à ſanguine iſtorum.* poſtquam nequitia & diritate ſua cruciatus quæſitiſſimos, & morte quavis duriores miſeris intulerunt. Nam judicatos à ſe hæreticos poſtquam brachio, uti loquuntur, Seculari, ſecum & conjunctiſſimo & conſentienti tradiderunt, ficta interceſſione miſeris illudunt, & judicibus fucum faciunt, hac aut ſimili formula, quæ apud Guilhelmum Benedictum JC. *in quæſt. de homicidio* extat: *Domini Judices, rogamus Vos, cum omni affectu, quo poſſumus, ut amore Dei, pietatis & miſericordiæ intuitu, & noſtrorum interventu, miſerrimo huic nullum mortis aut mutilationis periculum inferatis.* Sic illi, eo ipſo tempore, quo, eorum inſtigatu rogus accenditur, vel gladius ſtringitur, & quo ſanguinem eorum, pro quibus ſe intercedere ſimulant, plus quàm infernaliter ſitiunt. Cauſa huic hiſtrioniæ prætexitur, quòd olim Idacius & Ithacius Epiſcopi

Cui Monachi hypocrita, pro traditis Seculari brachio in ſpeciem, & recepto juxta Baroniuum more, intercedentes, ludibrium addunt.

 inci-

incitantes Maximum Clementem, oppidum Trevirorum victorem ingreſſum, & impetrantes ab eodem, ut Priſcillianum, hæreticum impurum, ſupplicio afficeret, à Sulpitio Severo, aliiſque graviter reprehenſi, magnam invidiam conflârunt. Hinc Baronius *ad A. 386 ſſ. 13.* in Eccleſia Catholica uſu receptum dicit, *ut cùm quis à Magiſtratibus Secularibus adverſus hæreticos opem expetit, ne Ithacianæ partis conſors & ſectator eſſe videatur, conteſtationem illam conſultè præmittat, nimirum ſic ſe correctionem expetere incorrigibilium delinquentium, ut tamen citra pœnam ſanguinis puniantur.* Sic illi ſanguinarii Magiſtri, Idacio & Ithacio quovis atrociores longè, crudelitati ſuæ Babylonicæ ludibria addunt.

Inquiſitionem non Sanctuarium Domini, ſed fornacem Babyloniam eſſe, concluditur.

XXXI. Non ergo Inquiſitionis tribunal Sanctuarium Domini eſt, ſed Babylonica fornax, Schola latronum, in qua injuſtitia, fraudes, avaritia & crudelitas dubio Marte certant, eademque ſcelera Hierarchia tum Magiſterio, tum ferali exemplo omnibus iis, qui in Babylonicæ hujus Meretricis Sanctorum ſanguine ebriæ, amplexibus hærent, inſtillat; ſpoliarium civium, cruentarum prædarum ſævum receptaculum; denique ſica *in omnes literatos* (ſic apud Thuanum *lib.* xxxix. Palearius inſignivit) nos addimus, *in omnes Sanctos & teſtes Jeſu*, diſtricta. Tale ſcilicet ſacrum illud tribunal eſt, *quo uno niti Sedis Apoſtolicæ authoritatem*, Paulus IV. moribundus, Onuphrio in ejus vita teſte, Cardinalibus profeſſus eſt; & *cui Italiam* (Hiſpaniam addere poterat) *ſervatæ fidei integritatem acceptam referre debere*, Pallavicinus *Hiſt. Concil. Trid. lib.* XIV. 9. 5. pronuntiavit. Poſſet eadem ratione Turca in univerſo Imperio ſuo, quin ipſa quoque Italia, ſi ea potiretur, Muſulmannicæ fidei ſuæ integritatem ſervare, & Chriſtianam religionem radicitus extirpare.

Sed

Digitized by Google

ſed nondum eò immanitatis Barbari, quò Religioſorum illorum, qui Evangelicam perfectionem profitentur, animus præcipitavit.

XXXII. Proximum crudelitatis Hierarchiæ documentum eſt, *quòd Papa per Emiſſarios, ſeu Legatos ſuos, fideles Regum Principúmque indignationi & furori exponit.* Hoc certè non obſcurè Babyloni Spiritus Dei Apoc. XVI. 13 &c. tribuit. Nam ſexto Angelo phialam iræ Dei in fluvium Magnum Euphratem effundente, atque ſic exſiccata aqua, ut via præpararetur Regibus ab Oriente Sole; S. Johannes vidit *ex ore Draconis, & Beſtiæ, & ex ore Pſeudoprophetæ ſpiritus tres immundos, ſimiles ranis. Sunt enim*, inquit v. 14. *Spiritus dæmonum, facientes ſigna, qui proficiſcuntur* ἐπὶ βασιλέας *ad* (vel potius) *in Reges terræ & totius orbis habitabilis, ut eos congregent in prælium diei illius magnæ Dei & Omnipotentis. Et congregârunt eos in locum, qui Hebraicè dictus eſt Harmageddon.* Origo ſpirituum triplex os, vel antrum eſt, puta *Draconis*, Diaboli, qui ab initio mendax & homicida fuit; *Beſtiæ*, populi animalis, veræ religionis expertis; & *Pſeudoprophetæ*, falſi illius doctoris, qui Apoc. XIII. 11. 12. dicitur *ſecunda Beſtia, quæ aſcendit ex terra, & habuit duo cornua ſimilia agno, & locuta eſt, ut Draco, & poteſtatem prioris Beſtiæ omnem coràm illo fecit*, &c. Spiritus vocat *impuros*, qualis Dæmon, & omnis homo irregenitus eſt; & quidem *tres*, non ob numerum eorum, quaſi tres duntaxat, non plures futuri ſint; ſed vel quia ex trium ore exeunt, vel quia triplex operatio eſt, juxta qualitatem trium, à quibus exeunt, tanquam ex ſuis domibus. Draconis enim ſpiritus eſt homicidij; Beſtiæ cupiditatis rerum temporalium: Pſeudoprophetæ mendacii & falſæ doctrinæ cum omni artificio ejus incruſtandæ. Spiritus vocantur δαιμονίων *dæmonio-*

Crudelitatis Papæ documentum proximum eſt, quòd per Legatos & Emiſſarios diſſentientes Regum & Principum furori exponit. De Babyloniis his Legatis Prophetia phialæ ſextæ Apoc. XVI. 12. &c. comparatur.

dæmoniorum, ſapientiam, ſcientiam multiplicem & aſtutiam artificioſè fallacitérque conficiendi res ſuas. Eſt enim δαίμων, quaſi δαήμων *ſciens*, peritus, artifex. Ranis comparantur ob indefeſſas coaxationes, continuas vociferationes atque ſtudia enixiſſima, quibus Reges & Principes ad bella inſtigant. Exeunt ἐπὶ *ad*, vel potiùs in *Reges* & *Principes*, hoc eſt, eos, veluti Spiritus quidam, animant ad religioſa bella, dum clamat in iis Beſtia, & clamat Pſeudopropheta, & Draco inſtigat, ad bellum inferendum iis, qui à Babylone receſſerunt.

Nuntii & Emiſſarii ſpirituales Papæ prophetiæ ei exactè quadrant.

XXXIII. Non puto, tacente etiam me, quenquam fore, cui non promptiſſimè in mentem veniant Hierarchiæ, Capitis ejus Papæ inprimis, *Legati*, *Nuntii*, Emiſſarii, *Spirituales Patres*, bellorum religioſorum incentores acerimi, à Papæ ad, & in Reges & Principes terræ miſſi, & velut in cor & conſcientiam eorum intrantes, ut continuis ſuis clamoribus & coaxationibus eos ad vim faciendam iis, qui à Papæ obſequio deflexerunt, commoveant. Citiùs ſanè in *hac* ſublunari regione vacuum dabitur, quàm paulò celebrior Regis ac Principis aula, quam tripartita hæc ſpirituum phalanx non totam poſſideat, dummodo aditus eò illis vel per anguſtam rimulam pateat. Indicæ quoque relationes teſtes ſunt, Spiritus hoſce, quam primum in Aridam exſcendunt, rectà in Aulas & ad Reges tendere, ut hos primùm in poteſtatem redigant, & per eoſdem deinceps ſubjectos populos infeſtent.

Suntque duorum generum, vel à Papa immediatè miſſi, Legati à latere, Nuntii Apoſtolici.

XXXIV. Sunt hi Trifauces Spiritus duorum fere generum. *Prius Legatorum Majorum* eſt, quos Papa *αὐτός* & cum plena poteſtate pro expediendis negotiis ſuis mittit ad Aulas Regum & Principum, qui *Legati à Latere* & *Nuntii Apoſtolici* inſigniri ſolent. Sunt enim orales Interpretes Papæ, Apparitores & Parmenones

nones Sanctæ Sedis proximi, qui poſt Reformationis, Concilii inprimis Tridentini, à quo propria & nativa æra calamitatis Europæ per triſulcos illos Spiritus concitatæ, incipit, tempus frequentiores longè & acriori cum delectu ad Reges mittuntur, quàm ante factitatum fuerat. Mandatis inſtruuntur talibus, qualia ad finem illum, quem Spiritibus his S Johannes tribuit, directa ſunt; ut videlicet ſublata fœderum, pactorum, juramentorum religione, Reges vel contra ſe invicem, vel contra ſubditos, vel hos in illos concitent, prout Papæ rationibus conducere viſum fuerit, Conciliique adeò Tridentini executionem ſanguinariam perſuadeant. Súntque hi ceu Caſtrorum Commiſſarii, uti hodie loquuntur, ſeu ἱερογδιώκται in ſacra hac expeditione. Ad hoc Spirituum genus etiam totus Principum purpuratorum Senatus, in quibus, ceu cardinibus, Reip. Chriſtianæ ſtatus verſatur; Præſulum & Prælatorum Ordines, qui aulas Regum Principúmque ſectari, & conſiliis ſuis moderari ſolent, pertinent.

XXXV. *Poſterius* Spirituum illorum genus eorum eſt, qui religionem in clauſtris ſuis profeſſi, relictis iis ceu paludibus ſuis, in aulas Regum & Principum penetrant, & cauſam Domini ſui inprimis alacriter agunt. Referri huc poſſunt omnes Sophiſtarum familiæ, linguæ, calamíque acie rem Romanam defendentes, omni artium & linguarum luce, ingeniorúmque præſtantiſſimorum donis, ad fucanda, pallianda & excuſanda Papatus σκύβαλα, eludendámque veritatem impiè abutentes; omnes religioſorum larvæ; inprimis autem *Aulipetæ* celebres *Jeſuitæ*, à *Lojola*, quæ vox Hebraicè ſcripta (לילה) *Nocturnum tenebriorem* ſignificat, originem ducentes, hominum genus vetuſtiſſimum, qui ingenii, dicendi, agendi dotibus excellentes, adeóque verè δαίμονες *Scientes* & periti, pro Regis

Vel Monachi, Jeſuitæ inprimis, voto proprio ad miſſionem obſtricti.

gis ſui imperio audaciſſimè callidiſſiméque velitantur.

——— ——— In utrumque parati,
Et verſare dolos, & aperto tendere Marte.

Non enim arbitrio quodam, ſed voto, quod quartum & Jeſuitis proprium eſt, ad obeundam *miſſionem* obſtriguntur. Formulam quarti hujus voti à Lojola, & decem primis Societatis Patribus oblatam Julius III. confirmavit, in qua inter alia ſic primipilares illi decreverunt: *Sciant omnes ſocii, & non ſolum in primis profeſſionis ſuæ foribus; ſed quoad vixerint, quotidie animo volvant, hanc Societatem univerſam, & ſingulos, ſub Sanctiſſimi Domini Papæ noſtri, & aliorum Romanorum Pontificum ſucceſſorum ejus fideli obedientia Deo militare. Et quamvis Evangelio doceamur, & fide orthodoxa cognoſcamus, ac firmiter profiteamur, omnes Chriſti fideles Romano Pontifici, tanquam capiti, ac Jeſu Chriſti vicario ſubeſſe: ad majorem tamen noſtræ ſocietatis humilitatem, ac perfectam unius cujuſque mortificationem, & voluntatum noſtrarum abnegationem, ſummopere conducere judicavimus, ſingulos nos ultra commune illud vinculum ſpeciali voto obſtringi: ita ut* QUICQUID *Modernus, aliique Romani Pontifices pro tempore exiſtentes juſſerint, ad profectum animarum & fidei propagationem pertinens, &* AD QUASCUNQUE PROVINCIAS (earúmque adeò Reges & Principes) *nos* MITTERE *voluerit, ſine ulla tergiverſatione, aut excuſatione, ilico, quantum in nobis fuerit, exequi teneamur; ſive miſerit nos ad Turcas, ſive alios quoſcunque infideles, etiam in partibus quas Indias vocant, exiſtentes* (adeóque Reges Orientis, quibus exſiccato Euphrate aditus muniendus, juxta Phialæ plagam, fuerat) *ſive ad quoſcunque hæreticos, ſive ſchiſmaticos, ſive etiam ad quoſvis fideles.* adeóque, uti eadem pro-

phe-

phetia ſonat, ad Reges *terræ* (hoc eſt fideles, Eccleſiæ addictos, nam prophetia terræ nomine Eccleſiam ſignificare ſolet) & *orbis habitabilis*, puta reliquos infideles, hæreticos, ſchiſmaticos. Ipſa ergo Voti hujus Jeſuitici formula ambigere neutiquam ſinit, qui ſint illi Babylonii ſpiritus, ex ore Draconis, Beſtiæ & Pſeudoprophetæ prodeuntes.

Legatorum & Miſſionariorum Papæ & Apoſtolorum ſeu Legatorum Chriſti immane diſcrimen.

XXXVI. Nam ex ore certè Chriſti Legati & Miſſionarii hi prodire dici non poſſunt, eo modo, quo prodierunt Apoſtoli, qui ex ore Chriſti ſic inſtructi ſunt: *Sicut Pater me miſit, ita ego mitto vos*, Joh. xx. 21. Tametſi enim utrique Jeſuitæ inprimis, quos Luſitani *Apoſtolos* etiam vocare ſolent; & Apoſtoli Chriſti, & Miſſionarii, in eo conveniunt, quòd utrique orali & immediata vocatione, illi à Chriſto afflati, hi ex ore Draconis, Beſtiæ & Pſeudoprophetæ miſſi currebant, currúntque: quodque non vocati ad eos utrique venerunt & veniunt, qui de iis cogitârunt nunquam, in cœteris tamen δὶς διὰ πασῶν differunt. Apoſtoli enim evitatis Magnatum aulis, ſpretóque Mundi hujus ſupercilio ad plebem ſe conferebant: hi Regum domos & Gynecæa rectà petunt. Illi Scholas & Synagogas frequentabant: hi Prætoria & Curias ſcrutantur. Illi in aulis, ſi quando eò abripiebantur, ut pecora mactabantur: hi Reges Principéſque ipſos vel mactandos curant, vel Subditis apud eos perniciem machinantur. Illi populis Evangelium de Chriſto cum omni patientia & lenitate prædicabant: hi eoſdem vel denuntiata, ni pareant, ſuprema Magiſtratus indignatione territant, vel prædicata Cruciata in Magiſtratum concitant. Illorum Evangelium à Sapientibus hujus ſeculi reſpuebatur, & ut inepta ſpermologia explodebatur: hi doctrinam ſuam rationi conſentaneam eſſe, & ab ingenioſiſſimo quoque inter Barbaros præſertim (ſic Surius alicubi) expeti dicti-

dictitant; multo etiam de Regum, Principum, Magnatum favore jactantes. Illi cor Patrum ad filios, & filiorum ad Patres, quantum in ipſis erat, convertebant: hi liberos contra Parentes, & hos contra illos, adeóque proximos Agnatos contra ſe invicem concitant. Illi dulciſſimum Chriſti jugum, & per hoc conſcientiæ libertatem & pacem prædicabant: hi Romano-Hiſpanicæ Inquiſitionis tyrannicum jugum fidelium cervicibus intentant. Illi ſpreta humana commendatione omni, propriæ conſcientiæ teſtimonio, & legationis ſuæ authoritate contenti erant: hi ſupremi Magiſtratus mandatis, & ſeveriſſimis edictis, adeóque militum cohortibus ſe muniunt, ut horum præſidio tuti pernicioſas artes ſecuriùs exercere queant, adeóque à ſubditis quod volunt, extorqueant; aut quod optatius illis eſt, apud eoſdem illis contemptæ Majeſtatis invidiam conflent. Illi quocunque veniebant, nemini moleſti aut graves erant: hi innocentes avitis ſuis ſedibus variis artibus, ut eaſdem ipſi occupent, expellere conantur. Denique illi ſentientes, ſe cum Evangelio ſuo contemptui haberi, non aliam de contemnentibus pœnam graviorem expetebant, quàm quòd excuſſo pedum pulvere abierunt, & res ſuas ſibi habere juſſerunt: hi ſemel recepti, vel ſemet ipſos per anguſtum foramen intrudentes, per patentiſſimas deinceps valvas vix ejiciuntur; ejecti aut læſi vindictæ rationes omnes tentabunt.

Sunt Spiritus, & quidem immundi.

XXXVII. Miſſionariis his, turbarum & tempeſtatum in orbe Chriſtiano Æolis, characteres, quibus natura illorum Spirituum in Prophetia exprimitur, apprimè quadrant. Nam & *Spiritus* ſunt, & quidem *immundi*: & *ſimiles ranis*: & *Spiritus dæmoniorum*. Qui Spirituum Trifaucium characteres Apoc. XVI. 12. 13. 14. conſtituuntur. *Spiritus* ſunt, quomodo πνεύματα Spiritus metonymicè appellantur, qui inuſitato quodam, & minimè

minimè vulgari religionis ſive veræ, ſive fictæ zelo flagrant. Sub religionis ſanè obtentu jam dudum per illos Draconica truculentia, Beſtialis malitia, & Pſeudoprophetica impoſtura Orbem, & in eo Reges ac Reſpublicas præcipuè infeſtant. Hoc enim à longo jam tempore *Spiritualium* illa *Patrum* (ſic enim dici amant) cohors ingenti, religionis zelo, qui quiddam ecſtaticum, & furori lymphatico ſimile habet (quomodo Hoſ. IX. 7. dicitur: אויל הנביא משגע איש הרוח *Stultus eſt Propheta, & ſpirituales inſaniunt*, lymphantur, fanaticorum inſtar) agit, hoc ſcribit, hoc diſputat, hoc voce contendit, hoc vigilans ſomniat, hoc omnes aulæ, omnia dicaſteria, omnes Curiæ, omnia Gynecæa, Templa, Cathedræ perſonant: hoc armis, fuſte, reſti, enſe, aqua, igni evincere & pervincere, magno tumultuum, ſed exiguo veræ pietatis incremento, conatur, ut religio Papæ ubique locorum vel conſtituatur, vel reſtituatur. Ad furorem hunc accedunt dona ingenii, excitata vis animi, mens ſagax, & innata quædam induſtria. Quæ inſuper externo & affectato hypocriſeos artificio fucantur; veluti virginali caſtitate, abſtinentia, ſimulata paupertate, divitiarum contemptu, regulari veſtitu, duro victu, tetrico vultu in propatulo μισογυνεία, precibus multis, extraordinariis revelationibus, Sanctorum jactatis apparitionibus; & ſi quid aliud ad larvæ religioſæ expolitionem, vel per Concilii Tridentini reformationem, vel per Lojolæ, aliorúmque recentium hypocritarum perfectiores regulas adjectum eſt. Si interiorem interea Spirituum illorum habitum ſpectes, præter falſam doctrinam, furorem, hypocriſin, artes & conſilia ſanguinaria, nil niſi ambitionem, avaritiam, immunditiem, obſcœnitatem, crapulam, deteſtandas libidines, aliáque ejuſmodi produnt. Et πνεύματα igitur

igitur *Spiritus* religionis nomine omnia ſacra commoventes; & ἀκαθάρτα πνεύματα *impuri ſpiritus* ſunt. qualis Bileamus erat, qui ſimilibus artibus id apud ſui Seculi homines conſecutus erat, ut benedictionem & maledictionem in ſua habere poteſtate crederetur. quem Romanus Archi-Bileamus non infeliciter imitatur, dum pios hinc inde excommunicatos, diríſque devotos Balako ſuo perſequendos tradit.

Ranis Ægyptiacis ſimiles, quod utroiumque comparatione oſtenditur.

XXXVIII. Ranis porro, & quidem Ægyptiacis ſimiles eſſe novellos hoſce Apoſtolos, quid dicere attinet? Sicut nempe ranæ Ægyptiacæ, præter generis ſui naturam, relicto Nilo, deſertíſque paludibus primùm Pharaonis aulam, & ex hac deinceps Satraparum ejus, ſicut & reliquorum Ægyptiorum domos appetierunt, eáſque inaudita, & in hac animantium ſpecie planè prodigioſa agilitate, ad intimâ uſque penetralia perreptârunt; cubilium ſtrata, vaſa farinaria, culinaria, cum clibanis & univerſa ſuppellectile defœdârunt; denique in ipſummet Pharaonem, ejúſque aulicos. & illorum veſtes prodigioſo auſu inſilierunt, Exod. VII. 28. 29. ſic planè Spiritus hi toti Oecumenico orbi faciunt. Nam quod Pharaoni Ægyptus fuit, hoc Draconi, Beſtiæ & Prophetis, ſpiritus hoſce exhalantibus, totus orbis eſt. Relictis ergo clauſtrorum ſuorum, in quibus impuriſſimam vitam ducunt, latebris, poſito omni pudore, non alia quàm Præpoſitorum ſuorum, Papæ uni ſolíque inſervientium, authoritate, totum orbem pervagantur, in Principum omnium Curias, Regum palatia, Magnatum, Cancellariorum, Mareſchallorum &c. domos prorumpunt, eóſque importuna coaxatione ſua in arenam deductos; ad decernendum magni illius diei prælium concitant. Vox porro à Moſe uſurpata Hebræa צפרדע quæ *ranam* ſignificat, myſterio non caret. Nam derivari illa poteſt à צפור

quod

quod Chaldæis & Arabibus *Collegium*, *Communitatem*, *Seminarium* ſignificat, & רעה *Scientia, cognitio, opinio.* Atque ſic *argutum*, *omniáque perrimans inſectum*, vel *inſectorum cœtum* notare poteſt. Certum autem eſt, nec ranas Ægyptiacas, uti res ipſa oſtendit; nec ſpirituales hos Emiſſarios ab Etymologiæ hujus ratione abludere. Sic enim etiam Daniel VIII. 23. Antichriſtus מבין חידות *intelligens ænigmatum*, vel potiùs *catus* & *verſipellis* homo, quem nunquam ingenii verſuti expedita facultas deſtituit, inſignitur. Cujuſmodi Protheum olim in Scholis *Subtiliſtam*; hodie *vafrum Sophiſtam*; in aulis *Subtilem* & *exercitatum Politicum*, *Practicum*; in caſtris *Hannibalem* appellare conſueverunt. Teſtatur autem experientia, Pſeudopropheticam hanc Emiſſariorum cohortem non ſolùm omnem ſpem & fiduciam in captioſa Sophiſtica repoſitam habere, utpote qui aliter nec ſe, nec curioſam quam ſuſceperunt, cauſam tueri queant: ſed etiam hanc ipſam verſutiam nunc demum *Æquivocationis* fallaciam, hoc eſt, verſutiſſimum & ſubtiliſſimum mentiendi artificium in Cœleſti etiam veritatis Profeſſore probare, ejúſque artem & uſum publicè docere ac profiteri. Ut jam mirum non ſit, quòd in aulis, ipſiſque adeò caſtris vulpina aſtutia cum perfida crudelitate conjuncta omnia acta & conſilia moderatur. Poſſent & aliæ ranarum & emiſſariorum comparationes inſtitui. Etenim conſtat ſatis, totum ranarum genus eſſe ἀμφίβιον; Limo tamen paluſtri impensè gaudere; vivas aquarum ſcaturigines putredinem hanc non ferre; clamoſos eſſe præſertim circa veſperam, ubi interdum vehementer tumultuantur, ſuíſque coaxationibus totas paludes replent. qui coaxatus tum imminentis imbris certum omen habetur. Non puto cuiquam obſcurum eſſe, vix ovum ovo ſimilius eſſe, quàm hæc Emiſſariis, Je-

Digitized by Google

ſuitis præprimis. Illi enim amphibii & in terra, hoc eſt, ſtylo Prophetico, Eccleſia; & in mari, ſeu aqua, hoc eſt, mundo, Seculo vivunt; inter Monachos Epiſcopi, inter Epiſcopos Monachi; orbem terrarum terra marique æquali facilitate peragrant: à limpidis Iſraelis fontibus, tanquam à ſuo naturali veneno aut refugiunt, aut non aliter ex iis, quàm ut canes ex Nilo potant; aut eoſdem calumniis impetunt: contra ſuum illud Ariſtophanicum βρεκεκεκὲξ & κοὰξ, κοὰξ per limoſum traditionum cœnum, per inſanos & inſatiabiles illos clamores: *Sanctiſſima Sedes, Beatiſſimus Pater; Sancta Romana Eccleſia: Non errat Sancta Romana Eccleſia: Audienda eſt Sancta Romana Eccleſia; qui non andiverit; hæreticus & ſchiſmaticus eſt, ferro & igni expiandus*, &c. in Lacu Antichriſti ceu colorando efformant: coaxatu ſuo ominoſi ſunt Regnis & nationibus multis, quibus non ſemel diem & horam calamitatis ſuæ certiſſimè prædixerunt, haud equidem futurorum ſcientia, ſed quia conſiliorum ipſimet architecti fuerunt. Denique, ut ſecundum hunc characterem claudam, caput ipſum Ranæ Jeſuitici, Tulipanti, ſeu Capucii quadraturam exactè repræſentat.

Sunt Spiritus dæmoniaci, שדים, *crudelitate, aſtutia, impuritate dæmoniaca præditi.*

XXXIX. Neque tertio Spirituum charactere, ſecundum quem πνεύματα δαιμονίων *Spiritus dæmoniorum*, ſeu *Dæmoniaci* inſigniuntur, Legati hi & Emiſſarii deſtituuntur. Etenim *Dæmoniorum* vox Hebrææ voci שדים à שדד *vaſtavit, perdidit*; reſpondens ſpiritus *pernicioſos*, ſeu, uti Chaldæus reddit Pſal. CVI. 37. מזיקיא *nocivos* notat. Rabbinorum alii ſic dictos volunt, quòd aeris & aquæ dominio præſint, ventos & tempeſtates concitent: alii, quòd obſeſſos homines torqueant. Neque deſunt, qui à Caino prognatos eſſe, ac propterea humanis cœdibus delectari affirment. uti in *Schalſchel. Hakab. tract. de Incantat.* legere eſt. Sunt

igitur

igitur Spiritus ſanguinolenti, vaſtatores, *λυμαινόμενοι, πονηρεύοντες*; & quidem, uti R. Hiskias ad Deut. XXXII. 17. annotat, שדדים את דעת אדם *vaſtantes, ſeu pervertentes intellectum humanum.* David etiam Pſal. CVI. 37. iſtam Iſraelitarum ſtultitiam, de qua ibi Moſes loquitur, de liberorum immolatione interpretatur. Adduunt Rabbini, eos mediæ Diabolos inter & homines ſubſtantiæ eſſe בני הבליות *ſalaces, laſcivos* ſupra modum, quorum Rex ſit אשמדי *Aſmodæus* ille, conjugii, liberorúmque, maſculorum inimicus. Habet etiam vox שד cognationem cum זד *Tumidus, ſuperbus, inſolens*, in quarum affinium vocum permutatione multum Rabbini ludunt. Obſervandum inſuper, Prophetam eos non directè Dæmonas, ſed *Dæmoniorum ſpiritus*, hoc eſt, *Spiritus dæmoniacos* vocare, indicantem, non eos ſpectra, ſed homines eſſe, malitia dæmoniaca præditos, furore & libidine dæmoniaca agitatos. Non puto equidem verbis opus me habere ad demonſtrandum, exactè criterion iſthoc congruere Emiſſariis, Jeſuitis inprimis, quorum furores, ſtrages ab iis paſſim factas, parricidia, vel attentata vel perpetrata, vel commendata (uti ex Simanca, Mariana, Becano, aliis conſtat) veneficia, perjuria, proditiones; doctrinam dæmoniacam, conjugio caſto inimicam, libidines fœdas, technas multifarias orbis univerſus Eous & Occiduus proh dolor! expertus eſt, atque experitur adhuc.

XL. Sed & Spirituum iſtorum officia bellè Emiſſariis quadrant. Tribus pariter illa capitibus Spiritus S. incluſit, dicens Apoc. XVI. 14. eos *miracula facere, abire ad Reges terræ & totius mundi; & eoſdem ad bellum congregare.* Non ſine cauſa primore loco miracula ponuntur. Eorum enim oſtentatio uſitatum Diaboli, quoties Dei verbo & digito ita premitur, ut præſtigias ſuas

Miracula oſtentant, uti relationes inprimis Indica teſtantur.

 aliter

aliter mundo obtrudere nequeat; artificium eſt. Et circa finem mundi hac impoſtura frequentiùs eum uſurum, Scriptura Matth. XXIV. 24. 2. Theſſ. II. 9. Apoc. XIII. 13. 14. teſtatur. Quo verò certiore charactere Emiſſarii ſuam Draconis, Beſtiæ & Pſeudoprophetæ clientelam nobis probare poſſent? In utraque enim India, (quas regiones Spiritus S. iis pro ſuo etiam campo attribuit) omnium efficaciſſimè Miraculorum hic character operatus eſt; ſi modò vera ſunt, quæ in Epiſtolis Indicis & Japonicis referuntur. quarum vix ulla eſt, quæ non inſigne aliquod miraculum commemoret. Primis maximè Africæ inventoribus ſtupenda miracula adſcribuntur. uti apud P. Martyrem *lib.* VI. *Dec.* 2. videre eſt. Et ſanè ſplendidus ille character Spiritibus his inter Barbaros præſertim, & apud Reges, qui eis ſeducendi objiciuntur, ſpeciem longè auguſtiſſimam conciliat, & Dæmoniacam malitiam ſic tegit, ut pro veræ & ardentis pietatis zelo habeatur, & ipſi Dæmones per eum in Angelos lucis transformentur. Tali faſcino opus eſt iis, qui Reges excœcare, & cum Janne & Mambre veritati reſiſtere debent.

Eunt ad, & in Reges ac Principes terræ & habitabilis; Totorbiperambulitechni.

XLI. Alterum officium, *eundi* ἐπὶ *ad*, vel *in Reges terræ & orbis habitabilis*, non minùs eos exequi ſtrenuè, jam ſupra dicere occupavimus. Sunt enim ſimilimi Prophetis illis Achabi, in quorum ore mendacem ſe fore promiſit Spiritus ille malus, ut Achabum ad bellum pelliceret; quem etiam efficaciſſimè pellexerunt ſeduxeruntque. Sic planè hi TOTORBIPERAMBULITECHNI, uti eos nonnemo ſcitè inſignivit, inſtincti à Spiritu, qui in ore illorum eſt, Regum limina terunt, ad Reges terræ & totius Mundi abierunt & abeunt, qui in eos & penetralia animi eorum deſcendunt, ut eos fraudibus & mendaciis ſuis obſequio Papæ ſubjiciant, ſubjectos in eodem retineant, &

& adverſus Papæ immorigeros inflamment. Ut enim de utroque mundi cardine ab illis peragrato, turbato & devaſtato nil ampliùs dicam; de remotiſſimis illis orbis partibus, in quibus ante hanc exiccationem Euphratis vix hominis Europæi veſtigium conſpectum eſt, certum eſt, nullam ex eo tempore paulò celebriorem Legationem ex ulla Occidentis parte ad reliquos orbis Monarchas emiſſam eſſe, cui non Legati vel Emiſſarii hi ſe adjunxerint, ut ſub Legationis pluteo eò penetrarent, & Papæ ibidem, à quo miſſi ſunt, negotia curarent. Teſtantur id Jeſuitarum de ſuis in India ſucceſſibus Epiſtolæ & relationes hiſtoricæ: Matthæi Ricii de Societatis illius apud Sinas ſuſcepta expeditione libri, à Nicolao Trigautio editi: Maffeii, à Coſta, Martini, aliorum hiſtoriæ. Et Jeſuitæ ab hac officii parte adeò non abhorrent, ut palam etiam profiteantur, Se pro iſtius rei ſymbolo geometricos ſuos pileos, quadricornuta capuciola geſtare. quorum hoc myſterium pandunt: *Quatuor anguli quatuor mundi plagas deſignant, ad quas vel à Pontifice ipſo, vel à ſuo Generali, etiam non accepto viatico ablegantur.* Neque ſoli Jeſuitæ, ſed alii etiam Monachi quadraturam illam inde à tempore non longo cucullis ſuis induxerunt; quin Epiſcopi quoque pileos hujus modi geſtare cœperunt, ut ſimilis officii admoneantur.

Congregant Reges & Principes ad bellum ſacrum.

XLII. Poſtremum officium *congregandi Reges & Principes terræ & totius mundi in prælium Diei Dei omnipotentis illius Magni*, ad quod reliqua omnia tendunt, haud minùs obeunt gnaviter. In hoc enim illorum otium, in hoc negotium: in hoc vigilia, in hoc ſomnus, denique curæ eorum omnes reponuntur, ut Reges Principéſque Religioſis bellis implicent, involvant, & violento quodam impetu abripiant; Congregationes, Ligas, Uniones inſtituant. Media, quibus

ad

Digitized by Google

ad ſcopum eum graſſati hactenus ſunt, in propatulo etiam ſunt. Sunt enim illa perjuria publica, ad quæ Reges præcipuè inducunt, religioſæ pacis hinc inde conſtitutæ, quam ut canes lapidem, quo ſe petitos ſentiunt. oderunt, & rabioſè admordent, fraudulenta & violenta perturbatio; parricidia, veneficia, vis conſcientiis illata. fraudulentæ & inſidioſæ pacificationes, Juris corruptelæ, Innocentiæ oppreſſio, & ſimilia, per quæ Papatum amplificare, collapſum Eccleſiæ ſtatum reparare, Concilium Tridentinum exequi, hæreſes fictitias ex agro Domini extirpare conantur. Ex quibus, ſecundum naturæ creatæ curſum, non aliud quàm bella; & quidem pernicioſiſſima exoriri potuerunt, poterúntque deinceps.

Coaxatus & coccyſmus eorum perpetuus quo Reges & Principes mundi ad bellum ſacrum incendunt.

XLIII. Hic ſcilicet eſt aſſiduus ranarum illarum coaxatus, hic Jeſuitarum, & Jeſuiticorum conſiliorum coccyſmus, quo generoſorum Regum Principúmque aures animoſque, poſtquam in eos ſemel intrârunt, inſatiabiliter tundunt, obtundúntque, & ad religioſa bella incendunt: *Subditis veſtris bona conſcientia tantam licentiam concedere non poteſtis; nec fides hæreticis jurata ſervanda eſt, quia juramentum vinculum iniquitatis eſſe non debet. Religionis libertas non aliud eſt, quàm manifeſta Majeſtatis diminutio, cum opprobrio conjuncta. Túne, qui vivis & flores, non poſſis retractare, quæ Anteceſſor, Parens, Avus &c. vel imprudens maleque perſuaſus, vel etiam vi & armis coactus indulſit. Annon eodem jure Imperator, Rex, Princeps es, quo illi fuerunt? Ferendúmne eſt, ut demortui memoria & authoritas plus apud ſubditos valeat, quàm præſentis & Regnantis perſona? Annon vides, eos, qui pericula tibi objectant, quæ turbatam Religionis pacem, turbata edicta ſequuntur, tibi non tam conſulere, quàm apertè minitari: Diaboli hæc tentamenta ſunt, per quæ generoſis*

Digitized by Google

roſis cogitatis & conatibus tuis remoram injicere ſtudet. Mulierculârum hic, non magnanimorum Principum, metus eſt. Illi juventutem tuam, æquitatem ſpernunt. Severiore fronte opus eſt, ut noverint, te virum eſſe, animúmque tam excelſis natalibus parem gerere. Has conſiliorum ſuorum rationes in publicis etiam ſcriptis, ex quibus hæc ad verbum deſcripta ſunt, neutiquam illi diſſimulant. Apud ſuperſtitioſos & cunctantiores alia adjiciuntur, puta *Reges & Principes, qui hanc Religionis libertatem indulſerunt, in Purgatorio graviſſimas peccati pœnas luere: vix ac ne vix, quandiu peccatum hoc continuatur, à reliquis peccatis abſolutionem concedi poſſe: Non Turcas, non Tartaros veros & nativos Reip. Chriſtianæ hoſtes eſſe, ſed hæreticos, contra Eccleſiam Romanam inſurgentes; in his proin opprimendis veram & Catholico Principe dignam laudem quæri: Cavendum, ne Princeps bello Turcico implicetur, ne rebelles hæretici criſtas attollant. Denique ſeveriore tantùm vultu opus eſſe. Unius enim & alterius Clamatoris ſupplicio rem poſſe confici: ducibus remotis nil auſuram plebem &c. Interea hac ratione Principem animam ſuam ab inferno liberaturum.* Sic, ſic tandem Hierarchiæ venenati illi bufones, turbarum flabella, Sanctorum & teſtium Jeſu flagella Reges & Principes in locum, qui vocatur, Harmageddon, congregant, & ad Sacrum illud minimè ſacrum bellum conclamant.

Legum Hierarchiæ, ad tyrannidem religioſam obligantium, Inquiſitionis, & Legatorum Miſſionario-

XLIV. Sic fuerunt leges Hierarchicorum, ad tyrannidem religioſam obligantes: Tribunal ſacrum Inquiſitionis: Legati & Emiſſarii, per quos Papa claſſicum canit, & diſſentientes Regum Principúmque indignationi & furoribus exponit. Horum verò omnium executionem ſanguinariam, & ſucceſſum horribilem, ipſa perſecutionum & exercitæ in conſcientias, corpora, honores & fortunas omnes tyrannidis religioſæ

rúmque claſſicum religioſum canentium, executio & ſucceſſus, adeóque actualis Hierarchiæ crudelitas ex hiſtoria panditur.

gioſæ hiſtoria demonſtrat. Pertexui eam magnam partem in *Hiſtoria Papatus*, eundem ferè in finem adornata. quam heic repetere ſupervacaneum foret. Pauca tamen, fidem facturus dictis, & inſtituto noſtro inſerviturus, attingere non pigrabor; in cœteris ad hiſtoriam ipſam, alióſque, qui Papalia bella, & perſecutiones ſæviſſimas religionis cauſa agitatas poſteritati tradiderunt, lectorem amandans.

Tyrannidis in conſcientias ſubjectorum Hierarchia rea eſt.

XLV. Tyrannidem in conſcientiam Hierarchia in omnes ſibi ſubjectos exercet. Eos enim Papa, ceu Legiſlator & Judex ſaltem in terris Supremus libertate ea, quam Deus conceſſit, ſpoliatos, ſuis, adeóque humanis legibus regit, ſuo judicio ſubjicit, & ἑκοντι ἀκοντί γε θυμῷ, ſuperſtitione dementatos, ignorantia voluntatis Dei corruptos, vel certè metu coercitos in officio & obedientia continet. Χάραγμα illud, quod Deus Eccleſiæ dedit, ponendum in fronte & dextra manu, eſt ſcripta lex Moſis, cui omne Divinum verbum auditum lectúmque conſonet oportet. Exod. XIII. 16. Deut. VI. 6. 7. 8. XI. 13. 18. *Et erunt verba hæc, quæ ego præcipio tibi hodie, apud cor tuum, & acues ea filiis tuis, & loqueris de eis, cùm ſedebis domi, & cùm ambulabis in via, & cùm decumbes, & cùm ſurges, & alligabis ea in ſignum in manu tua, & erunt in monilia inter oculos tuos.* Præter hoc χάραγμα Hierarchia legem aliam, de qua nihil Moſes, Prophetæ, Chriſtus, Apoſtoli dixerunt vel ſcripſerunt, falſum & idololatricum, uti oſtendimus, cultum, & quidem authoritate Eccleſiæ, quam Divinam & ipſius Spiritus S. eſſe jactant, præſcriptum obtrudunt, eam profitendam & ſequendam iis, qui in Chriſti nomine baptizati ſunt, tanquam ſibi ſubjectis, quemadmodum homo Deo ſubjectus eſt, imperant, atque ſic fidei & conſcientiæ ſubditorum omnium dominantur. Eos verò, qui piè volentes vivere non recipiunt χάραγμα eorum in frontem

tem, ut præ ſe ferant, & profiteantur, & in manum dextram, ut inter actiones ſuas id intueantur pro regula, excommunicant, adeóque Agnum, Chriſtum, & qui eum ſequuntur, & χάραγμα ipſius in frontibus ſuis habent, Apoc. XIV. 1. denique verbum ejus, tanquam non perfectè & candidè docens, & fidem in verbum ejus, tanquam non purificantem corda, non juſtificantem blaſphemant; excommunicatos, carnali gladio interficiunt. Hanc tyrannidem omnium crudeliſſimam, quam Hierarchia tum in ſubjectos omnes exercet, tum in non ſubjectos exercere tentat, ejúſque etiam hiſtoriam, tum in Hiſtoria Papatus, inde à Periodo III. Eccleſiæ Romanæ; tum ſupra etiam Diſſert. VII. 64. VIII. ſſ. 3: 1. 2. &c. X. XI. expoſuimus.

Fruſtra eandem nobis objicientibus Walenburgiis.

XLVI. Neque tyrannidem ſimilem in noſtros Walenburgii, aliíque jure ullo retorquent. Etenim verbo Dei conſentanea præcipere, Orthodoxam fidem ab hæreticorum perfidia vindicare, ad Divinum cultum, conciones & preces publicas authoritate verbi Divini ſubditos adigere, refractarios moderatis pœnis in ordinem redigere, hæreticos vitare, non tyrannicum, ſed legitimi Magiſtratus, cui cuſtodia utriuſque legis Divinæ tabulæ Divinitus concredita eſt; & poſtremum illud, ſanciente Dei verbo, omnium Chriſtianorum officium eſt. Sed præcipere contraria omnia, fidei & conſcientiis dominari, libertatem Chriſtianam omnem abrumpere, vi ſola metúque perſpicaciores in officio continere, reliquos ſuperſtitione, ignorantia, cœca obedientia corrumpere; in pœnis irrogandis ac ſuppliciis ſumendis modum excedere, omnem humanitatem exuere, crudelitatem belluinam exercere; id verò tyrannidem ſapit, qua nulla alia major fingi poteſt. Quanquam tyrannidem hanc non tam ſupplicia, quam cauſa perdita arguunt. Si cauſa Hierarchicorum bona eſſet, nec immorigeri ii, quos affligunt & occidunt, martyres

eſſent: nec ipſi tyranni, ſiquidem præſcriptum à Deo ordinem ſequerentur. Atqui pios ac fideles Chriſti ſervos excarnificant, omníque crudelitate dilacerant non aliam ob cauſam, quàm quia ob timorem Chriſti hæreſibus eorum aſſentiri nolunt, idololatriam per conſcientiam approbare non poſſunt. Similes pravis illis ſervis, qui Domino juxta opinionem ſuam cunctante, lymphari, inebriari, conſervos ſuos verberare cœperunt.

Tyrannis ejuſdem in corpora & fortunas Sanctorum & diſſentientium ediſſeritur.

XLVII. Conſcientiarum porro tyrannis illa quanquam finis eſt crudelitatis Babylonicæ, qua Mulier Sanguine Sanctorum & teſtium Jeſu inebriata inducitur, non tamen ipſa hæc crudelitas ſanguinaria eſt. utpote quæ in fortunas & corpora eorum, qui tyrannidis ſpiritualis impatientes ſunt, atque jugum vel jam excuſſerunt, vel excutere tentant, vel nunquam antehac experti, ſubire detrectant, intenditur. De hac ergo potiſſimum ſermonem inſtituamus, & ſelecta ex immenſo cumulo Babylonicæ crudelitatis exempla colligamus.

Bella Papalia cum Imperatoribus Græcis,

XLVIII. Omitti equidem tragœdiæ ab Hierarchia adverſus Imperatores Græcos & Latinos excitatæ poterant. Cùm tamen hi & Chriſtiani fuerint, & ob Sacroſanctam poteſtatem *Dii, Sancti*, utpote Uncti Domini dicantur meritò, cúmque inſuper bella illa geſta ſint prætextu pietatis, &, uti loquebantur, extirpandæ hæreſis Simoniacæ, ab iis exordiri quid vetat? Quàm primùm illa ergo inviſa Deo idololatria, ſeu εἰκονοδουλεία, imaginum cultus, fundi Chriſtiani calamitas, & malorum omnium, quibus Eccleſiæ ſtatus convulſus eſt, ſeminarium quoddam in Eccleſiam inceſſit, illud ea occaſione moliti Pontifices, ut & Imperatoris authoritatem in Occidente everterent, & ſuam in Oriente ſtabilirent, omnia turbis belliſque miſcuerunt. Indixerat imaginibus bellum Leo Imperator Iſaurus. Gregorius ergo junior, Romanus Epiſcopus, ſi Theophani *Hiſtor. miſcell. lib.* XXI. Cedreno, Zonaræ, Sigeberto, aliis credimus. *Ro-*

mam

mam cum tota Italia ab illius Imperio recedere fecit. Eidem etiam vectigalia, neſcio qua authoritate (inquit Marſilius Patavinus *Tract. de Tranſlat. Imp.*) *ſed bene qua temeritate, ſolemniter interdixit; Romaque congregans Synodum venerationem imaginum confirmavit, & violatores hujuſmodi anathemate condemnavit.* Id Baronius A. 730. 5. commendans, *Dignum*, inquit, *poſteris Gregorius reliquit exemplum, ne in Eccleſia Chriſtiana regnare ſinerentur hæretici Principes.* Eadem occaſione Papa Imperatorum Græcorum in Italia Exarchos, Ravennæ Paulum, in Campania Adrianum & filium ejus occidi curavit. Tandem Irene, Conſtantini Mater, Erynnis potiùs dicenda, cum Adriano I. conſpirans proprio filio, Conſtantino VII. adulto, iconolatriam oppugnanti, & oculos excæcavit, & Imperium eripuit. quod factum ſi non ſuaſit, certè non improbavit Adrianus: at Baronius *A.* 796. 8. laudavit. horrendum dictu!

XLIX. Sæva inprimis fuerunt bella adverſus Imperatores Latinos à Pontificibus Hildebrandinis ſuſcepta atque geſta; quæ ſi non ad Sanctorum ſanguinem, at certè ad Hierarchiæ crudelitatem pertinent. Quam primùm allecta ad ſuperſtitionem Barbaria Occidentalis Eccleſiæ Romanæ jugum ſubivit, & Hierarchia circa undecimum Seculum virilem togam ambivit, & ſumpſit; ſtatim dulci fortuna ebria in Summi Imperii ſceptrum manus petulanter injecit, & Cæſaribus de Supremæ dominationis jure, bello nefario indicto, controverſiam movit. Extractum eſt funeſtum certamen in ducentos annos; quo temporis ſpatio quantum ſanguinis effuſum, quæ civium laniena & ſtrages factæ, quàm gravis Chriſtiano nomini ſtrages illata, quot regiones vaſtatæ. urbes incenſæ ſint, nullo ſermone adæquari poteſt. Primum belli ſignum fax illa infernalis Gregorius VII. Hil- *Nec non Occidentalibus, Henricis, Friderico, Ludovico Bavaro.*

 debran-

debrandus dictus, dedit, qui inſana dominandi cupiditate inflammatus, adverſus Henricum IV. Imperatoriæ Majeſtatis jura tuentem, bruti fulminis aciem diſtrinxit, percuſſorem in caput optimi Principis ſubornavit, ſubditos ad ſumenda in Dominum arma concitavit, Rodolpho Suevo Imperii inſignia contulit, qui tertio cum Imperatore prælio congreſſus, vitam manúmque dextram amiſit. Urbanus poſt nihil eo vindicatæ perfidiæ documento territus, pari adverſus Imperatorem furoris œſtro percitus, Hermannum Lucenburgenſem in arenam eduxit; eóque ſublato Conradum filium adverſus Patrem inflammavit. Ambitionis odiique hæres Paſchalis II. ſumpta Regii honoris purpura, triplicíque diademate, ex monte Tarpejo in Imperatorem fulminans, Henricum filium adverſus Patrem armavit, quo ille oppreſſo cuſtodiæque tradito, Papa mandante, Imperium arripuit. Cùm verò nec ille Papæ morem gerere videretur, ab eodem cum Principibus & Epiſcopis colliſus, à Calixto II. extorto, per vim, eligendorum Epiſcoporum jure, peſſimè vexatus, ſerò intolerabilem Pontificum ambitionem, ſuámque ipſe ſtultitiam & impietatem damnavit. Proſecuti hoc bellum ſunt incredibili animorum contentione Adrianus II. & Alexander III. qui cum maxima nominis Chriſtiani clade univerſam Europam in Fridericum Barbaroſſam concitârunt. quod bellum diu vario eventu geſtum ſedari priùs non potuit, quàm Imperator publicæ cladis miſertus, & ſuas cervices, & Imperii Majeſtatem turpiſſimi Sacrificuli pedibus calcandam ſubjiceret. Derivatum odium eſt in Friderici filios poſteróſque, neque ante depoſitum eſt, quàm maxima Reipublicæ Chriſtianæ clade, familiæ nobiliſſimæ ſoboles omnis extincta eſſet. Nam Henricum VI. filium, Papæ juſſu, Colonienſis, aliíque armis oppugnârunt. Philippum Innocen-

tius

tius II. per Othonem Saxonem divexavit; quem à ſe coronatum, & copiis ſuis adjutum, iiſdem mox artibus deturbavit, quibus paulò ante evexerat. Friderico II. Nepoti Gregorius IX. & Innocentius IV. bellum moverunt, donato omnibus Cœlo, qui arma in eum convertiſſent. unde deteſtabilem Reſpublica perniciem traxit. Reſtabant ex illa domo Conradus, Friderici filius, & Conradinus nepos, ultimæ ſtirpis propagines. Quorum illum Alexander IV. ſibi vexandum ſumpſit: hunc Clemens IV. inſidiis circumventum Carolo Andegavenſi in manus tradidit, & Romæ trucidari juſſit. Ita peſſimè mulctatis Imperatoribus, & ſtabilita Tarpeii Jovis dominatione, cùm poſt ſeptendecim annorum Interregnum Rodolphus Habſpurgicus Imperii habenas capeſſiviſſet; & Papæ partis Italiæ poſſeſſionem, ac ſupremæ in ea dominationis jus ceſſiſſet, ſopita aliquandiu cum Cæſaribus bella quieverunt. donec illa ſub Ludovico Bavaro in exitialem Reip. flammam erumperent. Ita enim Cæſarem omni laude majorem Johannes XXII. Benedictus XII. & Clemens VI. exagitârunt, ut toto Imperii tempore vix unquam tranquillum ei ſpiritum trahere datum fuerit.

Factiones Italica, bellum Siculum; Sacrum, Schiſmata Pontificia, Imperium Græcum à Pontifice proditum Hierarchia crudelitatem arguunt.

L. Nihil dicam de factionibus Gibellinis & Guelphicis, quæ Italiam, Papa, ut partam dominationem commiſſis inter ſe Principibus firmaret, eaſdem alente, infeſtam habuerunt; quæque brevi tempore horribiles & urbibus vaſtitates, & hominibus ſtrages intulerunt: Nihil de Urſina & Columnia factione, ex qua fœda ſæpe in Provinciam labes & pernicies manavit: Nihil de bello Siculo, quod ſub Cœleſtino III. geri cœptum, demum ſub Clemente VII. finitum, trecentos pœne annos duravit, & cum ipſo Regum Regnorúmque exitio finem accepit; Romanis Pontificibus Chriſtianæ Reipublicæ Principes, objecto Regni Siculi, tan-

quam

quam Eridos pomo, in cruentiſſimas contentiones diſtrahentibus; & jam Imperatores Suevos adverſus Tancredum & Normannos aſciſcentibus; jam Carolum Ludovici Regis fratrem, & Gallos; jam Arragonios; demum Hungaros; iterum Gallos; denique Hiſpanos & Auſtrios, meretricio planè proſtibulorum, quæ nauſea priorum capta alios pelliciunt, auſu, advocantibus: Nihil de Belli Sacri minimè Sacri & infelicis inflato claſſico, quo multæ hominum myriades, tertia minimùm Europæi roboris pars, & in una urbe Ptolemaïde capta, hominum trecenta millia ferro cœſa, peſſimo fato defuncta, litârunt ambitioni Papæ, Principes Chriſtianos, fucato prætextu vindicandæ Crucis Dominicæ, ad Orientem ablegantis, ut dominatione Occidentis potiretur frueretúrque & tutiùs, & ſecuriùs: *Nihil de* Schiſmatibus Pontificiis, quibus & pluribus, & pertinaciſſimis, cùm ſatis ampla fundendi ſanguinis materies ad manum non eſſet, in ſe ipſos Cadmæa arma converterunt, tractiſque in partes & factiones ſuas Principibus, Europam univerſam funeſtiſſimis bellis implicârunt: Nihil denique de Imperio Orientali, & Conſtantinopoli Sede Imperiali, quæ conjunctis Occidentis viribus ſervari poterat, deſerta, adeóque, cùm ſervari poſſet, prodita, haud aliam ob cauſam, quàm quia Græci cervices ſuas jugo Papæ ſubmittere renuerunt; adeóque conſultius viſum eſt, ut in Occidente Papa, in Oriente Muhammed, Eccleſiam ille Latinam, hic Græcam, velut tempeſtas & nox tenebroſa ac formidabilis involverent, ac tanquam patrimonium herciſcerentur. Hæc alibi diductiùs narrata, & certiſſima licet crudelitatis Hierarchicæ adverſus quoſvis diſſentientes, & iniquæ dominationi obſiſtentes, documenta, ab inſtituto tamen paulò remotiora ad compendium ponimus.

Perſecutionem ad- LI. Propiùs inſtituram demonſtrationem contingit hiſto-

hiſtoria atrociſſimarum perſecutionum adverſus verè Sanctos, & fideles teſtes Jeſu. Harum ſelectiora exempla repræſentaturi, initium facimus à Waldenſibus, ſeu Albigenſibus. qui diu ſatis intra privatos parietes, & in ſilvis ac ſpeluncis cum Elia & aliis Prophetis deliteſcentes, tandem Seculo duodecimo in publicum prodierunt, errores Papatus, quem Babylonem, & confuſionis omnis Matrem dixerunt, detexerunt, Eccleſias reformârunt; & propter παῤῥησίαν hancce ſuam Hierarchiæ odium acerrimum incurrerunt. Non tantùm enim in hæreticornm ſerie eos numeravit ſolenni nequitia, quali hodiéque veritatem Cœleſtem hæreſibus idololatriæ & tyrannidi ſuæ oppoſitam onerare conſueverit; ut injuſto odio gravaret eos, contra quos nulla erat verorum ſcriminum accuſatio: (nam Reinerus ipſe Inquiſitor, inter Bohemicarum rerum ſcriptores à Frehero editus, graviſſimè de iis teſtari coactus fuit, quòd *cùm omnes aliæ hæreſes cum immanitate blaſphemiarum in Deum horrorem inducant*, hæc (Waldenſium, quos etiam Leoniſtas appellat) *magnam habeat ſpeciem pietatis, eò quòd coram hominibus juſtè vivant, & bene omnia de Deo credant, & omnes articulos, qui in Symbolo continentur; ſolam Romanam Eccleſiam blaſphement & oderint,*) ſed etiam in eoſdem ſacro priùs igne ab Alexandro III. afflatos, ſuppliciorum crudelitate, qua potuit, maxima in eos ſæviit. *Innocentius Pontifex*, ſic Æmilius *de Geſtis Franc. lib.* VI. ſcribit, *belli adverſus eos ſacri ſuſcipiendi author fuit; legatóſque* (en ſtatim Zephardeas, ſeu ranas Ægyptiacas) *circummiſit ad excitandos in nefariam ſectam animos.* Gaguinus in Philippo Auguſto: *Pontifex Innocentius III. miſſo Gallone Cardinali Legato, Philippum, Pontificis authoritate monet in hæreticos armari: peccatorum remiſſione*

conceſſa his, qui inſigne crucis ad id bellum ſumerent. Nam Cruciatas expeditiones adverſus Saracenos inſtitutas, in Sedis ſuæ adverſarios Papa converterat. ad quam flammam ſuſcitandam Prædicatorum inprimis familia uti placuit; inſtituto etiam Crucigerorum ordine, qui *Fratres de militia B. Dominici* dici conſueverant. Primus impetus factus eſt in urbem Bitterenſem: inde itum Carcaſſonem, quò confugerant totius regionis incolæ, Bitterenſium excidio territi. Tandem abire omnes nudi compelluntur, *ut qui pudendis membris* (inquit Gaguinus) *per ſummum nefas abuſi fuerant, ea ad ignominiam videnda exhiberent.* Dignum Legatis Apoſtolicis ſpectaculum: manſuetudiniſque Romanæ documentum illuſtre! Paulus tamen Æmilius iis conceſſa veſtimenta ſcribit; velans, credo Legati infamiam. *Vaurum & ipſum vi captum*, ita Æmilius ſubjicit, *ibi quoque impii igni traditi, cùm in amentia perſtarent, ne mulieribus quidem temperatum. Girarda ejus oppidi Princeps fœmina in puteum conjecta, & ſaxis inſuper obruta.* Belli hiſtoriam ſcripſit Johannes Chaſſanianus, ex Manuſcriptis, narrans inter alia, capto Minerbio, tum viros, tum fœminas in ignem conjectos eſſe, quòd in gremium Eccleſiæ Romanæ redire abnuerent. Ipſe Bellarminus *de Nat. Eccl. cap. ult.* non diffitetur, *non die cæſa fuiſſe Albigenſium centum millia.* Plura à Celeb. Uſſerio *de Succeſſ. Eccl. cap.* 9. 10. & in Papatus Hiſtoria *ſſ.* XCIX. C. CIV. dicta repetere nihil attinet.

Bohemos. LII. Qui ex carnificum crucigerorum manibus elapſi ſunt nonnulli, per Germaniam, Angliam & Bohemiam Cœleſtis veritatis lucem diffuderunt. Ea illuſtrati Wiclefus in Anglia, & per eundem in Bohemia Johannes Huſſus & Hieronymus Pragenſis, aliique Papæ in os oblocuti, Romam Antichriſti natalem, idololatriæ officinam, ſuperſtitionum Scholam, abominationum matrem,

trem, Meretricem illam magnam, quæ proſtituto obſcœnum ad uſum corpore, homines ad peſſima quævis inducat, palam inſigniverunt. Sed ſacros hoſce apices violatos neutiquam impune illi tulerunt. Wiclefum Dei bonitas & Eduardi Regis favor protexerant. Huſſus A. 1415. die 6. Julii, quo Sol averſatus ſanguinarium ſcelus, orbiſque tenebras minatus, radios ſuos ſuppreſſit; & mox etiam Hieronymus Conſtantiæ contra fas obſtrictæ fidei horribiliter combuſti ſunt. Inde Germania plures exercitus validos pro Papæ dominatione in Bohemiam miſſos deletóſque luxit: Bohemia poſt Ziskæ Ducis mortem incendiis deformata, rapinis exhauſta, cœdibus confecta, omnibus miſeriis cooperta, variis deinceps procellis horribiliter jactata eſt, donec victore Ferdinandi exercitu, non ita pridem Babyloni victas manus dare coacta eſt. Taceo νέφος μαρτύρων, immenſam teſtium Jeſu adverſus Hierarchiam, à Catalogo Teſtium veritatis & Martyrologiis repræſentatam nubem, quorum uſque ad Reformationis tempus Meretrix hæc Babylonica ſanguinem plenis, quod aiunt, cyathis, ad temulentiam uſque potavit. Adeò quidem, ut jam ſuo tempore Franciſcus Petrarcha *Epiſtola* 20. Romam his verbis alloqui non dubitaverit: *Illa ipſa es, quam in Spiritu ſacer vidit Evangeliſta. Illa eadem, inquam, es, non alia: ſedens ſuper aquas multas, &c. Audi reliqua: Et vidi Mulierem ebriam de ſanguine Sanctorum, & de ſanguine Martyrum Jeſu. Quid ſiles? Aut aliam hoc ſanguine ebriam oſtende, aut omnino, ſi potes, Te hanc ebriam nega. Quòd ſi te in Spiritu videns miratus eſt Apoſtolus admiratione magna: quanta nos admiratione perfundimur, qui te oculis apertè videmus.* Qui ſic ante trecentos annos admiratione ſtupuit Petrarcha, ſi hodie vigeret, extra ſe haud dubiè raperetur totus.

LIII. Ex quo enim domitis profligatíſque Huſſitis, *Per Reformatio-*

 oppreſ-

oppreſſa Chriſti Eccleſia, nimiùm homo ille peccati ſe extulit; atque impotentiæ & blaſphemiarum ejus impatientes, Heroes & Viri Dei, Huldricus Zwinglius, Lutherus, aliique veritatis Antiſtites, Divino Spiritu afflati, contra Babylonem eruperunt, eámque vivis coloribus depinxerunt, applaudentibus populis compluribus, Tyrannidis Hierarchicæ plus ſatis pertæſis; tum demum efferatiſſima hæc Mulier omnem ſui furoris impetum in Chriſti gregem convertere, gladios, funes, rogos ad opprimendam Eccleſiæ emergentis lucem, & delendum Reformatæ religionis nomen, omnium virium conatu intendere, Imperatorum, Regum Principúmque auxilia ſolicitare, Cœlum terræ commiſcere. Sic infinitum concitatum eſt odium, laxatæ odio habenæ, deventúmque in extremum furorem, ſævitum in omnes, cujuſcunque ſexus, ætatis, conditionis, ut nihil aliud eſſe Chriſtianitas, quàm univerſalis carnificina videretur. Nihil juſti, nihil æqui, nihil ſancti. Non tantùm humanitatis promiſcuus ſenſus ſuffocatus, ſed & φυσικαῖς στοργαῖς vis illata eſt, ne quid ad immanitatis cumulum deeſſet.

Supplicia Martyrum poſt Reformationem horrenda præ omnibus præcedentibus compendio narrata.

LIV. Longum ſanè eſſet ſingulorum martyrum nomina exſequi, & ſingulorum martyria deſcribere. quod alii ad perpetuam Babylonicæ crudelitatis, & invictæ Sanctorum & fidelium teſtium Jeſu conſtantiæ memoriam & veriſſimè & luculentiſſimè executi ſunt. Extant publicè ejus rei monumenta, nunquam hactenus à quoquam falſitatis convicta. Poſſumus certè, nemine, niſi eo, cui veritas odio eſt, ringente, Apoſtolum veterum ſupplicia Hebr. XI. 35. &c. ſuccinctè narrantem, ſic imitari: *Alii aut in cruces acti, aut ad pedes ſuſpenſi; aut compreſſis laqueo faucibus eliſi vitam finiverunt. Alii aut cratibus im-*

Digitized by Google

impoſiti, aut ad palum alligati, aut pyræ injecti, ſuppoſito igne, per acerbiſſimos cruciatus animam efflârunt. Aliqui aquarum fluctibus immerſi, beſtiis objecti, vivi in terram defoſſi, in fruſta diſſecti, ferreis cuſpidibus impacti, haſtis contiſque tranſverberati, rotis confracti, virgis excarnificati, de vita exceſſerunt. Quibuſdam pellis eſt detracta; caput, lingua, manus detruncatæ, oculi effoſſi, oleum laceratis corporibus candens infuſum. Longè plurimos fames, rerúmque omnium penuria, frigora, æſtus, pædor carcerum, tormentorum diritas, lictorum acerbitas miſerabiliter abſumpſit. Reliqui, à quibus cædium ſatietas, & carnifex fatigatus abſtinuit, in fugam acti, fortunis ſpoliati, à conjugum liberorúmque amplexibus avulſi, convitiis calumniiſque deformati, ludibriis contumeliiſque ſcurrarum expoſiti, vexati, verberati, pro purgamentis habiti, in extremas miſerias detruſi, in mœrore, lachrymis, corporis animíque ægritudine duriorem morte vitam tolerârunt. Hæc tamen, horrenda ſatis, leniſſimè tamen, & longè infra modum dicta facilè animadvertet, quiſquis vel ſolas præ cœteris nobiles lanienas & perſecutiones, Pariſienſem Sant-Bartholomæanam, Vallis Telinæ, Hibernicam, Pedemontanam & Hungaricam, cùm ab aliis, tum à nobis in Hiſtoria Papatus, & Diſſertatione de Martyrio ex vero narratas, quarum vel ſola recordatio frigidum membris horrorem incutit, animo recoluerit.

LV. Ibi enim, uti τὸ κακὸν ἄπειρον *inprobitatis infiniti modi* ſunt, dapes inſuper ex cerebro humano inſtitutas; Mulierum priùs compreſſarum, pectora abſciſſa, & mammas omaſorum ritu frixas menſæ impoſitas, infantes mulierum gravidarum in flammas identidem immerſarum, igni priùs baptizatos, mox in vorax illud elementum remiſſos, & una cum matribus, com-

buſtos; apertos gravidarum uteros, & infantes in eundem retruſos, maternóque ſanguine ſuffocatos; viros per pudenda ſua ſuſpenſos; partes genitales reſectas; vulnera ad candelæ flammam frixa; ungues per ignitos forcipes divulſos; nudas fœminas veru per pudenda transfixas, eáſque in humeris aliquandiu geſtatas; brachia & crura in longas corrigias, ligularum coriacearum inſtar, excoriata, hominéſque ſic excoriatos in ergaſtula detruſos atque in iiſdem fame enectos; miſeros mulæ caudæ alligatos, per compita tractos, corpora lapidibus alliſa, & lateribus à populo rabiente petita; pulverem pyrium in ora & guttura infantum, & accenſa eodem capita fruſtratim diſrupta; genitalia abſciſſa, ori indita, oculos erutos, hominéſque ſic mutilatos ſpectaculo aliquot dierum expoſitos, ac demum vivos excoriatos, atque ſic excoriatorum pelles quadripartitas ex præcipuis oppidi feneſtris ſuſpenſas; corpora inſepulta porcorum & canum laniatibus expoſita; aliáque plus quàm Diabolicæ crudelitatis in innocuum Chriſti gregem exercita genera ſummo cum ſtupore perſpiciet; & cum S. Johanne, qui Apoc. XVII. 6. Mulierem ſic ſanguine Sanctorum & teſtium Jeſu inebriatam in Spiritu admirabundus vidit, ingeminabit hæc verba: *Καὶ ἐθαύμασα, ἰδὼν αὐτὴν, θαῦμα μέγα. Et miratus ſum, videns eam,* (Mulierem inebriatam) *admiratione magna.* Quid enim plus quàm Cannibalica hac crudelitate, & exquiſito acumine novorum ejuſmodi ſuppliciorum tormentorúmque, qualia nec barbara ſævitia ulla, nec Scythica immanitas excogitare potuit; architectandorum ſtupendum, quid horrendum magis cuiquam obtingere poteſt? Non menſæ Thyeſteæ, non aræ Buſiridis, non taurus Phalaridis, tam inhumanæ crudelitatis exempla edidere, quàm in imbellem fidelium gregem Romanæ Babylonis ſanguinarii ſatellites.

LVI.

Prætextus militaris licentiæ iiſdem obductis diſcutitur.

LVI. Fruſtra talia non Hierarchiæ mandato, ſed militari licentia, civilium bellorum æſtu, & populari furore patrari, Hierarchicus quiſquam mihi oggeſſerit; vel Walenburgii etiam, aliique Papali tyrannidi ſua περιζώματα plectentes, & à Romana Eccleſia invidiam tantæ crudelitatis amoliturі, illa S. Auguſtini, *Aut juſtè factum eſt, aut palea noſtra fecit*, objecerint. Nam juſtè quidem facta eſſe, ne Diabolus ipſe affirmaverit. Et palea certè hæc fecit, non triticum, quod fruſtra in ipſa Hierarchia requiras. Si palea, hoc eſt, populus, furibundus miles hæc omnia fecit, neque Hierarchia culpam ſuſtinet, eradite ergo Pontificum, Epiſcoporum, Imperatorum, Regum, Principum Papæ obſequentium, & ejuſdem ſignaturam recipientium, edicta contra Reformatam religionem! Oſtendite Pontifices, Epiſcopos à talibus abhorrentes, & crudeliter adeò facta deteſtantes, cenſuris eccleſiaſticis notantes! Atqui laudârunt etiam nonnulli apertè. veluti lanienam Pariſienſem, in qua ſimilia patrata ſunt, Gregorius XIII. qui tam immanem caſum in ſacri ſui Magiſtratus auſpiciis maximè, inter proſpera ducebat, & temperare ſibi non potuit, quò minùs lætabilem adeò ob cauſam toti orbi Chriſtiano Jubilæum publicaret. Neque citra voluptatem Jeſuitas ejus recordari, quin eandem laudare, *Hiſtor. Pap. ſſ* 197. oſtendimus. Sanè etiam perſonatus ille Jeſuita, Ludovicus Dorleanus, in expoſtulatione cum eo, qui partes Regias in Gallia A. 1593. tuebatur, inter alia ſic ſcripſit: *Quis neſcit ſaluberrimam illam venæ-ſectionem D. Bartholomæi, qua noſter Elias in Prophetas Baal, noſter Jehu in idololatras, noſter Quadus in Manichæos armata manu infremuit?* Sic planè Dæmoniacus hic Spiritus in recordatione immaniſſimi facinoris ſubſultavit, ut in ea ſuaviter ſe oblectaverit, non aliter, quàm videmus lupum, ſi quando à dilaniata pecude

pecude abigitur, cruentas fauces lingere. Et ſanè cùm Hierarchiæ Miniſtri & aſſeclæ ab ipſamet edocti ſint, omnes, qui ex ipſorum Eccleſia non ſunt, hæreticos, omnéſque hæreticos canibus pejores, pejúſque, ſi quando ſic ei placuerit, tractandos eſſe; imò meritorium eſſe; & à purgatorii pœnis exſolvere, ſi quis tanto cum zelo in hæreticos inſurgat, & pacta religioſa univerſa diſſuadeat; inita reſcindenda, ceu jure nulla, vociferetur; imò non tantùm ferali doctrina, ſed exempli etiam, quale ſupra in Inquiſitionis Buſiridico tribunali exhibuimus, authoritate & gravitate præcat; quæ cauſa dici poteſt, cur à culpa tantorum ſcelerum immunis cenſeri debeat? Vel ſolius Lojolitæ, Petri Ribaldi Peruani ferale adverſus noſtros, quos rebelles ille nuncupat, carmen, quo velut ex ſuggeſtu carnifices exquiſita ſupplicia docet; *Hiſt. Pap.* §. 268. narratum, quis reliquis omnibus ſit θυμὸς ἐν στήθεσι, demonſtrat. Saltem denique ſic impletum eſt, *quòd in ea*, Babylone, & plateis ejus, *ſanguis Prophetarum, & Sanctorum & omnium in terra mactatorum obvius futurus* ſit, uti Apoc. XVIII: 24. prædictum legimus. Quod in ſubditorum Babylonis plateis reperitur, in ipſa quoque Babylone reperiri, quis inficias iverit?

Leonis X. Hadriani VI. Clementis VII. adverſus Eccleſiam molimina.

LVII. Hæc in genere de crudelitate Hierarchiæ erga Eccleſiam à ſe per Reformationem ſeparatam dicta ſufficiant. Poſſemus per ſingula excurrentes, innumera afferre: Vix ergo ſigno Reformationis per Lutherum, Zwinglium &c. dato, Leo X. illud Eccleſiæ portentum & prodigium, antequam gladiatorius ille Sanguinariorum Patrum Senatus haberetur,

Sparſa ad pugnam proluſit arena;

Luthero aqua & igni Wormatiæ per Imperii Ordines, & Romæ vibrato bruto fulmine interdicens, libros ab ipſo ſcriptos hæreſeos damnans, & Vulcano conſecra-

tos

Digitized by Google

tos exurens. Ejuſdem veſtigiis inſiſtens Adrianus VI. promiſſa licet reformatione in capite & membris, Thyeſtea tamen execratione Teſtes Chriſti proſequitur; multandos præſentibus ſuppliciis hæreticos, diſſipandos fidelium cœtus, proclamat: Imperatorem & Principes in eorum necem inflammat. Adriani Succeſſor Clemens VII. tibias eaſdem inflans, Ratisbonam Campegium mittit. cujus impulſu de ſubvertendis Proteſtantibus fœdus Religioſum percutitur. Statim Henricus Sutphanienſis, Monachis facem ſubjicientibus, apud Dithmarſos ob Evangelii doctrinam igni crematur. Eo fervore excitati Bruxellenſes, Paſſavienſes, Colonienſes, Conſtantienſes, Bavari, Tornacenſes Veritatis profeſſores ultricibus flammis mancipârunt Gallorum præ cæteris in opprimenda Eccleſia ſtudia æſtuare cœperunt. qui Pariſiis, omni depoſito humanitatis ſenſu, fideles ad machinam alligatos, ignique è ſublimi immiſſos, & rurſus adductos, ita demum per lentos cruciatus enecuerunt. Cepit inde crudelitatis exemplum Sabaudus, qui adverſus vicinos Genevenſes Evangelium amplexos copias conſcripſit, ut urbi, Epiſcopo impellente, bellum indixit. Neque Oceani fluctus, & adſitæ littoribus rupes præcipitem crudelitatis curſum ſufflaminârunt, quò minùs in Angliam ſe effunderet, & Henricum Regem ad pyras rogóſque Religioni ſtruendos inflammaret.

LVIII. Ita accenſis in religionem odiis, depoſitóque ſatis crudelitatis tyrocinio, Paulus III. Concilium Tridentum, fatalem Europæarum regionum limitem, indicit; validiſſimum interea in Germaniam exercitum ſubmittit, ſub duce tali, qui palam profitebatur, *ſe non priùs in Italiam rediturum, quàm equum ſuum in Lutheranorum ſanguine abluiſſet.* Ea tempeſtate Jeſuitica ranarum vermiculatio provenit, & miſſio-

Tridentinum Concilium à Paulo III. indictum. Franciſci I Galliarum Regis & Caroli V. æmulatio in perſequenda Papa inſtinctu Eccleſia. Waldenſium præſide Oppa ſtrages horrenda.

Digitized by Google

miſſionem, extinguendæ veritatis, & Metaphyſicæ poteſtatis Papæ conſecrandæ & amplificandæ gratia, ſpeciali, uti ſupra vidimus, voto ſuſcepit. Franciſcus Gallorum Rex, ut primùm claſſicum Papa cecinit,

Et triſtem in limo Ranæ cecinere querelam,

adverſus Eccleſiam aciem inſtruit, acerbam per univerſum Regnum fidei Inquiſitionem indicit, & per omnia immanitatis exempla exercet. Nil cunctatus Carolus, ne à Gallo ſibi palma præripi videretur, in Belgio in Religionis Reformatæ profeſſores ſeverè inquirit, compertis convictiſque ferrum, ignes, laqueos intendit, & exigui temporis ſpatio quinquaginta millia hominum, ob veritatis confeſſionem, vario ſuppliciorum genere perimit. Inflammatus hoc æmuli ſui ſtudio Gallus copias iterum ipſe adverſus Eccleſiam educit, Waldenſes, Merindolenſes & Caprarienſes, immiſſo milite crudeliter trucidat, miſeros in ſpeluncis ferarúmque latibulis carnificum metu deliteſcentes, beſtiarum inſtar, indagine circumventos mactat; pueros, ſenes, mulieres, nulla ætatis ſexúſque verecundia, crudeliſſima morte abſumit. Tragœdiam deſcripſerunt è medio Papatu Thomas Carmerius Alenconius *Rer: Geſt. Henrici II. lib.* 11. & Thuanus *Hiſtor. lib.* 11. ubi, *horrenda*, inquit, *& ſupra modum atroci ſententia ante decennium damnati fuerant, præſidente tum Senatui Bartholomæo Caſſanæo, magni nominis Juriſconſulto; Senatuſconſulti illius ſententia in Patres familias igne vindicatur, dum natorum bona, conjuges, liberique, & cætera familia fiſco addicuntur. Et quia Merindolium hactenus hac peſte infectorum ſpelunca ac receptaculum fuerat, edicitur, ut ædificia omnia à fundamentis evertantur, antra, cavernæ ac fornices ſubterranei, quibus laterent, diruantur & obturentur, ſylva circum cædatur, & arbores etiam hortorum evellantur: poſſeſſiones verò eorum, qui Merindolii domicilium habuerint, ejuſdem vel ſtirpis,*

vel

Digitized by Google

vel etiam nominis cum prioribus Dominis nemini colendæ elocentur. En Scævolas, Papinianos, Tribonianos, an potiùs Cajaphas! Et tamen variis rationibus negotium in annum decimum differtur. Tum verò præſide Oppeda furor erupit. Pupis, Mola, Martiniacum, vici ad Druentium capiuntur, diripiuntur, inflammantur. Villalaurea, Lauromarinum, Genſonium, Trezeminæ, Rupes, vici, unde multitudo profugerat, crudeliter incenduntur, pecore omni abacto. Oppeda Waldenſibus aqua ignique interdixerat, & capite ſanxerat, ne quis ulla re illos juvaret: ſed quocunque loco deprehenſi, nullo ſexus aut ætatis diſcrimine habito, omnes occiderentur. Caprariæ tam intra, quàm extra oppidum jugulati omnes. Fœminæ juſſu Oppedæ in horreum Araminis plenum conjectæ, & ſubjecto igne, cùm per feneſtram ſe ſaltu dejicere molirentur, contis & haſtis repulſæ, fumóque ſuffocatæ, ac poſtremò flammis omnes conſumptæ ſunt. Coſtæ contra datam fidem ad unum omnes trucidati ſunt. De viginti duo vicis Oppeda ſupplicium ſumpſit. Eadem tempeſtate Carolus, ne concedere aliquid in oppugnandis hæreticis Gallo videretur, in Wormatienſibus Comitiis, à Cardinale Farneſio, Pontificio Emiſſario, ad delendos armis Evangelicos incitatus, bellum in Proteſtantes Principes parat: quibus acie victis profligatíſque, Eccleſiæ res in aciem novaculæ, captis Principibus, Doctoribus in exilium & ergaſtula detruſis, edita hinc inde civium ſtrage maxima, adductæ ſunt.

Maria Angliæ perſecutio & Jeſuitarum adverſus Eliſabetham & Jacobum Regem mo-

LIX. In Anglia mortuo Henrico Eduardus ſucceſſit, qui Cœleſtis veritatis luce imbutus Eccleſiam à ſuperſtitione purgandam ſuſceperat. Sed eo mox non ſine veneni ſuſpicione defuncto, Maria Soror imperium adepta, ſanguinariis Poli Cardinalis conſiliis, religionem in herba, quod ajunt, ſuffocare adnixa eſt.

Digitized by Google

limina. Laniena Hibernica.

Nam fideles crudeliſſimè vita fortunîſque provolvit, & intra biennium octingentos, atque inter eos Archiepiſcopum & Epiſcopos, flamma ferróque, ob religionis profeſſionem, carnificis manu horribiliter interfecit. Extincta ea quot quæſo inſidiis ſacrum Eliſabethæ, ſacrum Jacobi Regis caput appetierunt? Quàm crudele huic, Regiæ familiæ, & toti Nobilitati Anglicæ exitium per pulverem tormentarium intentatum fuit, Archipyrobolo Sathana incentore, & poſt illum Jeſuitis, Garneto, qui confitentes à ſcelere confeſſo & profeſſo abſolvit, & ad Miſſæ ſuæ Eleuſinia admiſit, Oldecorn, Cres, Weel &c. primas in tragœdia partes tractantibus? Taceo reliqua Cleri in pervertenda Anglia, toxicaria inprimis molimina noviſſima. Teſtantur relationes ex authenticis actis omni fide majores, quorum licet Surius Eudæmon-Johannes, aliíque ejuſdem commatis ferrei homines fidem minuere conati hactenus ſunt, fruſtra tamen illi in Sole tenebras quæſitaverunt. Vellent enim illi nos expectare, donec iſti Dæmones ſuum ipſorum ſcelus proderent. Acceſſit hoc etiam Seculo Hibernica laniena; quæ inauditis antehac ſuppliciorum generibus in tota inſula per beſtias pluſquam infernales ſæviens, paucorum menſium intervallo pluſquam ducenta hominum millia, & in ſola Ultonia centum quinquaginta quatuor millia, in gratiam Romani Molochi, abſumpſit. Hæc fuſiùs in Hiſtoria Papatus tradita repetere libens ſuperſedeo.

Hiſpanica adverſus Eccleſiam crudelitatis ſpecimina.

LX. Poſtquam in Anglia, Maria fato defuncta, Heroico planè & Divino Eliſabethæ Reginæ ſpiritu, veritas confoſſa & jugulata revixit, in Hiſpaniam ſe crudelitas recepit, in ſinum complexúmque Philippi Regis effuſa, ubi nacta dignum ingenio ſuo hoſpitium, planè ex voto Pontificum, orbem terrarum

uni-

univerſum Sanctorum Martyrum cœde cruentavit. Quantum non ſanguinis fidelium ſub illo Philipporum imperio per Hiſpanias effuſum eſt, Cyclopico Inquiſitorum Senatu in fortunas, corpora, cineres mortuorum graſſante! Quoties combuſtis Martyribus de interitu piorum, de victoria Babylonis glorioſiſſimè triumphârunt?

——— *Quis talia, fando*
Myrmidonum Dolopúmve, aut duri miles Ulyſſis
Temperet à lachrymis!

Martyrologia, & Inquiſitionis hiſtoria locuples ei rei teſtimonium perhibent. Adeò quidem gens iſta *Deſpotikyriis*, ſeu Dominis dominorum, aliiſque Senatoribus Inquiſitorio ſpiritu tumentibus obnoxia eſt, atque ab iis

Ducitur, ut nervis alienis mobile lignum:

Ut eorundem ſeu ſuaſu, ſeu ductu, Rex Philippus II. triſti documento demonſtraverit orbi, quàm diſpliceant regnantibus etiam civilia filiorum ingenia, Carolo filio ejus unico vix ob aliud intercepto, quàm quia populum Belgicum æquo jure complecti, reddita libertate & religione, agitaverat. Adeò ne ab ipſis quidem viſceribus, ſuſpicione ſola religionis diverſæ, manus atroces abſtinuerunt.

LXI. Verberant interea aures miſerabiles Belgarum pro âris ſuis cadentium calamitates, lamenta. quæ oratione condigna quis demum complecti potis eſt? Ibi Hiſpanus Pontificiæ religionis aſſerendæ prætextu, velut opportunitate annuli Gygis uſus, ad flagitioſiſſima quæque viam ſibi aperuit. Nam caſtellis paſſim in Rebuſpublicis contra conſenſum Ordinum extructis, & peregrinis impoſitis præſidiis, injecti libero populo compedes: acriter exercita lex Majeſtatis, accuſationum omnium complementum: Nobiliſſimæ domus delatorum interpre- *In Belgio maximè, duce Albano.*

 tationi-

rationibus ſubverſæ, & locupletiſſimus quiſque in prædam correpti: nonnulli etiam inauditi, procul omnis tribunalis veſtigio, furcis affixi: ademptum per Inquiſitiones loquendi audiendique commercium: Ordinum loco monſtroſi ſanguinolentiſſimæ Inquiſitionis Epiſcopi conſtituti: omnes Magiſtratus in ordinem redacti: everſa tribunalia; ſuffragia comitiorum tam in urbibus, quàm provinciis abrogata: ſublatæ funditus immunitates atque privilegia: deſtinati ad cœdem electiſſimi ex utroque Ordine Belgico, Senatorio & Equeſtri: Ordinum, Principum, Nobilium, civium audita nonniſi exilia, proſcriptiones, edicta, carceres, vincula, neces: denique noxa atque innocentia, ſacra & profana nullo diſcrimine habita ſunt. In fabula hac præcipuas partes Albanus, lutum illud ſanguine maceratum, egit, qui accepto à Papa galero & gladio, Pontificis precibus ſacrato, Belgium cum exercitu intravit, immanitérque adeò ſævivit, ut ſine fronte jactare auſus fuerit, ſe octodecim millia Belgarum & ſexcentos carnifici contrucidandos tradidiſſe. Forte etiam intra numerum jactantia ſtetit. Horrendum enim planè eſt, quod Jeſuita Poſſevinus in Epiſtola ad Poloniæ Regem fateri non erubuit, in Belgio & Gallia undecim annorum ſpatio quingenta millia hominum ob Evangelicæ religionis profeſſionem interfecta eſſe. Ille Albæ Plutonius Dux, monſtrum hominis, filii ſui ductu, Mechlinium ultro imperium accipiens, contra militiæ leges pluſquam hoſtiliter diripuit, ingenuarum fœminarum corpora lictoribus ſubjecit, in omnem ſexum, ætatem, ordines immaniſſimè ſæviit. Occupata Zutphania inermes homines, quibus Turca peperciſſet, ad pedes ſuſpendit, pueros mulieréſque, in quibus necandis carnificum manus obtorpuerant, in glaciem præterfluentis Iſulæ magnis copiis detruſit. Nardenum obſe-

obſequio ſuo deditum inaudita carnificina laceravit, cives in templum vocatos miſerrimè omnes trucidavit; liberos matréſque mutuis complexibus hærentes confodit. Harlemum fidem ejus implorantem ferro, fame, omni diritate exhauſit. Ejuſdem diſciplina imbuti Requeſenius, Johannes Auſtriacus, Parmenſis, Mendoza, Spinola, alii ex crudelitatis ejus ludo diſcipuli, univerſum Belgium fluminibus ſanguinis inundârunt.

Nec non Gallica ſub Henrico II & fratribus Valeſiis.

LXII. Ex Hiſpania revocat nos ad ſe iterum Gallia, in qua, tanquam palæſtra publica, crebrò nimis Babylon illa laniatorum Martyrum ſpectacula exhibuit. Quantæ in Regno illo factæ ſint fidelium ſtrages, quantum Chriſtiani ſanguinis per ſummam crudelitatem dilapidatum, imperium Franciſci, Henrici II. *Valeſiorum fratrum*, in id unicè incumbentium, ut purioris religionis igniculos omnes extinguerent, teſtatur. Quid ſtragem Vaſſiacenam commemorem? Cùm duce Guiſio, præſente & vidente fratre ejus, Cardinali Lotharingo, armata cohors in concionem inermem irruit, promiſcuámque cœdem virorum, mulierum, *infantum* fecit. Quid bella inde conſecuta, promiſcuas cœdes, quarum ſummam nemo unquam colligat, enumerem? Quid anno ſexageſimò ſecundo ſupra mille quingentos, frequentiſſimas turbas apud Senonenſes, Cenomannos, Meldenſes, Trecenſes, Vindocinos, Andegavos, Turonenſes? Quid circa annum ſexageſimum nonum aliquot hominum millia ex omnibus Ordinibus ad defenſionem Hierarchiæ, & Huguenotorum extirpationem ſe devoventia. quorum tanta rabies fuit, ut occiſorum carnes dentibus lacerârint, frontem & ora cruore, in ſignum exerciti zeli ſui Catholici, illeverint. *Iverunt*, ſic Surius in Supplemento Naucleri ſcribit, *inter alios ad decem mille, qui inſtructi zelo Divino, & ardentes amore juſtitiæ, prædia ampla*,

pla, & egregios liberos reliquerunt. Chriſtóque ſe devoventes propriis militârunt ſtipendiis, ſolo victu contenti : de reliquo nudi nudum Chriſtum ſequentes cum hac inſcriptione: (Joh: XI. 16.) *Eamus nos, & moriamur cum Chriſto.* (rabiei ſuæ Cannibalicæ prætextum petentes ex illo Chriſti itinere, in quo ipſemet ſe Patri ſuo pro ſalute noſtra victimam obtulit) *Propoſitum illi habuerunt omni die tremendis* (verè tremendis, adeóque cruentis & nefariis) *adeſſe myſteriis*, & *Deiparam* (truculentorum ſcilicet homicidarum futuram Advocatam, cujus alias φιλανθρωπίαν ita prædicant, ut in hoc affectu eam Chriſto ipſi anteponant) *veſpertino tempore ſolita Antiphona, Salve Regina, ſalutare. Itaque Divino magis, quàm humano auxilio freti, multa hæreticorum millia oppreſſerunt.* Quid anno ſeptuageſimo primo lanienam Arauſionenſem? Quid ſeptuageſimi ſecundi noctem illam infandam, Veſperas plusquam Siculas, (Matutinas Bartholomæanas Genebrardus vocat) quarum ne nomen quidem nunc auditur, non præ horrore ſtantibus comis? Quid inde ſecuta quaquaverſus per Galliam univerſam ſimilia facinora? Apud Meldenſes, Trecenſes, Aurelios, Lugdunenſes, Andegavos, Rotomagenſes, Tholoſanos. Et apud Burdigalenſes inſtigante, inflammante Edmundo Augerio Jeſuita? Triginta hominum millia intra paucos dies ſic cœſa, virorum, mulierum, infantium. Sanguineos torrentes huc illuc in ſubjectum Sequanum dimanantes Lutetiani viderunt. quod alias nunquam; & re tam feliciter & ex voto geſta, à Papa Jubilæum indictum, & ſupplicationes frequentiſſimo populo, à Rege & univerſa aula habitæ ſunt Prætereo libens, quæ poſt Edictum illud Sacroſanctum Nannetenſe, cui innixam Pacem religioſam ſecuram in æternum fore nequicquam ſibi piæ caſtæque mentes promiſe-

miſerant, proximè ſuperiore & noſtra ætate ibi geſta ſunt, geruntúrque adhuc; laudante utroque pollice Papa, qui Innocentii nomen & omen mentitur; quibus deſcribendis & ad vivum depingendis ***non tam prolixos libros, quàm prolixos fletus & gemitus deberi***, cum S. Auguſtino *Epiſt.* 122. dicimus. Laborabit apud poſteritatem ex vero tradentium fides: & ſanctiſſimi quique in patientia animas ſuas poſſident.

Papa & Italiæ Principum, Sabaudi inprimis novi adverſus Waldenſes furores. Laniena vallis Telina, & nupera Pedemontana horribilis.

LXIII. Ad finitimam Galliæ Sabaudiam Italiámque nos convertamus. Confederat Waldenſium pars in vallibus ejus Alpinis, religionem orthodoxam conſtantiſſimè retinentes. Itaque verba ſunt apud Thuanum *lib.* XXVII. ſub ducatu Trinitarii, ei negotio à Sabaudo præfecti, *Pontifici ac cæteris Italiæ Principibus ac civitatibus firmum ratúmque fuit, Waldenſium gentem ad internecionem delere.* Nihil omiſſum, quo tam Romano-Catholicum decretum ad finem perduceretur; bellúmque adeò geſtum anno ſexageſimo ſuperioris Seculi. Primo impetu ſævitum in Meanenſes, Arquenſes, Meronenſes ac Suſionenſes. Direptis eorum bonis, pars extremo ſupplicio affecti; ampliùs ſexaginta ad triremes damnati; alii ſupplicii metu, ejerata, quam profitebantur, religione, periculum evaſerunt. Truchefius explicatis ſignis, & tympanis adhibitis, Reuclaretum vicum ſibi ſubditum nec opinatò aggreditur. quo viſo uxores puerique in montem vicinum, nivibus opertum per avia enituntur, majorem partem nudi. ubi per tres continuas noctes manere coacti, frigore pœne exanimati fuerunt. Paſtor cum Sammartineo quodam vicano ignibus traditus eſt: direptæ vicanorum ædes; denique ſuperſtites Romanæ Eccleſiæ obedientiam jurare adacti ſunt. Anno ſequente Hiſpani Tagliaretum ineunt, & occupato loco viros ac mulieres, cum infantibus

in cubilibus deprehenſos ad internecionem delent. In Angronia hominis ſexaginta circiter annos nati manibus poſt tergum revinctis, ad ſcamnum alligati, umbilico ſcarabeus admotus eſt teſta tectus, qui fodicare ac rodere nunquam deſiiit, donec in alvum penetravit, atque ita miſerum truculento & inaudito mortis genere enecnit. Ludus tamen & jocus forte iſthæc fuerunt præ iis, quæ præſenti Seculo in Pedemontii vallibus per innumeras & inauditas ſuppliciorum formas, adverſus miſeros Chriſti agnos patrata, documentorum haud dubiorum fides prodidit. ex quibus nonnulla *Hiſtoria Papatus* *ſſ.* CCLXV. CCLXVI. excerpſimus. Atque dum hæc ſcribo, horrenda iiſdem tempeſtas, à Vice-Deo illo Romano conflata, & radices eorundem, niſi Deus ἀπὸ μηχανῆς affulſerit, conſumptura imminet. clamantibus in Cœlo ſub altari defunctorum animabus: *Quo uſque, ô Domine, Sancte & verax, non vindicas ſanguinem noſtrum ab habitatoribus terræ!* Ad Italicas etiam perſecutiones laniena in primis horribilis, in Valle Telina hoc Seculo inſtituta pertinet. quam ibidem *ſſ.* CCXXIX. perſtrinximus.

Pax religioſa in Imperio Paſſavii & Auguſtæ conſtituta ab Hierarchicis oppugnatur, ceu vi extorta, & quia hæreticis fides data ſervanda non ſit. cujus dogmatis impietas demonſtratur. Cum

LXIV. In Germania Religioſa Pax Paſſavii A. C. M. D. LII. conſtituta, & triennio poſt Auguſtæ, Deo teſte, ſolenniter firmata eſt. Quàm verò Pacificatio illa, abſque qua fuiſſet, fluctuans illa Germaniæ navis periiſſet pridem, Hierarchicis ſudes in oculis fuit, atque etiam num eſt? Clamant ergo & coaxant Ranæ Ægyptiacæ, *vi extortam eſſe; irrita porro eſſe, quæ per ſeditionem expreſſeris*: (cùm tamen temporis illius hiſtoriæ omnia alia loquantur) *hæreticis datam fidem ſervandam non eſſe; & ſi qua cum iis conventione implicatus quis fuerit, eum aut ipſo jure teneri: aut ad majorem cautelam haud difficulter à Romanæ Sedis Prætore reſtitutionem in integrum, ſeu abſolutio-*

tionem impetraturum. Nimirum etſi, Livio *lib. IX.* 9. æquo judice *tam ſponſiones, quàm fœdera ſancta ſunt apud eos homines, apud quos juxta Divinas religiones fides humana colitur;* apud ipſos tamen religionis, & quidem Chriſtianæ Antiſtites fidem per ſcelus abrumpere, laudi etiam ducitur. Sed per ſcelus abrumpi, negat Melchior Cleſelius, Epiſcopus & Conſiliarius Cæſareus in Scripto ad Archiducem Matthiam, *quia*, inquit, *lux & tenebræ inter ſe conciliari non poſſunt: veritas cum mendacio: Phariſæi & Scribæ cum Chriſto. Talis ergo promiſſio pacis hæreticis facta, ipſo jure nulla eſt.* Quomodo etiam Hoſius Cardinalis *Epiſt.* 193. 202. 220. Henricum Regem Poloniæ hortatur, *ne unquam patiatur, ulla ſe ratione ad ea, quæ promiſerit hæreticis, præſtanda teneri: quia juramentum vinculum iniquitatis eſſe non debeat.* Quaſi ſcilicet Religionis pax id ſpectet, ut lux cum tenebris commiſceatur, cum Chriſto Phariſæi, cum veritate mendacium jungatur; & non potiùs id ſibi velit, ut quiſque ſuo ſenſu abundans res ſuas ſibi habeat; in religionis negotio nemo alterum interturbet: fruantur tenebris tenebricoſi, luce lucidi (quanquam *omnes*, juxta Varronem *ſibi videntur ſaperdæ, nulli copreæ*) cœteroquin cum omnibus hominibus pacem habeant; cujuſmodi pacem, qui vinculum iniquitatis vocant, adeóque diverſum in religione ſentientes igne ferróque exterminandos judicant, næ illi fundamentum humanæ ſocietatis ab imo labefactant. Nam *humani juris*, ſic rectè Tertullianus ad *Scopul. cap.* 2. cenſet, *& naturalis poteſtatis eſt, unicuique quod putaverit colere: nec alii obeſt aut prodeſt alterius religio. Sed nec religionis eſt religionem cogere, quæ ſponte ſuſcipi debeat, non vi: cùm hoſtiæ ab animo libenti expoſtulentur.* Adde, quòd Hierarchici Judæis, quamvis

Turca quàm cum Papa tutiùs inire fœdera poſſunt.

toto religionis genere diſcrepantibus, & fidem ſervandi & ſecum commorandi, ſuæque Religionis inſtitutis ſumma cum libertate fruendi, poteſtatem faciunt; licet olim apud Pachimerem, *Hiſt. lib.* III. 5. Orientales Eccleſiæ *cum crucis Chriſti hoſtibus pacem facere nefas duxerint*. cùm tamen Proteſtantes pro ἀσησιχρίστοις haberi nequeant. Jam ergo fœdifragum hominum Punicorum conſilium Romam ablegandum fuerit, ubi loci tam exulat honeſtas, ut homines perjuri, ſicarii, parricidæ, incendiarii, veneficii artifices, Papalis Regni inſtrumenta habeantur: ipſe quinimo Papa & ſe ipſum, & alios quoſcunque jurisjurandi religione ſolvendi poteſtatem ſibi ſumat. Quomodo Guicciardinus ſcriptor prudens & verax *Hiſtor. lib.* VIII. narrat, *proprium id cenſeri Pontificum, non curare promiſſa: eſſeque ſtatutum, ut Eccleſia, nullo contractu, promiſſione, adepto beneficio, poſſit retractare obligationes, & contra eas diſertè etiam venire, quas peregerint Prælati ſolenniter.* ita ut minùs tutò cum Papa, quàm cum Turca fœdus iniri poſſit. Adeò Romana fides, qua olim nihil tutius fuit, jamdudum in Punicam degeneravit. Sed hæc παρέργου ὁδόν. nec tamen extra oleas planè.

Pax eadem religioſa in Germania, Bohemia, Hungaria, Polonia &c. ſancita ab iiſdem Hierarchicis pro viribus extremis infringitur & violatur.

LXV. Hoc ergo impunè violandæ fidei principio freti Hierarchici vineas pluteóſque admoverunt omnes, ut Religioſæ pacis ſemel placitæ & conſtitutæ ſoluto nexu, puriorem religionem Germania, Bohemia, Hungaria, Polonia, Auſtria, Sileſia, Moravia, omnem exturbarent, & confeſſores orthodoxos omne genus ſuppliciis involverent. Exorta hinc ſunt in *Germania* funeſtiſſimum tricennale bellum, à Jeſuitis in conſcientia Imperatoris regnantibus, incenſum, Papæ ſubſidiis & continua inſtigatione ſævum in modum continuatum, & ægrè tandem nova Pacificatione

Monaſterienſi, cui Papæ Innocentii X. authoritate Fabius Chiſius, Apoſtolicus Nuntius, poſt & ipſe Alexandri VII. nomine Papa, ſolenni Proteſtatione & plumbea Bulla, non aliam ob cauſam, quàm quòd Pace ea pupillam oculi ſui feriri, & ventrem, cujus quæſitiſſimus in Romana curia ſenſus eſt, tangi Papa exiſtimaſſet, ſe acerimè oppoſuit, ſopitum: in *Bohemia* poſt abrogatam Evangelicis libertatem, quam iis paulo ante Rodolphus Imperator ob compertam fidelitatem conceſſerat, & literis Majeſtaticis ſanxerat; poſt horrendas turbas, decuſſa Magnatum capita, & cuncta ferro flammáque vaſtata, extremum fidelium *Unitatis fratrum* dictorum, & Eccleſiarum orthodoxarum excidium, nova arte, quam *diætam* inſignire placuit, poſt ſanguinis innocentis effuſiones Cainiticas, vivicomburia Huſſitica & Hieronymiana, præcipitationes in fodinas Cuttenbergenſes parùm hactenus proficientes, inventa, & ab ipſo *μυεςοτέχνῃ* ſuggeſta, procuratum: in *Hungaria* poſt appetitam continuis inſidiis Religioſam Pacem, quæ Botſ-Kajum inter & Rodolphum A. C. M. D. C. VI. coaluit, *bella* concatenata, perſecutiones & vexationes fidelium, eorum inprimis, qui Eccleſiis præerant, plus quàm Scythicæ, quæ ſingula in Hiſtoria Papatus copioſiùs tradita narrare heic ſuperſedemus. In *Polonia* Pax Religioſa ab Henrico Rege A. C. M. D LXXII. cœpta, à ſucceſſore Stephano Batoreo, dicere ſolito, *nolle ſe conſcientiis dominari. quia Deus tria iſthæc, creare ex nihilo, futura prænôſſe, & conſcientiis dominari, ceu eximia ſibi reſervaverit*, confirmata non ita tranquillitatem Regni ſuſtinuit hactenus, quò minùs majorem ac Minorem Poloniam & Lithuaniam turbæ ob religionem à Jeſuitis maximè concitatæ perpetim infeſtarent. Poſnoniæ Jeſuita Piaſecius his verbis ad incendenda Evangelico-

gelicorum Templa A.M. D. C.V. plebem ſtimulavit: *non vult Magiſtratus, non vult Curia Urbis. Tu igitur quiſquis es è vulgo, hæreticorum luſtra in fumum & cinerem redige*. Cleri in Polonia, Lithuania, Moravia &c. impia molimina, & exercitæ crudelitatis ſpecimina non pauca, Adrianum Regenvolſcium in Syſtemate Hiſtorico-Chronologico Eccleſiarum Sclavonicarum *Libro* 11. *cap.* 11. 12. &c. proſequentem conſulas licet.

Jeſuiticæ crudelitatis ſeries paucis pertexitur.

LXVI. Hæc omnia, & longè plura etiam, incentoribus Pontificibus Romanis, tanta crudelitatis exercendæ libidine flagrantibus, ut uno etiam ictu, ſi vires ipſis ſuæ ſatis placerent, Eccleſiæ Orthodoxæ fauces inciſuri ſint, geſta, & Jeſuitis, *dæmoniacis illis ſpiritibus*, furoris Papalis ſuſceptoribus & *ſatellitibus patrata* eſſe, ne ipſa quidem impudentia inficias iverit. Hæc enim Lojolæ Patriarchæ ſui militari ſanguine creta parricidalis gens, relictis Scholarum & Templorum Cathedris novo planè auſu aulas invaſit, Regum negotiis ſe immiſcuit, & eorum munimento inſiſtens, omni potentiæ ſuæ malis artibus quæſitæ conatu, inde à primo ortu ſuo in id unicè enititur hactenus, ut exturbata religione puriore, Sathanæ regnum poſt-liminio ubique terrarum reſtituat. Hi nefarii ſcelerum machinatores, quicquid eſt bellorum inde à plus quàm centum annis in Europa geſtorum, ſuis artibus genuerunt, aluerunt, & in detrimentum religionis confecerunt. Hi pacem religioni dandam diſſuaſerunt, datam omni virium contentione oppugnârunt; eam *ſceleratæ conjurationis*, *Scythicæ barbarorum confœderationis*, *Diabolici Politicorum inventi* probroſis nominibus traduxerunt; Principes ſuapte indole haud immites, nec planè malos, objecta religionis com-

commentitiæ larva efferârunt. Hi flagrante bello Turcico, in conſpectu hoſtium, nobiliſſimas Hungarici Regni Provincias turbârunt; Chriſtianorum caſtra metu & diffidentia repleverunt; gladios in Scytham diſtrictos jugulis fidelium intentârunt; & metu Turcæ liberatos eoſdem mutuis odiis, diſſenſionibus, vexationibus diſtrinxerunt. Hi Tranſſylvaniam, Sileſiam, Moraviam graviſſimis contentionibus & motibus concuſſerunt; Livoniam & Boruſſiam afflixerunt; Poloniam civilibus bellis diſtraxerunt; Moſcoviam, perſonati Regis imperio lacerârunt; Sueciam legitimis Regni hæredibus exuerunt; Venetos gravi bello implicârunt; laudatiſſimæ Anglorum Reginæ Eliſabethæ cœdem haud ſemel ſpirârunt; Henrici III. & IV. Galliæ Regum jugulum per nefarios & conductitios ſicarios appetierunt; Jacobo Magnæ Britanniæ Regi, Regiæ ejuſdem familiæ, & Nobilitati totius Regni flori exitium per tormentarium pulverem machinati ſunt; fortiſſimum Auraicum Principem per diſciplinæ ſuæ alumnum trucidârunt; denique ſua parricidia, perjuria, proditiones, aliáque inhumanæ crudelitatis facinora, Catholici zeli prætextu, impunè uſque perpetrant; *pedibus ſuis ad maleficium currunt, properantes, ut ſanguinem innocentum fundant; cogitationes* (eorum) *malitioſæ ſunt; pernicies & calamitas in ſemitis eorum*, Eſaj. LIX. 7.

Crudelitas Hierarchicorum in Orientem deſpumans, velut adverſus Americanos, quos prætextu convertendorum ad

LXVII. Atque his modis Hierarchici hactenus Occidentem infeſtum exercitúmque habuerunt. Non minor eorum rabies in Orientem deſpumavit. Quis dubitet, ipſam naturam obſtupuiſſe, cùm feritas Iberica, Archi-Bileami maledictione ſubnixa, tam horribilem innocentiſſimorum hominum in America, ſpecioſo propagandæ Chriſtianæ religionis titulo, ſtragem feciſſet? Etenim ex oculatorum, corúm-

Chriſtum Cleri inſtinctu Hiſpani immaniſſimè vexârunt.

rúmque Pontificiorum teſtium, Bartholomæi Caſæ & Hieronimi Benzonis, fide dignis relationibus didicimus, ab Hiſpanis à Clero ſuo modum propagandi apud Indos Papatus edoctis, extructas paſſim arces, veluti libertatis compedes ac domitarum gentium frœnos: conditas colonias, ut ſedem ſervitutis: pulſos domibus, exturbatos agris, inter viliſſima mancipia habitos, laboribus aſininis attritos, opibus omnibus exhauſtos indigenas: canibus ad ludicrum oblectamentum objectos in eſcam: protritos equis: variis & portentoſis carnificinis, antea nec viſis, nec auditis, infinita hominum millia ſublata: quin & Reges contra dignitatem tractatos, ſolio ſolóque pulſos, imò plusquam Cerberea crudelitate, poſt infinitam vim auri quaſi pro vita extortam; alios eliſis intorto laqueo faucibus necatos: alios lento igne per ſummum cruciatum uſtulatos: atque adeò nullam uſquam illius terræ partem, niſi cruentam & maculatam, aut, ut ipſi prædicant, emendatam, correctam, religioſiorem cultiorémque redditam. Nam quæ alii ſcelera, hi remedia vocant: dum falſis nominibus ſeveritatem pro ſævitia, ſupplicia & contumelias diſciplinam appellant. Cùm Rex Peruanus Attabaliba (ſic Benzo *lib.* III. 3. narrat) Breviarium, quod ei Vincentius ex familia Prædicatorum Monachus obtulerat, ſaucius dolore ob acceptum recens de terris ejus à Papa Hiſpano donatis nuntium, juſta indignatione commotus, ceu rem ſibi incognitam in terram abjiceret, mox Monachus ille ad Hiſpanos ſuos Evangeliſtas novos converſus exclamavit: *Adeſte Chriſtiani, adeſte Chriſtiani, ulciſcimini ſcelus. Evangelia contemnuntur, & pedibus calcantur. Cædite canes, cædite canes, cædite. Contumelioſè enim verbum Dei tractârunt.* Hic Pantaleon Theveninus exclamaret meritò: *O Evangelium piſtolicum!* Sic intra

tra

Digitized by Google

tra quadraginta quinque annorum ſpatium,& quod paulùm excedit,plus quàm ducenties centena milliaHiſpanos,Monachis directoribus, mactaſſe, Hiſtoricus refert. Adeò atrocitatis hujus exempla eodem Benzone *Hiſt. lib.* III. 21. teſte, abſurdam Peruanis de Chriſtiano nomine, & ad religionis Chriſtianæ dedecus pertinentem opinionem impreſſerunt, ut Chriſtianos minimè, ſicut Monachi Hiſpani alternis prope verbis jactaverant, *Dei filios eſſe*, ſibi perſuadeant; ſed ne ſic quidem in lucem editos, ut vulgò naſci homines ſolent. Fieri enim non poſſe, ut tam ferox & truculentum animal ab ullo homine genitum, & fœminæ partu editum ſit. Itaque penitus hæc eorum animis opinio inſedit, Chriſtianos purgamenta quædam maris, & monſtra ex barbari elementi ſpumis concreta ejectáque (*Viracochias* ex ea vocant) veniſſe in terras ad vaſtandum perdendúmque mundum. Denique mare diris Indi inſectantur, quòd tam ſævam ac truculentam ſobolem in terram immiſerit. Imò repertum eſſe Caſa narrat, qui cùm è ſervitutis fuga retraheretur ad ſupplicium, & à Monacho Franciſcano de mox conſequendis, ſi Chriſtianus fieret, æternæ beatitudinis prœmiis; ſin minùs, æternæ damnationis ſuppliciis, moneretur; cúmque Hiſpanis quoque Regnum Cœlorum patere percontanti reſponſum eſſet, *Cælum nolle ſe petere* dixerit, *ſed potiùs inferos, ne ſibi cùm adeò crudeli gente commune domicilium eſſet.*

Nec non Æthiopes Habeſſinos, Japonenſes, Sinenſes, Clero machinante mirè perturbatos, & mutuis cædibus commiſſos.

LXVIII. Sed hæc in Oriente adverſus Infideles & barbaros, non Sanctos & teſtes Jeſu geſta ſunt, fateor. Sed crudelitatem tamen incredibilem Mulieris hujus Sanguine humano ſe ingurgitantis nimiùm, clarè ſpirant. Neque iidem temperârunt ſibi, quò minùs Orientis cardines, Chriſtianæ religionis, ſeu potiùs Pontificiæ dominationis proferendæ ſpecie, immaniter convellerent, & paſſim ima ſummis miſcerent. Ex quo enim Euphrate ſicca-

ſiccato Ranæ illæ in Orientem, ipſa Regum Æthiopum Habeſſinorum, Japoniorum, Sinenſium palatia penetrârunt, ut potentiſſima illa Regna Luſitanis, Hiſpanis, & per utroſque Pontificiæ ſedi ſubjicerent, quot quæſo ob Jeſuitarum machinationes impias & conciones tribunitias, ſubditos ad ſeditionem & rebellionem adverſus Superiores minùs ſibi addictos concitantium hominum; quot Chriſtianorum in Habeſſinia, & in Japonia ac Sina tum advenarum, tum recens converſorum ſtrages miſerabiles factæ ſunt? Nonnulla ex Celeberrimi Jobi Ludolphi, Varenii, Rejeri Gisberti, Caronii Commentariis excerpta Hiſtoriæ Papatus ʃʃ. CXLII CXLIII. repræſentavimus. ex quibus velut ex fimbria veſtimentum, ſeu potiùs Mulierem illam cocco & purpura indutam, Sanctorum aliorúmque, etiam Orientalium ſanguine ebriam planè madentémque nullo negotio cognoſcere licet.

Concluſio, quòd Hierarchia ſit Mulier, Sanctorum & teſtium Jeſu ſanguine ebria, adeoque Babylon Magna, verbis Franciſci Petrarchæ aſtruitur.

LXIX. Superſedeo plura dicere. Quis enim finis, quis dicendi modus erit, ſi omnia colligere inſtituam? Si quæ ὅλως indicavi, exequar ἀνὰ μέρος. Si perfidiæ, feritatis, inſolentiæ, graſſationum omnium circumſtantias colligam? Sufficient, quæ dixi, ut ex iis concludant pii omnes, Hierarchiam, non alium quenquam cœtum, eſſe Mulierem illam Meretricem, cocco purpuráque rubentem, & non tantùm ſanguinem humanum fundentem, ſed Sanctorum inprimis, & teſtium Jeſu ſanguine ebriam. Ubi enim tot tantáque immanitatis exempla extant? Liceat illa Petrarchæ οἰκείῳ μάρτυρος longè nunc, quàm olim, veriora, certiora repetere. *Quid ſiles? Aut aliam hoc ſanguine ebriam mulierem oſtende; aut omnino, ſi potes, te hanc ebriam nega.* De qua mihi uſurpare fas eſt illa, quæ de Romanis veteribus Juſtinus *lib.* XXXVIII. 6. enuntiavit. *Velut conditores Romæ lupæ uberibus alti, ſic illi luporum animos, inexplebiles ſanguinis atque imperii,*

perii, divitiarúmque avidos ac jejunos habent. Atque fas eſt eò magis, quòd nihil ab inſaniſſimis immaniſſimíſque Ethnicis cogitatum, auditum, viſum eſſe, quod cum Papali iſthac crudelitate comparari mereatur, pro certo conſtet.

Bellarmini objectio, quòd perſecutio Hierarchicorum adverſus noſtros Ethnica veteri longè inferior, & veri nominis perſecutio non ſit, ſed civile bellum; ipſi contra à noſtris perſecutionem patiantur, proponitur.

LXX. Nam fruſtra profectò Bellarminus (ut hoc unum coronidis loco addam) *de Rom. Pontif. lib.* III. 7. Hierarchiæ illam μαρτυροφονίαν, atque contractam inde Babylonicæ crudelitatis notam elevare & expungere his verbis conatur: *Dicunt quidem hæretici, ſe magnam perſecutionem ab Antichriſto pati, quia interdum comburuntur aliqui de ipſorum numero. At quæ comparatio eſt talis perſecutionis cum perſecutione Neronis, Decii, Domitiani, Diocletiani & aliorum: ſiquidem pro uno hæretico, qui comburitur, mille Chriſtiani olim interficiebantur; idque in toto orbe Romano exercebatur, non in una ſolùm Provincia. Et cùm modò ſumma pœna ſit comburi hominem: tunc incredibilia & diverſiſſima tormentorum genera exercebantur &c. Scribit Damaſus in vita Marcellini, ſupra* XVII. *millia Chriſtianorum intra unum menſem à Diocletiano interfecta; & Euſebius, qui tum vivebat, ſcribit lib.* VIII. 6. *adeò fuiſſe omnes carceres plenos Martyribus, ut nullus relinqueretur locus facinoroſis. In toto verò orbe tot refert martyriis coronatos, ut impoſſibile ſit numerum eorum inire. Adde, quòd multò plures Catholicorum hæretici noſtri occiderunt his decem vel quindecim annis in Gallia & Flandria; quàm Inquiſitores combuſſerint hæreticorum forte in centum annis. Itaque non poſſunt hanc appellare perſecutionem, ſed potiùs bellum civile. Nam ut Auguſtinus docet Epiſt.* 80. *ad Heſychium, quando erit vera perſecutio Antichriſti, ſolis Eccleſiæ filiis erit tribulatio, non autem eorum perſecutoribus, ſicut tempore Diocletiani & ſuperiorum Principum Chriſtiani ſolùm cædebantur, non*

autem cædebant. Si verò perſecutio eſt, Catholici potiùs eam patiuntur quàm Lutherani & Calviniſtæ. Catholici enim ſunt, qui ex multis provinciis ejecti, Eccleſias, patrimonia, & ipſam etiam patriam amiſerunt, invadentibus nimirum res alienas novis iſtius Evangelii Miniſtris; & ut diximus, & ex Commentariis Laurentii Surii, aliiſque hujus temporis hiſtoriis cognoſci poteſt, multò plures Catholicorum furor Calviniſtarum intra paucos annos abſumpſit, quàm hæretici judicio Principum Catholicorum abnegatæ fidei pœnas dederint. Hactenus Bellarminus, Hierarchicorum hyperaſpiſtes; ſed eo ipſo Hierarchiam eſſe Meretricem Babylonicam magis etiam prodens, quia imitata Meretricem illam propudioſam prov. xxx. 20. *comedit, & deinde abſtergit os ſuum, dicens: Non ſum operata iniquitatem.*

Hierarchicorum perſecutio veterum Gentilium perſecutionem ſuperat pluribus modis, etiam numero cæſorum & ſuppliciorum immanitate.

LXXI. Quicquid ergo ille προφασιζόμενος fingat, cauſam certè non dicit, quin veterum Ethnicam crudelitatem Papalis illa multis paraſangis antecellat. Nam præterquam quòd hæc & diuturnior fuit Ethnica, extracta immani ſævitia inde à Gregorii VII. tempore, ex quo nunquam non ſanguine Chriſtianorum manus Pontificum deſtillârunt; per annos plus quàm ſexcentos, & extrahenda forte per plures; cùm Ethnica non ultra trecentos duraverit: & magis continua, cùm vix ullum tempus à lanienis & mactationibus vacaverit & vacet adhuc; Gentilibus per intervalla & impetus fideles divexantibus: & in animas potiùs quàm corpora, eorum ſcilicet, qui metu & vi ſub jugo Papæ continentur, intentata; cùm Ethnica corporalis potiùs quàm ſpiritualis fuerit: & violentia pariter ac fraude inſtructiſſima, cùm Gentilium illa aperta tantùm & violenta fuerit: & à profeſſis Chriſtianis, imò ab illo, quem Bernhardus *de Conſid. ad Eugen.*

gen. paraſitabundus dicit eſſe *primatu Abel*, *gubernatu Noe*, *Patriarchatu Abraham*, *ordine Melchiſedec*, *dignitate Aaron*, *authoritate Moſen*, *judicatu Samuelem*, *poteſtate Petrum*, *unctione Chriſtum*; cui juxta Baronium in paræneſi officium mactandi à Deo demandatum eſt, juxta illa Act. x. 13. *Surge Petre*, *macta & manduca*; adverſus Chriſtianos; quibus non aliud crimini dari poteſt, quàm illud ϑεῷ ἕπϵ *ſolius Dei ſequelæ*; cùm gentiles nominis Chriſtiani hoſtes ſe profeſſi fuerint; etiam impar Martyrum ſub Pontificibus & gentilibus numerus; & ſupplicia ſub illis, quàm ſub his longè graviora ſævierunt. Etenim Diocletianus intra unum menſem ſeptendecim Chriſtianorum millia ſuſtulit. quod ceu magnum quid Damaſus retulit. Suſtulit tamen in univerſo Imperio Romano. At in unica Gallia, olim Imperii Provincia A. C. M. D. LXXII. hominum cujuſvis ætatis, utriuſque ſexus, intra pauciſſimos dies triginta millia. ut parciſſimè loquar abſumpta ſunt. Nam numerum plurimùm augent alii. Supra quoque Poſſevinum confitentem adduximus, quòd undecennii ſpatio in Gallia & Belgio quingenta hominum millia per cauſam religionis ceciderint. Nihil dicam de jactantia Albani; nihil de laniena Hibernica, Vallis Telinæ, Pedemontana ſupra alibíque expoſita. quibus innumerabilis hominum multitudo, cui parem gentiles nullam viderunt, ob ſolam religionem carnificum & ſicariorum manu cœſa ſuccubuit. Quin ipſe Bellarminus *de Notis Eccl. cap. ult.* Albigenſium centum millia uno die cœſa, tanquam rem præclarè geſtam narrat. Neque etiam duriora Ethnicorum quàm Paparum ſupplicia fuerunt. Illorum enim uſitatiſſima fuerunt cruces, gladius, lapicidinæ, cataſta: horum vivicomburium. quod hæreticis,

quos contumaces vocant, omnibus lege lata decreverunt. Gladii, undæ, laquei, triremes inter ſupplicia leviora & mitiora numerantur. Lentos ignes Papiſtæ habent eximios. quibus vix comparem nocturnas faces Ethnicorum. Et quo loco Hiſpanico-Romanam Inquiſitionem, cujus nomen ſine ſacro & frigido horrore non auditur, lanienas, & in iis ſupplicia ſupra memorata recenſebunt? An ſimile quid apud veteres extitit unquam?

Prætextus belli civilis diluitur.

LXXII. Quod verò de bellis civilibus muſſat & obloquitur Bellarminus, frigidum eſt.. Innumera enim ſupplicia de fidelibus extra bellum civile expetita eſſe, Martyrologia, & certiſſimæ narrationes aliæ teſtantur. An bella civilia erant, cùm uti ſupra *narravimus*, & aliunde conſtat, in Anglia promiſcuis *cœdibus ſæviiſſet* Maria: cùm in Vallibus, Gallia, applaudente Papâ Gregorio XIII. in Hibernia, Valle Telina ſubitò horrendum in modum, nulla belli legitimi ſolennitate vel ſpecie invaſi, oppreſſi, miſerabiliter cœſi, & diriſſimè excruciati ſunt? Profectò negabat Dux *Albanus*, cui Bellarminus lauream ſuam non debebat cripere, ut bonos oneraret. Nam homo ille *μισάνθρωπος*, vel *ἀπάνθρωπος* potiùs, pauculis annis in Belgio ſe authore & judice, carnificis manu, extra bellum civile, octodecim millia (triginta ſex millia alii notant) periiſſe, ferociſſimè impotentiſſiméque jactabat. An etiam nullius crudelitatis, tyrannidis, perſecutionis crimine arceſſi Antiochus Epiphanes, homo ex omnium ſcelerum colluvione natus, tetra & deteſtabilis bellua, potuit, quia poſt læſam diu patientiam, excarnificatos pios, tandem Machabæi cum ducibus ejus, Appollone, Serone, Gorgia aperto Marte, vim vi repellentes conflixerunt, & plures etiam internecione deleverunt? Et ſane non ovum ovo

ovo ſimilius eſt, quàm Epiphani Pontifices ſunt. uti ex ſimilitudine initii, progreſſus, indolis malignæ, & rerum geſtarum proclive judicatu eſt. Ne dicam, Licinium & Maxentium inter perſecutores Chriſtianorum diriſſimos non ideo non numerari, quia poſt ſævitiam diu exercitam tandem Conſtantinus M de iiſdem vindictam ſumpſit, & partes eorum peſſimè mulctavit. Perſecutorem, crudelem, tyrannum cauſa injuſta facit, ſive in bello, ſive extra illud innocentes is adoriatur, cruciet, occidat. Ad tyrannidem denique Paparum demonſtrandam ſufficit, quòd omnium tum Martyriorum, tum religioſorum bellorum, tum perſecutionum religionis cauſa excitatarum qualiumcunque authores, faces, incentores ſoli ſunt; atque legibus latis, & continuis ad ſanguinariam earum executionem incitamentis, Chriſtianum orbem, & Sanctos in eo ac teſtes Jeſu cumprimis, turbis & incendiis perturbare, quin & ipſi ſtrenuè belligerari non deſinunt. Hi enim ſunt, uti de Julio II. ejúſque clero quondam Budæus *de Aſſe lib.* 4. locutus eſt, *Sancti illi liticines: hæc dira & portentoſa vecordia ſacroſanctæ poteſtatis: hi animo pluſquam gladiatorio ad Chriſtiani nominis columen mundo ſtupente graſſantur; à Marte ſanguinariam frameam mutuati laniſtæ ſanguinarii, qui bellonæ ſacris operantur.* quales plures etiam Hiſtor. Pap. *§.* ccxciv. &c. ſententia verbi Divini, vetuſtorum canonum, Gregorii M. nec non Eraſmi & Wicelii verbis perſtrinximus.

LXXIII. Quòd ſi Hierarchici cum Bellarmino frontem perfricuerint, atque crudelitatem à nobis deſcriptam tantam eſſe, ut Mulierem ſanguine inebriatam, cocco & purpura indutam arguere poſſit, infi-

Perſecutio Eccleſiæ ab Hierarchicis imminens adhuc, crudelitatis eorundem menſuram implebit.

inficias iverint; noverint illi certè, nondum dierum omnium Soles occidiſſe, neque hactenus eos crudelitatis prædictæ, & longè ſatis productæ menſuram planè impleviſſe. Neque enim nos latet, plura & forte graviora etiam certamina ab iis Eccleſiæ imminere. Nondum enim certè Mulier poſtremum ſanguinis poculum hauſit: nondum ebrietas ad extremum perducta eſt. Sedet adhuc ſuper aquis ſuis, & dicit in corde ſuo: *Sedeo ut Regina, & vidua non ero, & luctum non videbo,* Apoc. XVIII. 7. Superſunt ejus conatus ultimi, qui in extremo annorum ejus actu, ante tragicum ipſius exitum, haud dubiè omnium erunt acerrimi & vehementiſſimi, uti beſtiarum morientium morſus venenatiſſimi eſſe ſolent. Et quid nî ſupereſſe putemus, cùm Eccleſiam adhuc in miſeriarum caucaſo hærentem lugeamus omnes; cùm terrorem nobis Beſtiæ tot diademata: tot cornua, tot à Draconis potentia & throno derivatæ prærogativæ incutiant; cùm Jeſuitica illa ranarum vermiculatio, extremus ille Draconis, Beſtiæ & Pſeudoprophetæ partus equis viriſque connitatur, ut ubique terrarum lucem Evangelii extinguat; cùm impuri illi & dæmoniaci Spiritus ſi unquam antehac, hoc certè tempore ad moliendum opus giganteum, ad congregandum Reges terræ ad magnum Dei prœlium; ad bellum illud ultimum Harmageddonticum prodeant; abunde ſuppleturi haud dubiè, ſi quid ad extremam Mulieris ſanguine inebriandæ & furore dementandæ crudelitatem adhuc deeſſe videbitur. Imminet proximè fatis Divinorum oraculorum jam planè maturatis, & expreſſis ubique parturientis naturæ & Eccleſiæ veſtigiis; decretorium illud tempus, quo brachium populi Sanctorum diſſipabitur, quaſſabitur penitus; nihil erit incluſus & excluſus; & de victis Sanctis ac teſtibus Jeſu Babylonii Pæana canent; ignari, ne bonam ſpem ejurare vide-

videamur, ſuorum fatorum, quibus poſt conſummata domus Dei, urbis Hieroſolymæ judicia, præcipitantibus horribiliter ab ipſo Deo judice potente obruentur. quando confeſtim *venient una die plagæ eorum, mors, luctus & fames, & igni comburentur* ipſi, qui hactenus comburere Sanctos & innocentes teſtes Jeſu pro ludo habuerunt, Apoc. XVIII. 7. 8.

Hierarchicos à Proteſtantibus perſecutionem nullam ſuſtinuiſſe, oſtenditur & peroratur.

LXXIV. Sed *Catholici*, ita Bellarminus concludit, *perſecutionem potiùs patiuntur, quàm Lutherani & Calviniſtæ.* Quid ita? *Ex multis*, inquit, *Provinciis ejecti, Eccleſias, patrimonia, & ipſam patriam amiſerunt, invadentibus res alienas novis illis Evangelii Miniſtris.* Sic qui arguuntur occidiſſe hominem innocentem, viciſſim arguentes accuſant, quòd brachium hominis nocentis acu pupugerint. Proh ſcelus! Ubi ergo ſanguinariæ noſtrorum leges? Ubi infernalia Inquiſitionis tribunalia? Ubi apud nos ſunt Emiſſarii liticines, incendiarii orbis? Quis ob ſolam religionem, civilium delictorum culpa vacans, capite luit? Quis luit inſtigante, probante, laudante Eccleſia? Audi, Bellarmine, quem vivum petulanter vivus proſcindere auſus es, Magnæ Britanniæ Regem Jacobum *in Præfat. Monit. pag.* 135. 136. ſic aſſeverantem: *Id conſtanter aſſevero, quod & in apologia mea poſui, hic neminem ſive meis, ſive defunctæ Reginæ temporibus, conſcientiæ ac religionis cauſa ultimo ſupplicio affectum. Nam, quantumvis religioni ſuæ deditus ſit, quantumvis eam apertè & conſtanter profiteatur, nullum ei à legibus impendet capitis periculum, niſi comperto contra leges externo aliquo actu deliquiſſe; aut conjurationem conſiliúmve ſummæ rei pernicioſum iniviſſe: exceptis ſolummodo ſacrificulis, cæteriſque Pontificiarum partium, qui in tranſmarinis regionibus ſacris ordinibus initiantur: qui tot conjurationibus, tot proditionibus ab ipſis in Anglia vel con-*

pugnatores ſcilicet jam diu ante annos quindecim ac viginti excruciatos miſerè ſcripſerunt pinxerúntque in ſuis illis pſeudohiſtoriis Antuerpiæ excuſis) noverit certè Bellarminus, noverint Hierarchici, non ut *Chriſtianos* & διὰ Ἰησοῦν propter Jeſum (2. Cor. IV. 11.) ſed ut κακοποιοὺς *maleficos* & propter alios omnes, quàm Jeſum, tales paſſos eſſe, juſtámque perſecutionem ſuſtinuiſſe. *Martyrem* enim juxta illud S. Auguſtini *Epiſt.* 61. & 106. decantatum *non pœna, ſed cauſa facit*; & juxta ejuſdem *in Pſal.* 68. verba, *laus Martyrii eſt in cauſæ bonitate, non in pœnæ acerbitate*. Quanquam pœnarum ſuppliciorúmque acerbitate ob ſolam religionis profeſſionem ſævire, Babylonis Magnæ eſſe: & Hierarchiam ob ſolam religionis, & quidem purioris confeſſionem immaniter ſæviiſſe, irrefragabiliter demonſtravimus. Unde, cœteris paribus, Hierarchiam Babylonem Magnam eſſe conſequitur. ὅπερ ἔδει δεῖξαι.

MYSTERIUM
DISSERTATIO
DECIMA TERTIA.
QUA

Hierarchiam, ſeu Clerum Eccleſiæ Romanæ dominantem eſſe Babylonem Magnam probatur Octavò, *quia blaſphemiis ſe nefariè polluit.*

BREVIARIUM.

I. *Spiritus Dei Babylonem M. blaſphemiarum ream peragit.*

II. *Blaſphemia definitur & diſtinguitur.*

III. *Blaſphemiæ nomina quo ſenſu in capitibus Beſtiæ ſtatuantur.*

IV. *Dicitur Beſtia à Muliere Babylonica inſeſſa, adeóque etiam Babylon ipſa os ſuum aperire ad blaſphemandum nomen Dei, tabernaculum ejus, & eos, qui in Cœlo habitant.*

V. *Hierarchicos ſic nomen Dei, tabernaculum ejus, & S. Cœlites blaſphemare, Syllogiſmo demonſtratur. cujus propoſitio ex terminis conſtat, & Aſſumptio per partes probatur.*

VI. *In anteceſſum ex Caſuiſtis, Diana, Azorio, Ledeſma, Sanchez &c. probatur, Hierarchicos blaſphemias veriſſimas leves ducere.*

VII. *Iidem nomen Dei blaſphemant tum in univerſa Papolatria;*

VIII. *Tum in idololatria. Blaſphemia per icaſmum pro idolo-*

Digitized by Google

idololatria apud Scriptores Sacros ponitur.

IX. *Ratio eſt, quia in ea eſt abſoluta ſubſannatio & vilipendium Dei vivi.*

X. *Blaſphemiarum conſpicua in primis documenta Mariolatria præbet.*

XI. *Sed & ſuperſtitio Hierarchicorum omnis, præcipua eorum dogmata; errores inprimis Magici cum blaſphemiis conjuncti ſunt.*

XII. *Blaſphemia nominis Dei capitalis eſt adverſus S. Scripturam.*

XIII. *Vaticinium S. Pauli* 2. *Tim.* III. 2. 5. *de blaſphemia eorum, qui formulam pietatis Scripturam habentes, ejuſdem abnegabunt potentiam, exponitur.*

XIV. XV. *Scripturæ Divinitatem ab humana authoritate ſuſpendentes, & ſine hac eam nefariis maledictis proſcindentes, atrociter blaſphemant.*

XVI. *Exceptio blaſphemantium, quod verbum Eccleſiæ, hoc eſt, Papæ ex Cathedra docentis, non hominis, ſed Dei verbum ſit, eliditur.*

XVII. *Blaſphemia negantium Scripturæ neceſſitatem;*

XVIII. *Et libris Apocryphis, incertiſque traditionibus Divinitatem arrogantium.*

XIX. XX. XXI. *Inprimis Scripturæ perfectionem ſeu ſufficientiam oppugnantium. Fucus Cleri Gallicani noviſſimè congregati, ſerarii, aliorum, qui Scripturæ perfectionem agnoſcere videri volunt, diſcutitur.*

XXII. *Ipſi ſibi Sophiſtæ, Scripturæ ſufficientiam diſertis verbis negantes, larvam detrahunt.*

XXIII. *Blaſphemiæ Hierarchicorum circa ſenſum Scripturæ, quem non ex Scriptura ipſa demonſtrandum;*

ſed humano Romanenſium arbitrio ei inſpirandum ſciſcunt.

XXIV. *Criminantur iidem Scripturam, ceu obſcuram, mancam, naſum cereum, literam mortuam, petram ſcandali &c. Pighii, Pictavii, Pamelii, Baronii, Coſteri, Walenburgiorum blaſphemiæ.*

XXV. *Criminationum harum cauſæ.*

XXVI. *Blaſphemiæ adverſus Scripturæ finem.*

XXVII. *Canonem ſeu regulam eſſe, blaſphemè inficiantur.*

XXVIII. *Eidem judicis partes abrogant, & in Papam transferunt. cùm judicem ex Cœlo petendum eſſe, rectè Optatus Milevitanus ſtatuerit, & in Scriptura Cœleſti eundem oſtenderit.*

XXIX. *Bellarmini de judice Controverſiorum diſputatio ex qua, Hierarchicos Spiritui S. in Scriptura loquenti judicium omne Divinum abdicare, & Papæ ſoli aſſerere, oſtenditur.*

XXX. *Walenburgiorum fraudulenta exceptio diluitur.*

XXXI. *Prætextus impius Scripturæ Divinum judicium abrogantium. Gretſeri conceptæ blaſphemiæ.*

XXXII. *Scomma objecti privati Spiritus retunditur.*

XXXIII. *Blaſphemiæ adverſus Tabernaculum Dei, Chriſtum ex erroribus Hierarchicorum tyrannicis cognoſcuntur.*

XXXIV. *Nec non ex apertis dicteriis Leonis X. Bellarmini, Bertrandi, Nicolai V. &c.*

XXXV. *Blaſphemiæ adverſus tabernaculum Dei, Eccleſiam. quam vel nullam Chriſtus in mundo habet, vel eam habet, quæ vocem ejus audit, & doctrinam ſuam verbo ejus conformat.*

XXXVI.

Digitized by Google

XXXVI. *Blaſphemiæ Eccleſiæ communes. Calumniæ adverſus Waldenſes atroces notatæ.*

XXXVII. *Nec non adverſus quoſcunque pietate, zelo, eruditione Romanæ Curiæ ſuſpectos. quos ilico hæreticorum in numerum retulit.*

XXXVIII. *Adverſus Reformatores Eccleſiæ, Lutherum, Zwinglium, Calvinum, Bezam, Junium &c. Eccleſias integras, Genevenſem, Anglicanam, Helveticam.*

XXXIX. *Doctrinam inprimis Evangelicorum, quam verbo Dei conformem licet obſoletarum hæreſium convitiis ſpurciſſimis aſpergunt.*

XL. *Diſpar planè ratio eſt Babylonem & Hierarchiam, ſine ulla blaſphemia, comparantium.*

XLI. *Digreſſio, qua Cleri Gallicani noviſſimis de calumniis Proteſtantium querelis generatim occurritur.*

XLII. *Authori impactum ab eodem Clero calumniarum crimen depellitur in doctrina de Traditionibus.*

XLIII. *De Attritione & Confeſſione.*

XLIV. *De Peccati originalis per Baptiſmum expunctione.*

XLV. *De concupiſcentia regenitorum. ubi per inſignem calumniam Deicidii ſpeciem Tridentinis à me objectam queritur.*

XLVI. *Denique de meritis operum & juſtitia propria.*

XLVII. *Blaſphemiæ Hierarchicorum adverſus dominationes.*

XLVIII. *Adverſus habitantes in Cœlis Angelos & homines Sanctos.*

XLIX. *De quibus honorificè nec ſentire, nec loqui eos probatur. In Canone Miſſæ pro Sanctis orantes, injuriam iis, ceu exulibus à facie Dei, imò in Purgatorio cruciatus graviſſimos & diuturnos ſuſtinentibus, faciunt.*

ciunt. Qua injuria etiam Deiparam ſalutatione ſolenni, Ave Maria, interpellatam afficiunt.

L. *Sanctis honorem debitum iidem detrahunt, arcentes populum à lectione Scripturæ, quæ honorem eorum genuinum tradit.*

LI. *Ne quidem Paſtores & Theologi Scripturas condignè tractare, & ex iis veras Sanctorum laudes depromere ſinuntur.*

LII. *S. Petrum ex Apoſtolorum choro deturbantes, Romæ Paſtorem faciunt. De eo diſceptatio Cardinales inter & Græcum, apud Nilum.*

LIII. *S. Apoſtolos reliquos inſigniter deprimunt, Petro ſoli poteſtatis plenitudinem vindicantes, & Papæ cuivis eos poſtponentes.*

LIV. *Contumeliæ Deiparæ Virginis;*

LV. *Nec non S. Patribus;*

LVI. *Denique corporibus Sanctorum illatæ.*

LVII. *Concluſio argumenti.*

Spiritus Dei Babylonem M. blaſphemiarum ream peragit.

I. CRudelitatem & tyrannidem Hierarchiæ ejuſdem blaſphemiæ horrendæ excipiunt. His enim Spiritus Dei Babylonem Magnam cenſet, quando eam ſedentem ſuper Beſtia, γεμȣ́σῃ ὀνομάτων βλασφημίας, *plena nominibus blaſphemiæ* Apoc. XVII. 3. inducit. Super ejuſdem Beſtiæ capitibus ὄνομα βλασφημίας *nomen blaſphemiæ* ib. cap. XIII. 1. quaſi inſcriptum ponitur. Quin datum ei eſſe ςόμα λαλȣ͂ν μεγάλα καὶ βλασφημίας *os loquens magna & blaſphemias*, atque eandem aperiendo & reſolvendo os ſuum in blaſphemiam in Deum, blaſphemaſſe τὸ ὄνομα αὐτȣ͂, καὶ τὴν σκηνὴν αὐτȣ͂, καὶ τȣ̀ς ἐν ȣ̓ρανῷ σκηνȣ͂ντας *nomen ejus, & tabernaculum ejus, & tabernaculum habentes in Cœlo*, ib. v. 5. & 6. aſſeritur. Quod autem Beſtiæ à Babylonica Muliere inſeſſæ, inequitatæ, adeóque

que ab eadem directæ, adgubernatæ tribuitur, id ipſi quoque Babyloni Magnæ, Mulieri Beſtiæ inequitanti tribuendum eſſe, propter conjunctionem intimam rectoris & directi, agitati, & hujus erga illum devotionem, ab eodem præſcriptam, dubitari nequit. Neque enim Beſtia Mulieri parere, religioſum obſequium deferre, ſine expreſſis & claris Dei blaſphemiis poteſt. Quæ blaſphemiæ non poſſunt non ei, qui cultum & obſequium ejuſmodi depaciſcitur, ceu earundem authori, imputari.

II. Blaſphemia famæ, ſeu nominis, quod virtutum eximiarum gloria & choragio comparatur, violati læſíque injuriam & contumeliam ſignificat Quiſquis ergo ſuperiori maledicit, vel nomini & virtutibus ejus derogat, vel falſi quid, quo perfectio & excellens bonitas ejus minuitur conſpurcatúrque, aſſerit, is blaſphemat, &, juxta Levit. XXIV. 11. נקב ſuperiorem maledico ore *transfigit*, proſcindit. Ita ſi quis Deo, Supremo Domino vel tribuit, quod ei non convenit: vel derogat eripítque, quod ei convenit, blaſphemare dicitur. Neque refert, an indecora ei tribuat, & decòra auferat: an quæ ipſi tribuenda ſoli fuerunt, in alium לא אלהים *Non-Deum* transferat. Utroque modo, illo directè, hoc indirectè, quod ajunt, blaſphemat. *Nam qui* aliis merè Divina tribuit, is gloriam Dei alienat, profanat, & excellentiam parem Deo & non-Diis tribuendo, Deum ipſum & non-Deos æquiparat. quod ſine manifeſta Dei blaſphemia fieri nequit. Neque adverſarii, puto, diſſentiunt, quos inter P. Avila *Comp. verb. Blaſphemi.* ſic ſcribit: *Blaſphemia eſt dicere aliquid contumelioſum contra Deum. Quod ſit, Deo aliquid attribuendo, quod ei non convenit, vel auferendo, quod convenit; vel affirmando de creatura, quod eſt proprium Dei.* Sic planè blaſphemus eſt, qui vel falſos

Blaſphemia definitur & diſtinguitur.

ſos Deos colit, ut Deut. xxxi. 20. vel Deum colit per ἐθελοθρησκείαν *cultum ingenio ſuo excogitatum.* Quomodo qui Deum in celſis colebant, dicebantur צרף & חרף βλασφημεῖν, *blaſphemare*, Eſaj. LXV. 7. Ezech. xx. 27. 28. 29. Cultus enim electitius non aliud quàm veri Dei renuntiatio, abdicatio eſt. Quantò magis blaſphemus eſt, qui quod Dei & Chriſti eſt, impertitur aliis.

Blaſphemiæ nomina quo ſenſu in capitibus Beſtiæ ſtatuantur.

III. Blaſphemiæ nomina *in capitibus Beſtiæ* Apoc. XIII. 1. ſtatuuntur. Ὄνομα *Nomen* in Scripturis objectum fidei & adorationis ſignificat. Cui paremus, credimus, confidimus, ſervimus, eum tanquam auctorem fidei, ſpei, actionum noſtrarum nominamus. Ita ſolus Deus nominari vult, Act. IV. 12. III. 16. Epheſ. I. 21. Phil. II. 9. 2. Tim. II. 19. Quando *igitur in* cultu Dei alius *nominatur* quàm Deus; aut verbum, voluntas, revelatio non Dei habetur pro verbo Dei; aut cultus Dei adſtringitur ad locum, in quo Deus memoriam nominis ſui non poſuiſſe comperitur, quid hæc aliud ſunt quàm ὀνόματα βλασφημίας *nomina blaſphemiæ?* Qualia cùm Beſtiæ *capitibus* quaſi inſcripta dicuntur, quid aliud ſignificatur, quàm in omnibus Beſtiæ ſeu Imperii magni partibus *nomina blaſphemiæ* comparere, ſeu aliud nomen præter illud, in quo nos ſalvari oportet, nominari; adeóque Beſtiam ſe mancipaſſe cultui Numinis alieni cum blaſphemia. Solebant idololatræ ſtigma fronti ſuæ inurere, ſignum ſcilicet, cujus Dei ſe eſſe gloriarentur. Quod lex Divina expreſsè vetat Levit. XIX. 28 כתבת קעקע לא תתנו בכם *Scripturam nominis non facietis vobis.* Ubi Baal Hatturim: קעקע בגימטריא שם קעקע שכותב שם הטמאה *In numeris* קעקע *tantùm valet ac* שם (utrumque 340 facit) *Nam ſcribebant nomen pollutionis*, hoc eſt, falſi Dei. Ita Apoc. XIV. Agni aſſeclæ *nomen Patris in faciebus ſuis ſcriptum habe-*

habere: & Gal. v. 17. S. Paulus ſtigmata Chriſti in corpore ſuo geſtare: Sacerdos quoque ſummus Exod. xxviii. 36. laminam in fronte ſua geſtaſſe, in qua ſcriptum erat, קדש ליהוה *Sanctum Domini* (quo ſymbolo homo & miniſter Dei, ipſius cultui conſecratus, declarabatur) dicitur. Hoc ergo hic quoque innuitur, quòd Beſtia ſe denominet de falſis Numinibus, quibus per blaſphemiam ea, quæ Dei & Chriſti ſunt, attribuat: quódque ſe titulis contra Deum & ſanctos efferat.

Dicitur Beſtia à Muliere Babylonica inſeſſa, adeoque etiam Babylon ipſa os ſuum aperire ad blaſphemandum nomen Dei, tabernaculum ejus, & eos qui in Cœlo habitant.

IV. Neque tantùm nomina blaſphemiæ in capitibus ſuis Beſtia habere, ſed etiam os ſuum aperire *ad blaſphemandum nomen Dei, tabernaculum ejus, & eos qui in Cælo habitant*, v. 6. dicitur. *Nomen* Dei eſt vel Deus ipſe, & virtus ejus, quatenus cognoſcitur, & cognoſcenda proponitur; vel ejus revelatio, qua revelatur ſeu deſcribitur quis & qualis Deus ſit. quæ in Scriptura extat. Qui ergo vel virtutes Dei, vel verbum ejus ſcriptum blaſphemat, is nomen Dei blaſphemat, quia negat, Dei virtutem, voluntatem & gloriam in Scriptura revelatam eſſe; atque adeò hoc, quod Scriptura revelat, nomen Dei eſſe inficiatur. *Tabernaculum* Dei tum Chriſtus eſt, in quo omnis Deitas corporaliter habitat, & in quo eſt omnis προσαγωγὴ *adductio*, ſecundum illud: *Tu pater in me, & ego in te, ut & illi in nobis unum ſint.* Joh. xvii. 21. tum Eccleſia, quæ domus Dei viventis eſt 1. Tim. iii. 15. Denique *habitantes in Cælo* Sancti ſunt, qui in domo Cœleſtis Patris μονὴν *manſionem* habent.

Hierarchicos ſic nomen Dei, tabernaculum ejus, & S. Cælites blaſphema-

V. Jam ergo cujuſmodi ſint blaſphemiæ Beſtiæ, quæ à Muliere Babylonica regitur, abunde conſtat. Nam populus, qui Beſtiæ nomine venit, in alio, quàm Dei nomine gloriatur; virtutes Dei alienat, verbum Dei ſcriptum convitiis inceſſit, Chriſto uni ſolique eximia detra-

re, Syllogiſmo demonſtratur. cujus propoſitio ex terminis conſtat, & Aſſumptio per partes probatur.

detrahit, Eccleſiam veram maledictis proſcindit, Sanctis denique cum Chriſto regnantibus convitium facit. Atque hæc ipſa Hierarchiæ competere, ſequenti Syllogiſmo fidem faciemus.

Ille cœtus ſe blaſphemiis nefariè polluit, hoc eſt, in alio quàm Dei nomine gloriatur, virtutes Dei alienat, verbum Dei ſcriptum convitiatur, Chriſto uni ſolique debitam gloriam detrahit, Eccleſiam & Sanctos cum Chriſto regnantes maledictis proſcindit, adcóque cæteris paribus, Babylon Magna eſt; qui blaſphemias quaſdam leves ducit; atque inſuper rector eſt ejus populi, qui in Papa ceu Numine ſuo gloriatur; virtutes & cultum Dei multiplicem per idololatriam, falſa dogmata, errores magicos creaturis impertitur; Scriptum Dei verbum in omnibus cauſis & attributis ſuis Divinitatis honore ſpoliat; Chriſti Salvatoris & Mediatoris honorem & gloriam communem aliis facit; Eccleſiam Dei, verbo ejus conformatam variis convitiis aſpergit; denique Sanctis Cœlitibus indebitum honorem, cum gloriæ Divinæ detrimento tribuit, & debitum derogat.

Atqui Hierarchia, ſeu Clerus Eccleſiæ Romanæ dominans blaſphemias quaſdam leves ducit; atque inſuper rectrix eſt ejus populi, qui in Papa ceu Numine ſuo gloriatur; virtutes & cultum Dei, multiplicem per idololatriam, falſa dogmata, errores Magicos creaturis impertitur; Scriptum Dei verbum in omnibus cauſis & attributis ſuis Divinitatis honore ſpoliat; Chriſti Salvatoris & Mediatoris honorem & gloriam communem aliis facit; Eccleſiam Dei verbo ejus conformatam variis convitiis aſpergit; denique Sanctis Cœlitibus indebitum honorem

cu

cum gloriæ Divinæ detrimento tribuit, & debitum derogat.

Ergo Hierarchia, ſeu Clerus Eccleſiæ Romanæ dominans ſe blaſphemiis nefariè polluit, hoc eſt, in alio quàm Dei nomine gloriatur, virtutes Dei alienat, verbum Dei ſcriptum convitiatur, Chriſto uni ſolíque debitam gloriam detrahit, Eccleſiam & Sanctos cum Chriſto regnantes maledictis proſcindit; adeóque cæteris paribus, Babylon Magna eſt.

Propoſitio ex terminis conſtat. neque puto Hierarchicorum quenquam eò audaciæ proceſſurum, ut in dubium eam revocare auſit. Aſſumptionem ὅλως poſitam ἀνὰ μέρος probamus.

VI. Blaſphemias quaſdam ab Hierarchicis leves duci, Caſuiſtæ illorum & Morales Theologi paſſim produnt. Juxta decretum Concilii Lateranenſis *Seſſ. 9. ſſ. ad abolendam* blaſphemus non poteſt abſolvi à confeſſore, niſi graviſſima pœnitentia ipſius arbitrio impoſita. Sic enim expreſſè ibi definitur: neque aliter Navarrus, Ludovicus Lopes, de Ledeſma, aliíque docent. At decretum illud uſu receptum eſſe, vel hodiéque obligare, Armilla verbo *Blaſphemia*; & ibi Emmanuel Sa, Azorius, Suarez, alii pertendunt. Diſputat *Diana Reſol. Moral. parte XI. Tract. 14. Reſol. 68. An incidat in caſum reſervatum blaſphemia, ſi quis in ebrietate illam proferat, quam ante ebrietatem prævidit?* Ait, affirmativè quoſdam reſpondere, *quia talis blaſphemia ſit voluntaria in cauſa.* Sed contrariam ſententiam tueri Oliverium Mazuchellum, *quia talis blaſphemia in ebrietate probata non ſit peccatum: ergo nec reſervata.* Imò id verum eſſe, *etiamſi quis vinum uſque ad ebrietatem ſumeret ad finem blaſphemandi*; ratione hac addita, *quia adhuc illi imputari non poſſet peccatum blaſphemiæ, utpote*

In anteceſſum ex Caſuiſtis, Diana, Azorio, Ledeſma, Sanchez, &c. probatur, Hierarchicos blaſphemias veriſſimas leves ducere.

te quod uſum rationis requirit. Aſtipulantem inducit Sanchez: & aſtipulatur ipſe Diana, is ſcilicet, de quo Caramuel *Epiſt. ad Dian. p.* 24. dixit: *Generoſe & clementer ſequimur* AGNUM, *Dianam, quocunque ierit. Certi enim ſumus, tanto illius dogmata Theologorum firmari numero, ut quærenti, an hoc aut illud liceat, ſufficiat reſpondere*: Αὐτὸς ἔφα, hoc eſt, *Diana dixit.* Idem ille Diana *Par.* 1. *tract.* 5. *Reſol.* 62. quærit: *An blaſphemiæ inadvertenter prolatæ, ortæ tamen ex prava conſuetudine blaſphemandi ſint peccata mortalia?* Affirmantes Raphaelem de Torre, Tannerum, Azorium, alios inducit. Sed ipſe tantùm non indignabundus, *Si hæc opinio,* inquit, *vera eſſet, magnum onus pœnitens & Confeſſarii haberent, cùm talia maximè frequentia ſint. Ideo contrariam ſententiam in praxi ſequendam eſſe puto. Sed quamvis aliquis habeat pravam conſuetudinem peccandi, ſi tamen hic & nunc ex inadvertentia naturali & indeliberatè peccaret, non committeret novum peccatum mortale.* Idem cenſet Toletus Jeſuita & Cardinalis *Inſtruct. Sacerd. lib.* v. 13. ubi blaſphemias horrendas licet, ſi ex inadvertentia, ira ebrietate, conſuetudine &c. non advertendo ad verba, pronuntientur, inter peccata venialia numerat. quaſi ſcilicet non ipſa inadvertentia, cùm de Dei honore agitur, graviſſimum peccatum eſſet. Aliam quæſtionem Diana *par. V. tract.* 13. *Reſol.* 20. movet: *An qui vocat amaſiam Deam, vel idolum ſuum, ſit blaſphemus?* Reſpondet, Confeſſarium quendam ſcrupuloſum & parùm ſcientem affirmativam ſententiam olim docuiſſe. *Sed talem*, inquit ipſe, *non eſſe blaſphemiam, dicendum eſt, quia verba hæc nec proferuntur, nec accipiuntur in ſignificatione propria, ſed in hyperbolica. Et ita docent Lorca, & Hurtadus Mendoza.* Zonardus

dus *Theolog.p.* 11. *cap.* 1. blaſphemos ex ira, ſemel, bis vel ter, ſi ira magna fuit, & ex cauſa juſta, negat abjurare ſolere. Diana *Tom.* IV. *tr.* I. *reſol.* 51. eum, qui in blaſphemiam non hæreticalem incidit, immunitate Eccleſiaſtica gaudere aſſerit. Talia indicaſſe, & doctrinam veriſſimis blaſphemiis faventem prodere.

VII. Hierarchiam *eſſe rectricem ejus populi* ſeu *Eccleſiæ, quæ in Papa, ceu Numine ſuo gloriatur*, ei Divinitatem & religioſum adorationis cultum tribuit, Diſſertatione Decima tota, tum ex nominibus Divinis, quæ Papa aſſumit vel admittit: tum ex attributis Divinis octo, quæ ille ſibi vindicat: tum denique ex publica ejuſdem adoratione liquidò probatum dedimus. Si ergo blaſphemia & veriſſima & craſſa eſt, ipſomet, uti ſupra vidimus Avila judice, *affirmare de creatura, quod eſt proprium Dei*; certè pridem Hierarchia, quæ & poſtulat Divinos illos honores Papæ, & admittit, & regit eum populum, eam Eccleſiam, quæ honores Divinos Papæ toto, quod ajunt, horreo admetitur, horribilium blaſphemiarum reatum contraxit. Et ſanè hoc inprimis blaſphemiarum genus Prophetiam Babyloni & Beſtiæ ejus, cujus capitibus *nomina blaſphemiæ* aptat, tribuere, conſtat ſatis, & ſupra etiam probavimus.

Iidem nomen Dei blaſphemant tum in univerſa Papolatria;

VIII. Hierarchiam *virtutes & cultum Dei, multiplicem per idololatriam, creaturis impertiri*, Diſſertationis Undecimæ Sectione poſteriore tota ad liquidum perduximus. In omni enim idololatria blaſphemiæ continentur. Eſtque blaſphemia pro idololatria poſita εἰκασμὸς, *Icaſmus*, ſeu ſchema Propheticum, rerum & eventuum repræſentatio per ejuſmodi ſymbola, quæ ſimilitudinem gerunt earum rerum, ac eventuum, pro quibus ponuntur. Etenim quod verba in Deum con-

Tum in idololatria. Blaſphemia per icaſmum pro idololatria apud Scriptores Sacros ponitur.

contumelioſa ſunt ad aures, id creaturarum, atque inprimis imaginum cultus eſt ad oculos. Utroque enim id, quod adverſus Deum contumelia eſt, declaratur. Neque adeò mirum eſt, quòd ſtylus Propheticus artificioſam rerum κρύψιν affectans, unum blaſphemiæ genus in locum alterius, adeóque etiam blaſphemiam illam, quæ eſt διὰ λόγων καὶ ῥημάτων in locum illius, quæ eſt διὰ πραγμάτων καὶ τύπων uti Chryſoſtomus de Divinis prædictionibus, diſtinguit, ſubſtituit. Ita Eſaj. LXV. 7. *Qui ſuffierunt ſuper montes, & ſuper colles* חרפוני ὠνείδισάν με, *probro, contumelia me affecerunt*, adeóque blaſphemârunt. non utique διὰ λόγων, ſed πραγμάτων, per actiones ſuas idololatricas. Nam *qui colunt idola quaſi Deos, exprobrant Deo arrogantiam Divinitatis*, inquit ibi Cornelius à Lapide. Similis locus eſt Ezech. XX. 27. 28. *Hæc dicit Dominus Deus: Adhuc & in hoc me blaſphemârunt Patres veſtri. Introduxi enim eos in terram, ſuper quam levavi manum meam, ut darem illam eis, & viderunt omnem collem excelſum, & omnem arborem denſam, & ſacrificârunt ibi ſacrificia ſua, dederúntque ibi irritationem oblationis ſuæ.* Quod idem à Lapide & Sanctius de idololatria eorum rectè interpretantur. Convenit illud Deut. XXXI. 20. *Cùm comederint, & ſaturati craſsique fuerint, avertentur ad Deos alienos* ונאצוני *& blaſphemabunt me. quomodo vox* נאץ Eſaj: LII. 5. Ezech. XXXV. 12. uſurpatur. Denique ubi Pſal. LXIX. 10. dicit David: חרפות חורפיך נפלו עלי ὀνειδισμοὶ τῶν ὀνειδιζόντων σε *opprobria exprobrantium tibi ceciderunt ſuper me*, (perinde ac ſi dixiſſet, αἱ βλασφημίαι τῶν βλασφημούντων σε *blaſphemiæ blaſphemantium te*) Chaldæus Paraphraſtes illud de contumelia, quæ Deo, cultum illius idolis communicando fit, interpretatur.

IX.

IX. Eandem ob cauſam Alcaſar *Nomina blaſphemiæ in capitibus Beſtiæ ſeptem* de Templis idolorum explicat, atque Grotius γέμον ὀνομάτων βλασφημίας ſic exponit: *Plena Diis, qui ita interpretantur in veri Dei injuriam.* Blaſphemiam igitur pro idololatria poni, clariſſimum eſt, recepto Sarcaſmo Prophetico, uti diximus. Nihil enim deteſtabilem idololatriæ indolem magis explicat, quàm quòd is, qui creaturas colit, eas ſine blaſphemia in Deum verum colere non poteſt. Eſt enim idololatria certiſſimus & abſolutus μυκτηρισμὸς & ἐκφαυλισμὸς, ſubſannatio & vilipendium Dei vivi, æquè profectò grave, quàm ſi quis Deum viliſſimæ v. g. & inſenſatæ materiæ, ex quibus imagines conficiuntur, nominibus appellaret, profiteretùrque palam, Deum illa haud meliorem potiorémque eſſe. Dum enim Divinum illi cultum præſtant, Deo æqualem utique faciunt. Atque hæc blaſphemia aliorum digniorum objectorum, quæ tamen Dii non ſunt, cultui ἀναλόγως ſubeſt. Infinita enim vilitate & οὐδενείᾳ ſordeſcunt, ſi cum Deo conferantur.

Ratio eſt, quia in ea eſt abſoluta ſubſannatio & vilipendium Dei vivi.

X. Si tamen uſpiam in religioſo creaturarum cultu, quo Hierarchia defungitur, blaſphemia conſpicua eſt, maximè illa in *Mariolatria*, ſeu Deiparæ cultu religioſo conſpicua eſt. Non tantùm enim ea, quæ Deo Chriſtóque eximia ſunt, Mariolatræ ὅλῳ θυλάκῳ in B. Virginem conferunt: quomodo eam *paria* cum Chriſto facere Mendoza *Virid. prob.* 2. *lib.* 2. ſic ſcribit: *Chriſtus & Maria paribus Cherubinorum alis adumbrati ſunt. Nam ſicut paribus vibrantur alis: ita Chriſtus & Maria paria Deo perhibent ſpectacula, dum hæc oſtentat ubera, ille vulnera. Nihil eſt quod Chriſtus oſtendendo vulnera non impetret: nihil quod Maria oſtendendo ubera non exoret. Videtis, Chriſti & Mariæ interceſſionem æqualis ferè momenti eſſe apud Deum?* Sed eandem Deo Chriſtóque in multis,

Blaſphemiarum conſpicua inprimis documenta Mariolatria prabet.

ſima virgo & prudentiſſima, Deum in pueritia non ſolùm docuit, ſed & ipſamet ſociando ſe ipſam cum Chriſto, & eum portando in Ægyptum fecit nociva fugere. Sextò Deus hominem nutrivit de fructibus Paradiſi; ſed B. Virgo nutrivit Chriſtum de proprio ſuo ſacratiſſimo lacte; ubere de Cælo pleno, cujus minima ſtilla prævalet omnibus fructibus Paradiſi terreſtris & totius mundi. Septimò Deus dedit homini carnem, quæ poſſet mori, & incinerari per peccatum, ut nunc cernimus. Sed B. Virgo dedit Deo carnem immaculatam, quæ non poſſet incinerari, juxta illud Pſalmi: Non dabis Sanctum tuum videre corruptionem. Concludit blaſphemum illud os: *Reddendo ergo ſingula ſingulis, ſcilicet quod fecit Deus homini, & quod fecit B. Virgo ipſi Deo, videbis, ut pro ſolatio dicere liceat, quòd* PLUS MARIA DEO, *quàm ipſe Deus homini fecit. Unde Deus propter B. Virginem obligatur nobis plurimùm.* Quid videtur, Mariolatræ? An craſſiùs unquam idololatræ gentiles blaſphemârunt? Et tamen innumera ejuſmodi craſſiora etiam afferri poſſent. & plura etiam ſuperiùs allata à nobis ſunt; atque inprimis Cl. Theologi noſtri Rivetus & Drelincurtius, ex Mariolatrarum ſcriptis corraſa, quæ perpetuum in cultu & præconio Deiparæ blaſphemandi cacoëthes produnt, publico dederunt.

XI. Facit huc omnis Hierarchicorum ἐθελοθρησκεία, ſeu voluntarius cultus, in verbo Dei non præſcriptus. Hic enim Divinam virtutem & efficaciam humanis inſtitutis, ceremoniis & operibus tribuit, adeóque Divina profanat, & alienat. quod citra blaſphemiam fieri nequit. Faciunt etiam huc dogmata Hierarchicorum, veluti de libero arbitrio & gratia Dei; determinatione gratiæ per vires arbitrii; de peregrinationibus religioſis; ſymbolica locorum ſanctitate; votorum Monaſticorum dignitate; operibus ſuper-

Sed & ſuperſtitio Hierarchicorum omnis, præcipua eorum dogmata; errores inprimis Magici cum blaſphemiis conjuncti ſunt.

ſupererogatoriis; conſiliis perfectionis Euangelicæ; meritis operum; ſatisfactionibus propriis & alienis; indulgentiis; Capite Eccleſiæ; infallibilitate Papæ; poteſtate legislativa & judiciali Papæ; efficacia Sacramentorum ex opere operato, nec non Sacramentalium; charactere Sacramentali; intentionis Sacrificulorum ad efficaciam Sacramenti neceſſitate; Sacramentorum ſpuriorum efficacia; Miſſæ ſacrificio propitiatorio; attritionis cum abſolutione conjunctæ, ipſiúſque abſolutionis efficacia; diſpoſitionum quarundam, & habitus juſtitiæ inhærentis virtute ad juſtificandum peccatorem; aliáque ſimilia, quibus Divinam virtutem humanis habitibus, actibus, operibus, ritibus communicari, abundè à noſtris, in conflictu cum Pontificiis; & à me quoque in Anatome & Funere *Concilii Tridentini* demonſtratum eſt. Quàm ergo hic blaſphemiarum continuarum concatenatus ordo eſt? Adeò ut univerſus ferè Papatus & religio Hierarchica ex dogmatibus & fidei articulis, cum perpetuis blaſphemiis, ea quæ Deo ἐξαίρετα & propria ſunt, in alios omnes derivantibus (qua in re blaſphemiam conſiſtere ſupra, conſentientibus ipſis adverſariis, oſtendimus) conjunctus eſſe, præfiſcinè, ſi res ipſa putetur, dici poſſit. Omnis falſa doctrina, quæ non poteſt conjungi cum fundamento, idque vel evertit, vel ſolum & integrum eſſe fundamentum non permittit, blaſphema eſt. Ipſa anathemata inflicta veritati, & errores ſoli anathemate præcepti, qualibus Tridentina Synodus ſcatet, totidem blaſphemiæ ſunt. Atque eodem inprimis pertinent *doctrinæ dæmoniorum* 1 Tim. IV. 1. 2. 3. quæ Papatum certis characteribus & notis inſigniunt. Denique huc faciunt errores Hierarchicorum Magici, quos infra ſeorſim producemus. Nam in Magia omni horrendum Majeſtatis Divinæ læſæ crimen admittitur, dum Deus ita honore ſibi eximio defraudatur, ut non tantùm creaturæ

præter,

Digitized by Google

præter, imò ſupra Creatorem inſerviat Magus, ſed Sathanam etiam, Dei hoſtem infenſiſſimum, Dei ipſius de celſa arce ſua deturbato, vice honoret.

Blaſphemia nominis Dei capitalis eſt adverſus S. Scripturam.

XII. Blaſphemia Hierarchiæ capitalis, omnium blaſphemiarum dux & pararia eſt *contra Scripturam.* Quia enim Scriptura inſtrumentum eſt, quo Deus Diaboli regnum debellat, & ſuum erigit; mirum non eſt, quòd Diabolus omni violentiâ & aſtu telum hoc Dei inutile reddere, & calumniis proſcindere nunquam deſinit. Cujus conatibus mirè equidem Hierarchici ſuccollant.

Vaticinium S. Pauli 2. Tim. iij. 2. 5. de blaſphemia eorum, qui formulam pietatis Scripturam habentes, ejuſdem abnegabunt potentiam, exponitur.

XIII. Prædictum eſt, 2 Tim. III. 2. in ultimis diebus futuros eſſe homines βλασφήμους *blaſphemos*. Blaſphemiarum ſpecies quædam v. 5. poni videtur. quòd futuri ſint homines ἔχοντες μόρφωσιν εὐσεβείας, τὴν δὲ δύναμιν αὐτῆς ἀρνούμενοι *habentes formam, ſeu formationem pietatis, ſed poteſtatem ejus negantes*. Cúmque in S. Scriptura ſola pietatis veræ informatio & formula contineatur, Scripturam, non externam quandam ſpeciem pietatis, voce μορφώσεως τῆς εὐσεβείας intelligi, nihil certè vetat. Non defore ergo ſenſus eſt, qui Scripturam *habeant*, oſtentent, præ ſe ferant, ſed vim & potentiam ejus, quam in ea Apoſtolus v. 15. collocat, quòd *poſſit nos ſapientes reddere ad ſalutem;* abnegent: ita ut expoſitio hæc ex ipſis Apoſtoli verbis petita videri debeat. Neque mens Apoſtoli ea duntaxat eſt, quòd, dum non oſtendunt tales, verbum Dei in ipſis fuiſſe potens, vivum & efficax, inſtar ancipitis gladii, penetrantis uſque ad diviſionem animæ & Spiritus; adeóque in ſe pietatem per Dei verbum formatam non eſſe, re ipſa pronuntiant, verbum Dei non formare pietatem; ſed hoc inprimis, quòd inter eorum dogmata & κυρίας δόξας principales ſententias, haud poſtrema ea futura ſit, *quòd Scriptura non poſſit* μορφοῦν *formare pietatem.* quæ blaſphemia utique adverſus Scripturam aperta eſt. Qui

ergo ſine omni verecundia dicunt, Scripturam ſolam non ſufficere ad formandam pietatem: per ſe ipſam vel Divinitatem ſuam vel ſapientiam & pietatem non poſſe docere, ſed recipiendam eſſe ſecundum propoſitionem, teſtimonium, authoritatem, interpretationem Eccleſiæ, vel judicis Eccleſiaſtici infallibilis & ſupremi; item Scripturam eſſe mutam, ambiguam, obſcuram, librum hæreticorum; ii vim & potentiam Scripturæ abnegant, & clarè ſatis, Scripturam id præſtare poſſe, ut formet homines ad pietatem; poſſe ſapientes facere ad ſalutem, inficiantur. Viderint ergo Hierarchici, talia γυμνῇ κεφαλῇ aſſeverantes, annon ſuas adverſus Scripturam blaſphemias à Spiritu S. ſonorè prædictas, jure merito inferatur? Sed preſſiùs agamus.

Scriptura Divinitatem ab humana authoritate ſuſpendentes, & ſine hac eam nefariis maledictis proſcindentes, atrociter blaſphemant.

XIV. Habet ergo Hierarchia Scripturam, eámque Dei verbum eſſe profitetur verbis. Ubi verò ad demonſtrationem Divinitatis hujus venitur, ejuſmodi principia, ad ſuæ Eccleſiæ, hoc eſt, Papæ authoritatem ſupremam ſtabiliendam, figit, ex quibus Scripturam nec authore, nec mandante Deo exaratam, adeóque nec verè Divinam eſſe, conſequitur. Pertendit enim, Divinitatem hanc nec ex inſitis ſuis proprietatibus, vel ſignaculis Divinitatis propriis ſeſe cuivis conſcientiæ hominis manifeſtantibus; nec ex revelatione quapiam, & teſtimonio interiore Spiritus S. cognoſci, ſed quoad nos unicè & in ſolidum à teſtimonio Eccleſiæ dependere. Ita Cuſanus *Epiſt. 2. ad Boh. Scripturarum*, inquit, *authoritas conſtituta eſt ab Eccleſiæ approbatione.* Eccius *Enchirid. cap. de auth. Eccl. reſp. ad 3. obj. hæret.* craſsè ſatis: *Scriptura non eſt authentica niſi authoritate Eccleſiæ.* Gallus quidam, Sleidano *ad A.* 1553. referente, non plus tribuit *Epiſtolis Pauli, quàm fabulis Æſopi abſque Eccleſiæ authoritate.* Rationem ejus rei Vitus Miletus *in diſcurſ.* 600. *error. Heſshuſii p.* 21. hanc

21. hanc reddit: *Has enim eſſe Æſopi fabulas, nec adeò incongruentes hominum moribus, certa traditione hominum conſtat. Scripturas verò eſſe Canonicas, vel à Deo immediatè inſpiratas, fideliter & incorruptè ſcriptas, & ad nos tranſmiſſas, ſi Eccleſiæ tollas authoritatem & traditionem, unde obſecro olearii iſti cognoſcent?* Bailius Jeſuita *Catech. Controv. q.* 12. haud impiè minùs: *Sine Eccleſiæ authoritate non plus fidei adhiberem Matthæo, quàm Tito Livio.* Et *quæſt.* 17. *Quis dixit vobis, Scripturam eſſe Divinam? Quis, ei potiùs credendum, quàm hiſtoriis profanis & fabulis?* Andradius *Defenſ. Concil. Trid. lib. II. p.* 157. *Nihil* (NB) *quicquam*, inquit, *Divinitatis ineſt Scripturæ, quæ nos ad credendum, quæ in illis continentur, religione aliqua conſtringat, ſed Eccleſiæ tanta vis eſt & amplitudo.* Thomas Bozius *de Signis Eccl. lib. xvj.* 10. *Quicquid Divina Scriptura authoritatis habet, id totum fuit atque eſt ab Eccleſia. Nam ſinguli ejus libri confecti ſunt à filiis Eccleſiæ.* Stapletonus *Relect. Princip. doctr. controv.* 4. *pag.* 495. *Eccleſia*, inquit, *taxavit Scripturas.* Bellarminus *de verbo Dei lib. IV.* 4. *Etſi Scriptura dicat, libros Prophetarum & Apoſtolorum eſſe Divinos, tamen non certò id credam, niſi priùs credidero, Scripturam, quæ hoc dicit, eſſe Divinam. Non etiam in Alcorano Mahumeti paſſim legimus, ipſum Alcoranum de Cœlo à Deo miſſum, & tamen ei non credimus.*

XV. Has ſimiléſque gnomas blaſphemas prorſus eſſe, fatebuntur ultro omnes, quibus non eſt æs triplex circa pectus. Sic enim *de humano arbitratu Divinitas penſitatur*. Uti Ethnicis Tertullianus *Apolog. cap.* 5. objecit. Nec verbum Dei erit verbum Dei, niſi placuerit Romæ. quæ ipſa pro lubitu Scripturam in Alcoranum, Fabulis Æſopi, Titum Livium transformare, aut ſaltem id efficere, ut plus authoritatis non habeat, poterit. Dicebat Judæis Chriſtus

Joh. v.

Joh.v.47. *S Scripturis Moſis non creditis, quomodo verbis meis credetis?* At Eccleſia Romana Chriſto ſe præferens, *Si verbis meis non credatis*, inquit, *quomodo credetis ſcriptis vel Moſis, vel etiam omnium Prophetarum?* S. Johannes 1 Joh. v.9. dicit: *Si teſtimonium hominum accipitis, teſtimonium Dei majus eſt.* Hierarchicis contra teſtimonium hominum teſtimonio Dei vim & authoritatem largitur. Quantò rectiùs Salvianus *de gubernat. lib.* 3. ſcribit: *Alia omnia, id eſt, humana dicta argumentis & teſtibus egent. Dei autem ſermo ipſe ſibi teſtis eſt, quia neceſſe eſt, quicquid incorrupta veritas loquitur, incorruptum ſit teſtimonium veritatis.* Hi autem verbi Divini hanc αὐτοπιστίαν, hanc δύναμιν *potentiam*, qua ſuam Divinitatem immediatè demonſtret, & ſe Divinum eſſe φανερώσει τῆς ἀληθείας πρὸς πᾶσαν συνείδησιν *manifeſtatione veritatis ad omnem conſcientiam* patefaciat, abnegantes, Deum ipſum in Scriptura loquentem impotentem, verbum ejus per ſe non vivum, non efficax, non penetrantius gladio ancipiti; ſed mortuum, inefficax, obtuſum faciunt, adeóque Deo auferentes, quod ipſi maximè competit, atque illud etiam in homines, Romanam Eccleſiam, quæ in Pythagoricum Papæ oraculum reſolvitur, transferentes, blaſphemiæ maximæ rei ſunt. Habent res Creatæ omnes eam facultatem, ut vim ſuam ipſæ exercere, & per actus propriarum qualitatum ſe demonſtrare poſſint. Ita lux, ignis, gladius, malleus (cum his enim Scriptura comparatur) immediaté ſe lucendo, urendo, ſecando, pulſando demonſtrant, quòd lux, ignis, gladius, malleus ſint. Et DEUS creator, infinitè vivens, potens, efficax, in quo omnes creaturæ ſunt, vivunt & moventur, hac potentia, vita & efficacia per ſummam audaciam & blaſphemiam ſpoliatur, hominéſque, qui ſua natura mendaces, in rebus fidei haud aliter fidem merentur, quàm ſi Scripturarum revelatione dicta comprobent,

bent, quod impietatem auget, alienis hiſce ſpoliis exornantur!

XVI. Nam quod Bellarminus *lib.iij. de verbo Dei cap.* 10. regerit, *verbum Eccleſiæ, hoc eſt, Concilii vel Pontificis docentis ex cathedra non eſſe omnino verbum hominis, ſed aliquomodo verbum Dei, quia prolatum ſit aſſiſtente & gubernante Spiritu S.* adeoque ſic Divinitatem verbi non humano, ſed Divino teſtimonio comprobari, dilutum ſanè eſt. Cur enim Spiritus S. ex Papa loquens majorem vim & ἀξιοπιστίαν habeat, quàm lo juens in ſcripto, à Prophetis & Apoſtolis Divina inſpiratione conſignato? Cur illud pro teſtimonio immediatè Divino, hoc per ſe pro teſtimonio mortuo, nauci, neque majori pretio habendo, quàm quo fabulæ Æſopi & Alcoranus haberi debent, proclamatur? Quibus etiam notis clarioribus Spiritus ex Papæ ſpelunca proveniens, quàm verbum à Prophetis & Apoſtolis proditum, Divinitatem ſuam demonſtrat? Sic planè Papam ſupra Scripturam efferri oportuit, ne ambiguum eſſet, cui oraculum de Antichriſti ἐπάρσει *elatione* quadret. Apoſtoli quidem & Prophetæ θεόπνευστοι *Divinitus inſpirati* Spiritum S. habuerunt immediatè ſibi aſſiſtentem, à quo φερόμενοι *lati loquebantur Sancti illi Dei homines*, 2 Pet. 1. 21. Si eadem ratione Eccleſia ſeu Papa Spiritum S. ſibi aſſiſtentem habet, ejus igitur dicta omnia cum Scripturæ Propheticæ & Apoſtolicæ dictis paria facient; imò majora longè, quia Papa Divinitatem Scripturæ munire, Scriptura per ſe nec ſuam nec Papæ authoritatem confirmare poterit. Sin Papæ Spiritus S. aſſiſtit mediante Scriptura, ſic ut nonniſi duce Scriptura loquens, & dicta ſua cuncta ſuffulciens, (uti ſanè poſt clauſum Scripturæ Canonem ſic mediatè, non immediatè Spiritus S. Eccleſiæ veræ aſſiſtit) fruſtra ergo Bellarminus Papæ teſtimonium Scripturæ ſcilicet teſtimonio prius,

Exceptio blaſphemantium, quod verbum Eccleſiæ, hoc eſt, Papæ ex Cathedra docentis, non hominis, ſed Dei verbum ſit, eliditur.

adeóque Scripturæ ipſi neutiquam ſubjectum pro Divino venditat.

Blaſphemia negantium Scripturæ neceſſitatem;

XVII. Ad Scripturæ dignitatem eximiam facit, quòd eam Scriptores Sacri non temerè vel forte quadam, ſed expreſſo Dei mandato exarârunt: quódque ea Eccleſia carere non poteſt. Hæc ejuſdem laus citra ſacrilegium & blaſphemiæ crimen delibari nequit. Delibârunt tamen Hierarchici. Bellarminus enim *de Verbo Dei lib. iv. 4.* ſic arguit: *Si Chriſto & Apoſtolis fuiſſet propoſitum verbum Dei coarctandi & reſtringendi ad Scripturam, inprimis rem tanti momenti Chriſtus apertè præcepiſſet, & Apoſtoli alicubi teſtarentur, ſe ex mandato Domini ſcribere, quemadmodum ex mandato Domini in toto orbe docuerunt. At id nuſquam legimus.* Piſtorius *in Hodeget. pag. 32. Apoſtoli,* inquit, *non ſcripſerunt ex propoſito, ſed propter incidentem neceſſitatem.* Et *pag. 33. non ex mandato.* Commune ergo dogma eſt, non mandato aliquo Divino inductos, ſed occaſionibus fortuitis invitatos Scriptores ſacros ſe ad ſcribendum accinxiſſe. Quod profectò Scripturæ authoritatem immane quantum labefactat. Quis enim authenticum documentum dixerit, quod forte fortuna, non mandante Rege ac Domino, ſed occaſione duntaxat invitante ſcriptor quiſpiam exaraverit? Inprimis ſi non ſuam is, ſed alienam voluntatem, alienas præceptiones ſcripto complecti debuerit? Pari contumelia *μισόγραφοι* illi Scripturæ neceſſitatem oppugnant. Bellarminus ſanè *de Verbo Dei lib. iv. 4.* demonſtraturus, quòd Scripturæ ſine traditionibus ſimpliciter neceſſariæ non fuerint, ſic ſententiam ſuam declarat, quòd neceſſariæ fuerint *non ſimpliciter, ſed ad benè eſſe,* hoc eſt, utiles duntaxat. Inter alia hoc argumento utitur, quòd etiam extante Scriptura Judæi traditione potiùs quàm Scriptura uſi fuerint, *quia uſque ad tempora Eſdræ Scripturæ non fuerint redactæ ad for-*

Digitized by Google

ad formam librorum, ut facilè & commodè haberi poſſent; ſed diſperſæ in variis annalibus & chartis, & aliquando ex negligentia Sacerdotum longo tempore non inveniebantur. Impium & blaſphemum hoc dogma eſt, in inferno cuſum, & Hierarchicis obſtetricantibus editum, quod homines non amantes veritatem à Divina revelatione ad humanam dictaturam; à vera regula ad fucum; ab obedientia Dei ad obedientiam Diaboli; à ſtudio ſcrutandi Scripturam ad ejus contemptum; à fide veritatis ad ignorantiam & ſtultas opiniones; à Chriſto ad Antichriſtum; à glorificatione Dei ad ejuſdem blaſphemationem præcipite gradu deducit. Quid quæſo magis δύσφημον, & ab omni fide abhorrens audiri poteſt, quàm Scripturam Divinitus inſpiratam non eſſe neceſſariam? Ea ſcilicet, hominum ſapientia, prudentia, σύνεσις, vigilantia, bonæ conſcientiæ ſtudium eſt, ut Scriptura utilis quidem aliquatenus, ſed non neceſſaria ſit! Neceſſaria eſt traditio, cujus tamen nulla Divina certitudo & πληροφορία haberi poteſt. Neceſſaria eſt Papæ vicaria poteſtas & infallibilitas, ut ab unius hominis ore pendeant omnes. At Scriptura, cujus revelatione nulla alia certior in mundo extat, neceſſaria non eſt!

& libris Apocryphis, incertiſque traditionibus Divinitatem arrogantium.

XVIII. Neque minor blaſphemia eſt humano verbo Divinitatem tribuentium, quia aliis tribuere, quod ſolius Dei eſt, omnium conſenſu eſt blaſphemare Deum, gloriam Divinitatis ejus profanando diſſipandóque. Atqui culpæ etiam hujus circa *Materiam* verbi Divini rei ſunt Hierarchici, dum Divinitatem arbitratu ſuo, ut Tertulliani denuo verbis utar, penſitantes, eam non libris duntaxat Scripturæ Canonicis; ſed verbo etiam tradito, quod merè humanum eſt, & libris aliis merè humanis liberali manu admetiuntur. Neque blaſphemiæ reatu vacare hanc Doctrinam, ipſimet Hierarchici negabunt, ſi conſtiterit, Traditiones dogmaticas vel rituales non ſcriptas, neceſſitatis

opinione & obtentu commendatas; nec non libros quoſdam Eccleſiaſticos, quibus utriſque illi Divinitatem arrogant, non Divinum, ſed merè humanum verbum eſſe. De utriſque autem id liquidò à noſtris frequentérque probatum eſt. Et *traditiones* non ſcriptas, quas Tridentini verbo ſcripto æquipararunt, non Divinum, ſed humanum verbum eſſe, inde fortiter aſſerimus, tum quia illæ verbo ſcripto addunt in diverſis, detrahunt in contrariis: tum quia verbum ſcriptum ſuæ in cauſis fidei & morum ſufficientiæ ſic paſſim atteſtatur, ut omne verbum aliud non ſcriptum rejiciat, adeóque eo ipſo humanum eſſe declaret: tum quia verbo ſcripto nihil vel diverſum, vel contrarium addi poteſt; non *diverſum*, quia articuli fidei copulativi ſunt, & in ſolo fundamento fidei, quod Scripturis comprehenſum eſſe, negari nequit implicitè reliqua continentur; non *contrarium*, quia aliàs Spiritus Dei foret ita & non, Spiritus non ordinis, ſed confuſionis: tum quia verbum traditum πληροφορίαν ſeu certitudinem fidei gignere nequit, cùm notas certitudinis & Divinitatis nec in ſe, nec in authentica norma habeat; fido cuſtode deſtituitur; varietatem recipit; corruptioni obnoxium eſt; neque æqualiter omnibus fidelibus, ſed alia quidem omnibus, alia ſolis Epiſcopis tradita putantur, (quæ lata porta eſt ad obtrudendum omne genus mendaciorum ſub titulo traditionum) tum quia in V. T. traditionibus Divinis locus nullus fuit, Chriſto & Apoſtolis nullibi ad traditiones, ad verbum ſcriptum Moſis & Prophetarum ubique amandantibus: tum quia verbum aliquod Divinum ore duntaxat, & non ſcripto tradi, nec myſteriorum, quæ ſcribi non poſſint, ſublimitas, nec alia quæpiam cauſa poſtulavit: tum denique quæ ſint traditiones Divinæ, & quibus criteriis veræ à falſis diſcerni poſſint, quíſve earum ſit numerus, hactenus Hierarchici ipſi definire non ſuſtinuerunt. Par

ratio

ratio eſt *librorum Eccleſiaſticorum*, quos *Apocryphos* vocamus. Nam & iis comprehenſum verbum non Divinum ſed merè humanum eſſe, fidem certis argumentis fecimus. Cujuſmodi ſunt, quòd ſcripti non ſunt à Viris θεοπνεύστοις Divinitus inſpiratis, quorum ultimus in V. T. fuit Malachias, poſt quem Apocryphi plerique omnes ſcripti ſunt; quòd Eccleſiæ Judaicæ fideli, ad quam omne verbum Divinum pertinebat, traditi non ſunt, neque proin ab iiſdem accepti, vel à Chriſto & Apoſtolis commendati ſunt: quòd Eccleſia vetus Chriſtiana ſive Græca, ſive Latina eos in Canonicorum cenſu nunquam habuit, imò à propriè dictorum Canonicorum cenſu ad Concilium uſque Tridentinum excluſit: quòd iis ſuſpecta multa, frivola, ἀσύστατα, mendacia, impia, fabuloſa, magica comprehendantur. ut plura alia, alibi à me adverſus capitales veritatis hoſtes Redingium Abbatem, & Othonem Lojolitam, aſſerta ſilentio prætercam.

XIX. Dogma illud Traditionum Scripturæ æquiparatarum, blaſphemiam de imperfectione S. Scripturæ poſt ſe trahit neceſſariò. Pudet equidem blaſphemiæ hujus ipſoſmet Hierarchicos, qui ſubinde perfectionem Scripturæ verbis aſſerunt, adeòque agnoſcere videri volunt. Serarius enim *Proleg. cap.* 24. *q.* 1. ſic ſcribit: *Biblia eſſe ad ſalutem hominibus conciliandam perfecta & perfectiſſima, nulli negant Catholici.* Noviſſimè etiam Clerus Eccleſiæ Gallicanæ inter calumnias, de quibus apud Regem Chriſtianiſmum queſtus eſt, hanc *pag.* 19. retulit, quòd Pontificios Scripturam imperfectionis inſimulare noſtri ſcripſerint; quos inter allegat verba Georgii Dounami, Epiſcopi Dierenſis in libro, cui titulus, *Papa Antichriſtus*; ſic *pag.* 175. ſcribentis: *Sacras Scripturas cum Marcionitis imperfectionis arguunt & inſufficientiæ, quam certam eſſe notam hæreticorum Irenæus obſervavit.* Putares,

Inprimis Scripturæ perfectionem ſeu ſufficientiam oppugnantium. Fucus Cleri Gallicani noviſſimè congregati, Serarii, aliorum, qui Scripturæ perfectionem agnoſcere videri volunt, diſcutitur.

res, rem confectam eſſe, neque Scripturam ab Hierarchicis, ſed Hierachicos à noſtris blaſphemari. Sed fucum profectò Serarius; fucum ſe indignum Illuſtriſſimus ille Clerus facit. Latet in cauda venenum. *Præterquam,* inquit Serarius, *in hæreticorum ſenſu.* Quis autem, Lojolita, hæreticorum ille ſenſus eſt? Hic ſcilicet, Biblia eſſe perfecta relativè ad ſalutem; hoc eſt, uti ipſe explicat; *ita, ut ad res fidei nullo ſit opus verbo Dei non ſcripto, ſeu traditione; nulla omnino interpretatione authentica alia, nullo alio controverſiarum fidei judice, ſed omnia ſolæ per ſe ipſas efficiant Scripturæ, ſicque quoad efficientiam efficientiæque modum perfectæ ſint, ſeu ad totum ſalutis negotium propemodum per ſe ſufficientes. At iſte; ut dixi, Solus de Scripturæ perfectione ac ſufficientia ſenſus à Catholicis negatur.* Hæc Serarius. Negatur ergo à Catholicis illis, Scripturam ſine traditionibus ad ſalutem ſufficere; affirmatur, alia extra Scripturam ipſam, authentica interpretatione, alio controverſiarum fidei judice opus eſſe; negatur, Scripturas id efficere *per ſe ipſas*, hoc eſt, ad totum ſalutis negotium propemodum eſſe ſufficientes. Ubi latet in verbis *per ſe ipſas* ambiguitas. Si enim ſic intelligantur, quaſi Miniſterii in Eccleſia neceſſitas iis negaretur, calumniam continent: ſin, nullo alio, quod proponatur miniſterialiter, verbo opus eſſe, verum nobis ſenſum tribuunt; at ſuum inſimul de imperfectione Scripturæ ſenſum, ambiguis verbis, uti Sophiſtæ ſolent, palliatum pandunt. Id paucis demonſtremus.

XX. Initio quidem Serarius aliquam Scripturæ ſufficientiam tribuit; ſed eam poſt ita coarctat, ut vel Cœcus videre poſſit; Scripturæ ſufficientiam inſufficientem, & perfectionem imperfectam tribui. *Sunt*, inquit, *Biblia perfecta reſpectu rerum nobis ad ſalutem neceſſariarum*

duplici-

dupliciter. Primò quia omnia earum genera docent & monſtrant. Secundò, quia plures etiam res ſingulas. In explicatione generum illorum ſtatim ulcus doctrinæ ſuæ aperit, tandémque apertè pronunciat; Scripturas hoc ſenſu eſſe perfectas, *quia & quæ ad credendum, & quæ ad benè vivendum, neceſſaria ſunt dogmata & præcepta dant, nóſque ad Eccleſiam audiendam, traditiones Apoſtolicas, & Doctores Paſtoréſque noſtros obligant.* Si hoc ſibi Serarius vellet, quòd non obſtante eo, quòd in S. Bibliis cuncta ad ſalutem creditu factúque neceſſaria traduntur, teneantur ſinguli audire Paſtores & doctores, quos Deus in Eccleſia conſtituit, ut pro ratione temporum, locorum & perſonarum præcepta & dogmata ex Scripturis hauſta nobis applicent, jam res tranſacta eſſet. Sed aliud intendit, quòd ſcilicet Scriptura in pluribus quidem articulis ad ſalutem neceſſariis ſigillatim explicet, quid credendum, faciendúmve ſit; in aliis verò ſigillatim explicandis ſic deficiat, ut ii extra Scripturam quærendi ſint; ſed per generalem tamen Scripturæ ductum; quatenus videlicet, uti id Stapletonus *Relect. Princip. Fid. cap.* 5. *quæſt:* 5. *art.* 1. explicat, *Scriptura docens clarè & expreſsè, quæ ſit vera Eccleſia, & ejus authoritas aliáque principia fidei doctrinalia docet tanquam in radice & principio omnia ad fidem neceſſaria, quia per Eccleſiam cætera dicuntur, quæ Scriptura tacet.* Hæc illa Helena eſt, quam proci hi rapturiunt: hoc pigmentum, quo fœditatem blaſphemiæ, qua Scripturam S. afficiunt, tegere conantur. Scriptura iis ſufficiens eſt ad omnia ſalutis dogmata, quia ad illa omnia docet, Eccleſiam eſſe ſufficientem: perfecta eſt, quia ad perfectionem Eccleſiæ nos ablegat.

XXI. Atqui ſic haudquaquam evadunt, quò minùs juxta illos Scriptura ſit imperfectiſſima. Cùm enim juxta eos ejus perfectio in eo conſiſtat, quòd doceat, quæ ſit illa

Eccle-

Eccleſia, cui nos docendos tradere debemus, ſi id Scriptura facere non poteſt, certè manca & mutila erit. Stapletonus equidem ait, *Scripturam docere clarè & expreſsè, quæ ſit vera Eccleſia.* Sed quæ tum ille, tum alii de natura Scripturæ, Eccleſiæ & Traditionis diſputant, oſtendunt, ad id Scripturam non ſolùm ſufficientem non eſſe, ſed nec aptam, vel tantillum utilem. Ut Scriptura ſit principium credendi ratione noſtri, fieri per Hierarchicos non poteſt, niſi priùs id nobis Eccleſiæ teſtimonio conſtet. Teſtimonium autem Eccleſiæ non poteſt fidem facere, niſi id nobis certum ſit, verum eſſe & fide credendum, quicquid Eccleſia docet tanquam tale. Non ergo id per Scripturam nobis primò innoteſcit, cùm id certum eſſe debeat, priuſquàm credere quis poſſit, Scripturam eſſe Dei verbum. Hinc ſanè ſequitur, Scripturam per eos eſſe imperfectiſſimam; & articulum de Eccleſia & ejus authoritate aliunde nobis innoteſcere, priuſquam de eo fidem Scripturæ adhibere poſſimus. Tum ne ſic quidem, poſtquam ex Eccleſiæ teſtimonio Scripturæ αὐθεντία innotuit, *clarè & expreſſè*, quæ ſit vera Eccleſia, ex Scriptura nobis innoteſcit. Nullibi enim expreſsè habetur, vel Eccleſiam Romanam eſſe & manere perpetim veram Eccleſiam; vel ſolam eſſe veram Eccleſiam. Id enim ex conſequentiis quibuſdam deducendum erit, in quibus propoſitionibus quibuſdam extra Scripturam, quarum veritas ex ſenſu patebit, utendum erit. Unde ſequetur, ex ipſorum hypotheſibus, ex Scriptura non deduci concluſionem, quæ ſit de fide, quòd Romana præſens Eccleſia ſit vera Eccleſia, quam audire debemus, quia concluſio deteriorem partem ſequitur. Ut autem oſtendant id, quod de Eccleſia dicitur in Scriptura, ad Romanam Eccleſiam, quæ nunc eſt, pertinere, aliunde aſſumptio petenda erit. Proinde nec id Scriptura ſecundum eos apertè docet. Quomodo ergo, juxta eos, Scriptura

ptura perfectiſſima eſt, *quia omnia rerum ad ſalutem neceſſariarum genera docet & monſtrat?* Sed eſto etiam. Doceat Scriptura ſufficienter, quæ ſit vera Eccleſia, cujus in rebus fidei decretis ſtandum ſit. Sic certè Eccleſia perfecta erit perfectione illa relativa; Scriptura verò erit imperfectiſſima, utpote quæ non ipſa docet, ſed ad alium doctorem remittit, à quo ipſa pendeat, & ſine quo non ſolùm nullam apud nos authoritatem habebit, ſed etiam, poſtquam precariam aliquam obtinuerit, non poterit de multis nos certiores reddere, ſine quibus ſalus noſtra periclitabitur. Quomodo ergo ratione ſalutis noſtræ vel perfecta, vel perfectiſſima erit? *Implicitè*, regerunt, *quia etſi ipſa talia non habeat, oſtendit tamen, unde peti poſſint.* Sic ergo quilibet pauper dives erit *implicitè*, quia indicare poteſt, ubi divitiæ ſint: quilibet illiteratus doctus, quia oſtendere poteſt Academiam, in qua doctiores docent: is qui nutricem indicat, cujus ubera affluunt lacte, infantulo lac perfectè ſuppeditare dici poterit: is cibis abundabit, qui menſam opiparam & deliciis inſtructiſſimam oſtendit: denique Samaritana illa mulier, vel Johannes Baptiſta pleni fuerint gratia & veritate, qui oſtenderunt Meſſiam plenum gratia & veritate. Neque alia Scripturæ ſufficientia competet, quàm quæ literis fiduciariis, quibus jubetur quis fidem habere verbis illius, qui eas redditurus eſt, competit: imò minor etiam, quia ſupponitur, eum qui tales literas accipit, notam habere manum & ſigillum ejus, qui ſcribit; & fiduciariæ dicuntur, quia fidem conciliant ei, qui mandata ferre, & verbis ſuis exponere debet; cùm contra Pontificii vetent credere, quòd authoritas Eccleſiæ à Scriptura pendeat, & hujus potiùs authoritatem ab Eccleſiæ teſtimonio quoad nos totam ſuſpendant. Quorſum denique attinebat tot libros V. & N. T. conſcribi dictante Spiritu, cùm uno hoc verbo: *Audite Eccleſiam, ſeu Papam*

Romanum è Cathedra docentem; res tota Eccleſiæ committi & expediri potuerit.

Ipſi ſibi Sophiſta Scripturæ ſufficientiam diſertis verbis negantes, larvam detrahunt.

XXII. Quid verò multis? Cùm diù hoſtes Scripturæ heic lucem fugerunt, neque ſine nebulis & fallaciis in conſpectu hominum comparuerunt, tandem ſibi larvam detrahunt ipſi, verbum traditum, ceu ſpeciem oppoſitam, Scripturæ opponentes, & perfectionem Scripturæ palam oppugnantes. Roffenſis *art. 27. pag. 584. Falſum eſt*, inquit, *quòd omnia, quæ vel ad fidem pertinent, vel ad morum & operum legem, plenè ſint in Scripturis expoſita.* Cenſura Colonienſis *fol. 220.* apertè contendit, *Scripturam eſſe imperfectam, mutilam, mancam, quæ non contineat omnia, quæ ad fidem & mores piè vivendi pertinent.* Heſſelius *in Catech. pag. 44. Non hoc* ait, *egerunt Apoſtoli ſcribentes, ut totam fidei doctrinam ſcripto traderent, ſed pro neceſſitate nata, quod verbo erga abſentes præſtare non poterant, hoc literis egerunt, contenti ſatisfacere difficultati occurrenti.* Bellarminus *de Verbo Dei lib. iv. 3. Aſſerimus nos, in Scriptura non contineri expreſsè totam doctrinam neceſſariam, ſive de fide, ſive de moribus; & proinde præter verbum Dei ſcriptum requiri etiam non ſcriptum.* quibus poſterioribus verbis aperit, quid ſibi velit adverbium illud *expreſsè*. nempe non illud, quòd omnia fidei & morum dogmata totidem verbis in Scriptura non inveniantur, ſed per conſequentiam inde deducenda ſint; verùm quòd traditiones quædam non ſcriptæ dogmatis fidei & morum ſcriptis addendæ ſint. Per traditionem hanc non ſcriptam niſi ſtaret, nullæ apud eos Scripturæ momenti alicujus eſſent. Sic enim Lindanus *lib. de Optimo genere interpretandi, Præfat. pag. 9.* ſcribit: *Traditio Eccleſiaſtica omnis planè noſtræ Chriſtianæ religionis eſt puppis & prora, indubitatúmque ſalutis & caſtrum & propugnaculum: quòd ea ſalva, omnis doctrina Scripturarum,*

rarum; etiam perditarum, adeóque exuſtarum & deletarum, conſiſtat ſalva: quam Chriſtus ille Chriſtiano gregi à Chriſto Paſtore Doctor promiſſus non modò ſuggeret, ſed tuebitur etiam atque propugnabit, vero Chriſti ſenſu illuſtratam. In margine notat: *Salvo traditionis Apoſtolicæ fundamento nihil noxæ inferetur Eccleſiæ, licet aboleantur Scripturæ:* Addit paulò poſt: *Neque Princeps, neque primarium in Scripturarum ſalute poſitum eſt momentum.* Denique Pighius *Eccleſ. Hier. lib. i.* 4. ad traditiones potiùs quàm Scripturas provocandum eſſe contendit: *Cujus*, inquit, *doctrinæ ſi memores fuiſſemus, hæreticos non eſſe informandos ſeu convincendos ex Scripturis, meliore ſanè loco eſſent res noſtræ. Sed dum oſtentandi ingenii & eruditionis gratia cum Luthero in certamen deſcenditur Scripturarum, excitatum eſt hoc, quod proh dolor! videmus incendium.* Huic proin extinguendo incendio ex eo tempore nervos omnes intenderunt, ut Scripturæ omnem authoritatem & perfectionem derogarent, & ab earundem poſſeſſione & lectione ſuos viribus omnibus arcerent.

XXIII. Alia, neque minùs impia blaſphemia circa Scripturæ formam, ſeu genuinum ſenſum emergit. Etenim Scripturæ forma interior & anima in θεοπνευστῷ ſeu inſpiratione Divina, adeóque ſenſu ejus Divinitus inſpirato conſiſtit. Cúmque Scripturæ cujuſvis ſenſus, æquè atque forma, ei inſitus ſit; etiam Scripturæ Divinæ ſenſus eidem ceu anima quædam, inſitus ſit oportet. Qui ergo Scripturæ ſenſum aliunde arceſſunt, & ab humano ſenſu & arbitraria interpretatione ſuſpendunt, ii procul omni dubio Scripturam Divina inſpiratione & Divino ſenſu, qui ejus anima eſt, ſuo defraudant, & humano arbitrio Scripturam pro lubitu interpretanti & animanti, quod ſolius Spiritus Divini eſt, tribuunt; adeóque Scripturam, & in Scriptura Deum blaſphe-

Blaſphemia Hierarchicorum circa ſenſum Scripturæ, quem non ex Scriptura ipſa demonſtrandum; ſed humano Romanenſium arbitrio ei inſpirandum ſciſcunt.

blaſphemant. Hoc autem Hierarchicos facere palam eſt. Nam ſenſum Scripturæ apertè negant ex ipſa Scriptura per ſpiritualem δήλωσιν & demonſtrationem arceſſendum eſſe; aſſerúntque, non aliunde quàm ex Eccleſiæ, quæ hominum cœtus eſt, & verbum Dei ac ſenſum ejus non conſtituit, vel authenticè declarat, ſed ab eo conſtituitur, arbitrio & infallibili interpretatione arceſſendum eſſe. Tridentini enim *Seſſ. iv.* graviter vetant, *ne quiſquam Sacram Scripturam contra ſenſum, quem tenuit & tenet Sancta mater Eccleſia, cujus ſit judicare de vero ſenſu & interpretatione Scripturarum Sacrarum; aut etiam contra unanimem conſenſum Patrum, interpretari audeat.* Per *Sanctam matrem Eccleſiam*, intelligunt Eccleſiam Romanam, quæ particularis eſt. Planum ergo eſt, ſenſum Scripturæ ab hominum judicio ſuſpendi; ac ſine eo Scripturam, juxta definitionem Concilii, ſenſum nullum fundere: quin & humano illi judicio Divinitatem vendicari. Senſus enim Scripturæ Divinæ Divinus eſt. Cùm igitur à judicio interpretantis Eccleſiæ pendeat, ipſum etiam judicium hoc. Divinum ſenſum depromens, Divinum ſit oportet.

Criminantur iidem Scripturam, seu obſcuram, mancam, naſum cereum, literam mortuam, petram ſcandali &c. Pighii, Piſtavii, Pamelii, Baronii, Coſteri, Walenburgiorum blaſphemia.

XXIV. Ad cumulum blaſphemiarum accedit, quòd probaturi Hierarchici neceſſitatem Scripturæ per Eccleſiæ definitiones interpretandæ, ſibi temperare nequeunt, quò minùs multa adverſus Scripturam inclementer effutiant. Accuſant enim eam perfrictâ fronte ambiguitatis & obſcuritatis; adeò quidem ut eam, ceu fidei articulum, propugnent, & in reddendis obſcuritatis cauſis plurimùm deſudent. uti apud varios Theologos eorum Polemicos videre eſt. Sine traditione & ſententia Eccleſiæ eam & obſcuram eſſe, & ambiguam, & naſi cerei inſtar flexibilem, ſic Cardinalis Pighius *Hier. Eccl. lib. j. cap. 4.* & *lib. v. 3.* pertendit: *Demonſtramus authoritatem traditionis Eccleſiaſti-*

cleſiaſticæ magis idoneam, quàm Scripturarum, ad fidem certitudinémque faciendam in re dubia, etiam ubi id, de quo agitur, ex Scriptura conſtare poſſet. Cùm clarior ſit, & magis aperta, planéque inflexibilis communis Eccleſiæ ſententia, traditióque Eccleſiaſtica; cùm contra Scripturæ plurimum frequenter obſcuritatis habeant, & horſum illorſúmque, velut naſus cereus, trahi ſe permittant, & velut plumbeam quandam regulam applicari impiæ cujuſvis ſententiæ. In Concilio Tridentino Pictavius Scripturam dixit eſſe *rem inanimem atque mutam, eóque, ſicut reliquæ leges Politicæ, judicis voce animandam.* Pamelius ad Tertullianum *de Præſcript. num.* 237. Scripturam ipſe quoque vocat *naſum cereum, ad res profanas & impias probandas flexibiliorem & faciliorem, quàm facile eſt ex pedibus aut ſemipedibus, aut penthemineribus Virgilianis epithalamia, ſeu quidvis aliud congerere.* Baronius *ad A.* 34. *num.* 4. 215. Scripturam *lapidem offenſionis, petram ſcandali* eſſe affirmat omnibus iis, *qui non per oſtium* (hoc eſt, ex præſcripto Tridentinorum Patrum, veniam ab Epiſcopo impetratam) *ingreſſi, ſe ad legendos libros ſacros accinxerint.* quo horribili carmine Chriſtianos univerſos à Scripturis abſterrere conatur. Quomodo eadem blaſphemia Gregorius de Valentia *Annal. lib. iv.* 4. Scripturam *petram ſcandali* vocat, ad perdendos omnes eos, qui ea ſola nituntur. Coſterus *in Enchirid. cap.* eam ait eſſe *vaginam, quæ gladium chalybeum, plumbeum, ligneum perinde recipit.* Walenburgii *Controv. iv. num.* 26. blaſphemant, abſque Scripturæ interpretatione authentica per Eccleſiam, *nullam Rempublicam ſtultiùs conſtitui potuiſſe, quàm Chriſtianam;* & prædicationem Apoſtolorum non aliud, quàm *puerorum & pſittacorum, qui ſine mente dant & accipiunt ſonos, prædicationem* fuiſſe. Diceres, hos Scripturarum diabolos de Del-

 phicorum

phicorum oraculorum, aut Sybillinorum foliorum ambiguitate agere.

Criminationum harum cauſa.

XXV. Quòd Scripturam ſic ambiguitatis & obſcuritatis palam accuſant, mirandum equidem non eſt, quia nihil eorum in ea inveniunt, quæ ad defenſionem Papiſmi faciunt: ſúntque perobſcura, aut potiùs nulla præſidia, quæ ex Scriptura ad palliandos errores ſuos comminiſcuntur. Non enim ſi lynceos oculos haberent, in ea invocationem Sanctorum, ſucceſſionem Papæ in Apoſtolatum Petri, cultum imaginum, adorationem reliquiarum, ſacrificium Miſſæ &c. invenirent. Ad quæ ſtabilienda utcunque Scripturam naſi inſtar cerei, pro quo illam venditant, torqueant, flectant, inflectant, nihil tamen extorquent. Nec dubium eſt, quin Hierarchici de Scripturæ obſcuritate queſti, eam cupiant eſſe centuplo obſcuriorem, quotieſcunque errores Papiſmi evidenter jugulat, & tenebras, quas ipſi offuderunt, multa luce perfundit.

Blaſphemiæ adverſus Scripturæ finem.

XXVI. Reſtant blaſphemiæ adverſus Scripturæ *finem*, qui haud dubiè alius, Dei Scripturam inſpirantis & Eccleſiæ tradentis reſpectu, eſſe non potuit, quàm ut eſſet fidei vitæque noſtræ Canon ſive regula, adeóque etiam Controverſiarum omnium in Eccleſia oborientium arbitra & judex. Nam & disertè *κανὼν Canon* ſeu *regula* Gal. VI. 16. appellatur; & ad eam, ceu arbitram, ambigua litium fata dirempturam, omnes remittuntur, Eſaj. VIII. 20. Luc. XVI. 29. & *κρίνειν judicare* Joh. XII. 48. dicitur. Neque enim Scripturam & regulam, quatenus fidei & morum norma unica & amuſſis eſt: & ſimul judicem eſſe, quia fides, quæ veritatem recipit, nullam aliam judicis ſententiam audit vel novit, niſi demonſtrationem ex Scriptura: & nihil aliud in Eccleſia, in rebus fidei audiri debet, niſi revelatio Dei in Scriptura loquentis pugnat. Mitto argumenta *παλαιλαῖα*, quibus hoc fidei Chriſtianæ principium

à nobis

à nobis alibi corroboratum eſt. Qui ergo hac Scripturam prærogativa defraudat, & eandem in aliud verbum ἄδηλον, & juratum quendam hominum cœtum, vel ejus potiùs principem Papam transfert, is Scripturæ, quod ſuum eſt, eripit, & Divinum hoc πλεονέκτημα non-Deo tribuit, adeóque Scripturam γυμνῇ κεφαλῇ blaſphemat.

Canonem ſeu regulam eſſe, blaſphemè inficiantur,

XXVII. Hoc autem facere Hierarchicos, ne ipſi quidem inficias ire auſint. Quomodo enim norma, regula Divina eſſe poteſt, quod naſus cereus, regula Lesbia eſt? Quomodo Scriptura norma & judex fidei eſſe poteſt, ſi, quod Bellarminus *de Verbo Dei lib. iv.* 12. pronuntiat, *Scripturæ finis proprius & præcipuus non fuit, ut eſſet regula fidei, ſed ut eſſet commonitorium quoddam utile ad conſervandam & fovendam doctrinam ex prædicatione acceptam?* Si, quod ibidem mox ſtatuit, eſt *regula fidei non totalis ſed partialis?* Nam vel totalis fidei regula eſt; vel planè regula non eſt. Si enim fides noſtra eſt Scriptura latior, non poterit Scriptura eſſe fidei regula, quia regulam inter & regulatum æqualis fidei certitudo intercedat oportet; & regula quævis, nec oppoſitionem, nec diminutionem patitur. Nam judice Chryſoſtomo *in Epiſt. ad Phil. homil.* 12. Ὁ κανὼν οὔτε πρόσθεσιν, οὔτε ἀφαίρεσιν δέχεται, ἐπεὶ τὸ κανὼν εἶναι ἀπόλλυσι. *Regula neque additionem, neque ablationem recipit, alioquin enim regula non eſſet.* Varinus in voce κανὼν conſentit, inquiens: Κανών ἐστι νόμος ἀπαράβατος, ἢ μέτρον ἀδιάψευστον, πᾶσαν πρόσθεσιν καὶ ἀφαίρεσιν μηδαμῶς ἐπιδεχόμενος. *Regula*, ſeu *Canon eſt lex perpetua, & menſura fallere & falli neſcia, quæ nec additionem nec ablationem ullo modo recipit.* Poſſent ex S. Patribus, graviſſimè hoc urgentibus plurima afferri.

Eidem judicis partes abrogant, & in Papam transferunt.

XXVIII. Pari protervia Scripturæ partes judicis Hierarchici abjudicant, ut illas Papæ, terreſtri judici, vindicent. dixerit licet Optatus Milevitanus *lib. v. contra Parmen*,

cùm judicem ex Cælo petendum eſſe, rectè Optatus Milevitanus ſtatuerit, & in Scriptura Cæleſti eundem oſtenderit.

men. veriſſimè, *in terris* de rebus fidei ***nullum poſſe reperiri judicium; de Cælo quærendum eſſe judicem. Sed ut quid pulſamus***, inquit, ***ad Cælum, cùm hic habeamus in Evangelio teſtamentum.*** Sed alia nunc tempora vivimus. Papæ enim libuit omne ad ſe & cathedram ſuam judicium contrahere, tum ut textus Scripturæ manifeſtos, quibus ejus idololatria, hæreſes & tyrannis oppugnantur, ſuæ interpretationis judicio ſic inflectere poſſit, quò ſuis rationibus inſervire cogantur: tum ut, ubi prorſus ſilet Scriptura, è latebris vel ſcrinio pectoris Papalis extrahatur non ſcripta traditio pari pietatis affectu cum Scriptura ſuſcipienda, quæ ceu alter gladius Alexandri nodum ſecet, vel hoc quoque deficiente ſtet pro ratione voluntas, & judicis terrore ad Harpocraticum ſilentium partes adigantur.

Bellarmini de judice Controverſiarum diſputatio, ex qua, Hierarchicos Spiritui S. in Scriptura loquenti judicium omne Divinum abdicare, & Papæ ſoli aſſerere, oſtenditur.

XXIX. Bellarminus *de Verbo Dei lib. iij.* 3. de judice controverſiarum, & authentico Scripturæ Interprete diſputans, ſic progreditur: *Convenit inter nos & adverſarios, Scripturas debere intelligi eo Spiritu, quo factæ ſunt, hoc eſt, Spiritu S. Tota igitur quæſtio eſt, ubi ſit iſte Spiritus? Nos* (Catholici Romanenſes) *exiſtimamus, hunc Spiritum, etſi multis privatis hominibus ſæpe conceditur, tamen certò inveniri in Eccleſia, hoc eſt, in Concilio Epiſcoporum confirmato à ſummo Pontifice Paſtore, ſive in ſummo Paſtore cum Concilio aliorum Paſtorum. Ideo dicimus, judicem veri ſenſus Scripturæ & omnium controverſiarum eſſe Eccleſiam, hoc eſt, Pontificem cum Concilio, in quo omnes Catholici conveniunt. At hæretici omnes hujus temporis docent, Spiritum S. Scripturæ interpretem alligatum non eſſe Epiſcopis, vel ulli hominum generi &c.* Non igitur Spiritus S. ei judex eſt Summus, prout in Scriptura loquitur, & ſententiam ferre ex ipſa Scriptura, miniſteriali diſcretionis judicio à tota Eccleſia

& ſin-

& ſingulis fidelibus demonſtratur: ſed prout loquitur in Eccleſia, & per eam, ſeu potiùs in Papa, & per eum, in quem omnia denique reſolvuntur: ita ut ſolum Papæ dictum & oraculum, ſive demonſtratum ex Scripturis, ſive non, habendum ſit pro infallibili judicio, controverſias omnes dirimente, & conſcientias ad fidem definitionibus ſuis habendam obſtringente. Annon hoc eſt Spiritum S. judicem à Scriptura, in qua loquitur & ſententiam fert, abſtrahere, & Papæ, hominis Itali talis qualis, certè Scripturam non amantis, niſi quatenus eam concupiſcentiis ſuis inſervire cogit, ſervituti mancipare? Etenim veræ Eccleſiæ & ſingulis ejus membris Spiritum S. ſic affulgere, ut ejus gratia illuminatis oculis videant in Scripturis magnalia Dei, & genuinum earundem ſenſum percipiant, atque tum ſibi, tum aliis eum demonſtrent; denique judicium ejus in Scripturis propoſitum ſequantur, ultro equidem fatemur. At Eccleſiam, hoc eſt, Papam cum Concilio, vel ſine eo, ſic Spiritum S. ceu peculium quoddam poſſidere, ut dicta quævis, ſive ex Scripturis demonſtrata, ſive non; velut ab eo procedentia pro authoritate & imperio fidelibus, ceu ſubditis ſuis dictare poſſit, atque illi ſic pro imperio dictata ἀδοκιμάστως & cœca quadam obedientia, haud aliter ac ipſius Dei effata recipere & exoſculari teneantur; hoc inquam, eſt, Scripturæ, ſeu Spiritui S. in Scriptura loquenti & definienti judicium omne Divinum abdicare, & in hominem vel cœtum quempiam juratum, monopolium hoc Spiritus S. non pretio, ſed vi rapientem, & ſolo nutu, non demonſtratione neceſſaria, fidei dominantem non ſine blaſphemia atrociſſima, transferre.

XXX. Viderint ergo Walenburgii, annon Deo hominibúſque imponere conentur, quando *Compend. Controv. cap. 7. §. 5.* ſic loquuntur: *Hinc patet, quanta injuſtitia accuſetur Eccleſia Romano-Catholica, quaſi homines con-*

Walenburgiorum fradulenta exceptio diluitur.

ſtitueret judices Dei, & verbi ipſius; quaſi homines ſupra S. Scripturæ authoritatem extolleret; cùm Spiritui S. in Eccleſia præſenti Paſtoribus tanquam organis ſuis utenti, & ſenſum ſuum fidelibus aperienti eam authoritatem tribuat. Aliud enim longè eſt dicere, Spiritum S. Eccleſiæ & fidelibus omnibus adeſſe, & tum immediatè, tum mediantibus Miniſtris ſenſum Scripturæ ejuſdem gratia perceptum non dictantibus, vel conſcientiis liberis obtrudentibus; ſed ex ipſa Scriptura demonſtrantibus, adeóque ex ipſa Scriptura aperire: aliud, dicere, Spiritum S. ſic Eccleſiæ non univerſæ, nedum ſingulis fidelibus, ſed repræſentativæ duntaxat, quæ calculis rite ſubductis in ſolo denique Papa conſiſtit, adeſſe & præeſſe, ut ſenſum ſuum per Paſtores tanquam organa, vel potiùs per ſolum Papam non organicè ſe, ſenſum Scripturæ ex ipſa Scriptura, eruendo & demonſtrando, gerentem, ſed αὐτοκρατορικῶς proprio motu & ex plenitudine poteſtatis ſine ulla inſtitutione & demonſtratione ſolida, definientem, dictantem, & ad obſequium ſoli Spiritui S. debitum, ſine examine prævio definitionum ſuarum obligantem, aperiat. Illud dicere Chriſtianum; hoc Antichriſtianum & Babylonicum eſt. Illud fidem hominum ſoli Spiritui S. hoc homini uni, quem dicta & facta Spiritus S. expertem teſtantur, ſubjicit: illud Dei, hoc hominum in fide ſervos facit.

Prætextus impius Scriptura Divinum judicium abrogantium. Gretſeri concepta blaſphemia.

XXXI. Scripturæ Sacræ Divinum judicium abrogantium πρόφασις eſt, quòd Spiritus S. in ea viſibiliter præſens non ſit, ut proferat ſententiam, adeóque ſic judicis munere defungatur. Hinc petulans illa & blaſphema inſultatio, qua Jeſuita Gretſerus in Ratisbonenſi Colloquio *ſeſſ. ix. pag.* 292. os ſuum in Cœlum aperuit, atque ſic Spiritui S. & Scripturæ inſultavit: *Sumus in conſpectu Sacræ Scripturæ & Spiritus S. Pronuntiet ſententiam, & ſi dicat: Tu Gretſere, malè ſentis, cecidiſti cauſa Tua; Tu Jacobe Heil-*

Heilbrunnere viciſti: tunc ego ſtatim tranſibo ad veſtrum ſcammum. Adſit, adſit, adſit, & condemnet me. Et poſtea: *Si poteſt, hoc faciat Spiritus S. in præſentia, ut omnes evidenter audiant, me errare. Sed non poteſt. Ergo non eſt judex, qualem Vos dicitis.* Non thraſonicè magis impius Lamechus ſuis mulieribus; quàm impurus hic Lojolita ipſi Spiritui S. & Scripturæ inſultavit. Ille abſentis Papæ ſui, ceu Judicis in terris Supremi, bullis & reſcriptis haud ægrè fidem ſubſtringit. At Spiritus S. præſentiſſimi & verbo ſuo inſpiratione ejuſdem ab hominibus θεηλάτως ſcripto animam hominis potentiſſimè efficaciſſimè & ſuaviſſimè alloquentis judicio fidem habere ſe poſſe negat, niſi Lojolitico ore pronuntiet, eum cauſa ſua vel ſtare vel cadere. O blaſphemiam inexpiabilem! Quantò verecundiores melioréſque fuerunt Judæi quamvis infideles, quorum nulli certè in mentem venit, ut Chriſto ad eos dicenti: *Si crederetis Moſi, crederetis etiam mihi; de me enim ille ſcripſit.* Item: *Eſt qui Vos accuſat Moſes, in quo vos ſperatis,* Joh. v. 45. 46. 47. ſimili blaſphemia obſtreperet: *Accuſet me Moſes. En librum Moſis. Loquatur Moſes & dicat: Tu Judæe, malè facis, quòd Jeſum pro Chriſto non habes. Adſit, adſit, adſit Moſes, & condemnet me. Sed non poteſt. Ergo non eſt judex.* Tanta blaſphemandi libido nondum verpas pervicaciſſimas licet inceſſerat.

XXXII. Viderint denique Hierarchici, annon blaſphemiam manifeſtam ſpiret impium illud ſcomma, quo Spiritum S. per verbum Eccleſiam & fideles omnes docentem, qui eſt Spiritus gratiæ & revelationis 1. Cor. 11. 10. 1. Joh. 11. 27. tanquam Spiritum *privatum*, ſeu ἰδιογνώμονα ex proprio arbitratu & ſenſu de rebus fidei ſtatuentem, traducere & irridere palam ſolent. Ille ſcilicet Spiritus, qui non toti Eccleſiæ, nec omnibus fidelibus, ſed factioni Pa-

Scomma objecti privati Spiritus retunditur.

pæ & Concilii privatim & ſeorſim, ſolo afflatu, ſine ulla demonſtratione verbi, revelat docenda, & à verbo ac lege Dei ad verbum & legem humanam ſeducit; qui nec ab omnibus explorari, nec juxta eam regulam, quæ omnibus tradita eſt, ſe Spiritum lucis omni conſcientiæ probare poteſt; *Spiritus Dei*, Spiritus *publicus* eſt. Ille contra Spiritus, qui ad verbum Dei adducit, & verum ejuſdem ſenſum non prætoria poteſtate dictat, ſed demonſtrat & ab omni conſcientia explorari poteſt; quique id præſtat erga fideles omnes; eo ſolo nomine, quòd ad amuſſim Papalis Spiritus verè ἀδηλῳ factus non eſt, privatus & ἰδίας θελήσεως eſt! Atqui ii, qui credunt Scripturis, habent eundem Spiritum, quem habuerunt Sancti Dei homines, per quos Deus locutus eſt; & eſt idem quoad *donum fidei* & manifeſtationem veritatis ad omnes credentes. uti ſupra etiam oſtendimus. Sed qui Papam privatim afflat & alloquitur, & alios ſubjicit in obſequium Papæ, quoad operationem fidei non eſt idem omnibus, & in omnibus. adeóque verè privatus & Enthuſiaſticus eſt.

Blaſphemiæ adverſus Tabernaculum Dei, Chriſtum ex erroribus Hierarchicorum tyrannici cognoſcuntur.

XXXIII. Hactenus fuerunt blaſphemiæ adverſus *Nomen Dei*. Sequuntur blaſphemiæ adveſus *Tabernaculum Dei*, Chriſtum caput, & Eccleſiam corpus ejus. in quo utroque Deus habitat. Blaſphemias adverſus Chriſtum errores Hierarchicorum Tyrannici, in officium ejus triplex Propheticum, Sacerdotale & Regium; nec non idololatrici, in officium ejuſdem Mediatorium univerſum arietantes, & Diſſertatione Undecima tota fusè & ex vero demonſtrati propalant. Omnes enim errores illi Chriſto Tabernaculo Dei, quod ſuum eſt, ſacrilegè auferunt, & in illud Vice-Dei ſeu Vice-Chriſti idolum conferunt. Tot ergo hic blaphemiarum adverſus Chriſtum, quot errorum illorum genera conſtitui poſſunt. Potiſſima illa ſunt: quòd Chriſtus non ſolus ſit Eccleſiæ caput & fundamentum, Media-

Digitized by Google

Mediator, Paracletus, Salvator: quòd habeat Regnum aſpectabile: quòd ſit ἐν τιμείῳ: quòd velit in *Maozim*, arcibus coli: quòd non invenerit ſufficientem ἀπολύτρωσιν *redemptionem*, utpote quæ ſacrificiis continuis, ſatisfactionibus, meritis perfici debeat. Quæ & plura ejuſmodi alia ſuperiùs deditâ operâ proſecuti, repetere hoc loco ſuperſedemus.

XXXIV. Poſſent Hierarchicorum apertè blaſphemæ adverſus Chriſtum voces notari. Sic enim Leo X. ad Cardinalem Bembum *fabulas de Chriſto* muſſavit. Thomas Aquinas *Opuſc.* 21. *cap.* 10. Chriſtum *importunum* vocare non erubuit. Cardinalis Bellarminus *de Monach. cap.* 45. eundem *Mendici* convitio proſcindit: Sed & *indiſcretum* Bertrandus *in Extravag. Bonif. VIII. de Majorit.* appellat. Nicolaus IV. *Cap. Exiit, de verb. ſignif. in ſexto* Chriſtum & Franciſcum comparans, *Chriſtum* ait *habuiſſe quædam infirma, quibus Franciſcus caruerit. Fugiſſe enim eum, & loculos habuiſſe, quæ duo à Franciſco abfuerint.* Faciunt huc comparationes impiæ Chriſti cum Deipara, Franciſco & aliis, in quibus toties palma Mariæ & Franciſco, depreſſo Chriſto, delata eſt. Nonnulla ſuperiùs quoque hanc in rem attulimus.

nec non ex apertis dicteriis Leonis X. Bellarmini, Bertrandi, Nicolai V. &c.

XXXV. Adverſus *Eccleſiam*, quæ corpus Chriſti, & eatenus quoque tabernaculum & domus Dei viventis eſt, Hierarchicorum blaſphemiæ ſi non graviores, certè apertiores & ferociores ſunt. Eccleſiam intelligo, quæ ab iis ſeparata, Eccleſiæ Romanæ jugum excuſſit, Vice-Deatum Papæ ejuravit, dominationi, tyrannidi, idololatriæ & capitalibus ejus erroribus nuntium remiſit, denique humana omni in cauſa fidei authoritate, legibus, judiciis abdicatis, ſe totam ad normam verbi Divini, ejúſque ſcripti (quia extra illam revelatio Divina certa in mundo nulla extat) compoſuit, denique πᾶν νόημα *omnem cogitationem*, omnem fi-

Blaſphemiæ adverſus tabernaculum Dei, Eccleſiam, quam vel nullam Chriſtus in mundo habet, vel eam habet, quæ vocem ejus audit, & doctrinam ſuam verbo ejus conſervat.

 dem

dem ſuam in obſequitum Chriſti captivam redegit. Quæ non ideo non eſt vera Chriſti Eccleſia, quia eam talem eſſe Hierarchici perfricta fronte & præfracta mente negant, & horribilibus maledictis proſcindunt. Nam vel nullam in mundo Chriſtus habet veram Eccleſiam: vel eam veram Eccleſiam habet, quæ vocem ejus, qualis extra Scripturam nulla hodie extat, audit, eum ſequitur, ſe ipſam abnegat, animas ſuas in bonis operibus Chriſto committit, & in patientia tribulationem, ac ſub cruce ſe humilians fraternæ ædificationi ſtudet. quam in mundo contemptam licet & blaſphemiis eorum, qui mundum in Eccelſiam invexerunt, appetitam, ſic Chriſtus, primus & ultimus, qui mortuus eſt & revixit, Apoc. II. 9. alloquitur: *Novi opera tua, & afflictionem & paupertatem* (qualis non Hierarchicorum eſt, Regalibus opibus affluentium, ſed eorum, qui per Regia edicta bonis ſuis ſpoliantur, pauperum de Lugduno, Geuſiorum &c.) *ſed dives es: & blaſphemiam eorum, qui ſe dicunt Judæos eſſe* (Chriſtum confitentur verbis) *& non ſunt, & Synagoga Sathanæ.*

Blaſphemiæ Eccleſiæ communes. Calumniæ adverſus Waldenſes atroces notata;

XXXVI. Quotquot ergo piè in mundo vivere, & ſoli Deo inſervire volunt, ab Hierarchicis blaſphemè Hæretici, Schiſmatici, Novatores, impii, ſacrilegi, Dei & Sanctorum contemptores, omnis Divini cultus hoſtes, Reipublicæ peſtes, quibus ſalvis eam ſubverti neceſſe ſit, purgamenta mundi, diris & anathematis ex Eccleſia, imò ſocietate hominum ad tartara ablegandi, & quid non audiunt? Vix Waldenſes quondam caput extulerunt, & imbellia ſua caſtra Romanæ tyrannidi oppoſuerunt, cùm Pontificiorum Fraterculorum mendicabula, de quibus id dici meritò poteſt, quod de Græcorum gente Cicero pro Flacco dixit: *Teſtimoniorum religionem & fidem nunquam iſta natio coluit;* eos aggreſſi blaſphemiis & calumniis obruerunt, ne ſic infamatis & ſideratis alii ſe aſſocia-

ſociarent. Parùm erat, eos *hæreticorum* in cenſu reponere. Cùm in Euangelii hiſtoria maximâ infamiâ laboraverint Publicani, horum ergo nomine eos palam traducere placuit. Sic enim Rodulphus Cogeshalenſis Monachus, Anglus, in Hiſtoria ſua Ms. de iis ſcribit: *Temporibus Ludovici Regis Franciæ, qui genuit Philippum, cùm error quorundam hæreticorum* (Waldenſes innuit) *qui vulgò appellantur Publicani, per plures Galliæ Provincias proſerperet*, &c. Veris quibuſdam eorum dogmatis nonnullis proditis, ſubjicit idem: *Ajunt alii (* qui *de eorum ſecretis inveſtigârunt) quòd iſti non credunt, Deum res humanas curare: nec aliquam diſpoſitionem vel potentiam in terrenis creaturis exercere; ſed Apoſtolum Angelum, quem & Luſabel nominant, univerſæ creaturæ corporali præſidere, & ad nutum ejus cuncta terrena diſponi. Corpus à diabolo dicunt formari; Animam verò à Deo creari, & corporibus infundi. Unde fit ut ſemper quædam pertinax pugna inter corpus & animam geratur. Dicunt etiam nonnulli, quòd in ſubterraneis ſuis quædam nefanda ſacrificia Lucifero ſuo, temporibus agant conſtitutis, & quaſdam ſacrilegas turpitudines operentur.* Imperatorem à Papa non dependere, conſtanter prædicârunt. Ergo duo eos ſtatuere principia, adeóque *Manichæos* eſſe, Monachi proclamârunt. Cruſtam farinaceam in Chriſti corpus converſam eſſe, iidem validè negârunt. Ergo *Arianos* eſſe, negantes Divinitatem Chriſti, iidem aſſeruerunt. Taceo pluſquam Diabolicas accuſationes de inceſtis pollutionibus, uſu mulierum promiſcuo, adoratione barbarum, odio & contemptu Magiſtratuum, rejectione Veteris Teſtamenti, Pædobaptiſmi, juramenti, conjugii, reſurrectionis corporum &c. qualia ex Rogerio in Annalibus Angliæ Baronium *ad A. C.* 1176. *num.* 3. &c. & ex Guidone Perpiniano Carmelita,

ta, Antonino Florentino Archiepiſcopo Ganderum *Monarch. Viſ. lib. vij. A.* 1198. Coccium *Theſaur. Tom. j. lib. viij. art.* 3. denique ex Gabriele Prateolo & Bernhardo Lutzenburgio Rob. Parſonium *de tribus Angliæ converſionibus p.* 11. *cap.* 10. *ſſ.* 26. 27. ad invidiam innocentibus conflandam corradere non puduit. Quarum ſimiliúmque blaſphemiarum & accuſationum vanitatem poſt alios viri Celeberrimi, Rainoldus adverſus Vincentium & Bel foreſtum *de Idolol. Eccl. Rom. lib. j. cap.* 5. 31. Uſſerius Armachanus *de Chriſt. Eccl. Succeſſ. cap.* 6. colliſis invicem nefariis eorum maledictis, & expenſis ſigillatim calumniis apertam in lucem protulerunt.

...nto non adverſus quoſcunque pietate, zelo, eruditione Romanæ Curiæ ſuſpectos. quos ilico hæreticorum in numerum retulit.

XXXVII. Ex propriis Papæ paludibus vix enatavit quiſquam paulò liberalioris oris aut *ingenii, qui non ſub hæretici* ferè titulo inſignem per calumniam & *blaſphemiam* pipulo differretur. Hæreticus iis audit Petrus Abailardus. Quare? In Philoſophicis ſcilicet erat aliquantò limatior, in Poëticis politior, in Theologicis liberior. quæ ad hæreſeos calumniam ſufficiunt. Hæreticus & Magus audiebat Robertus Bacon. Quo errore? Mathematicus erat, & in linguis paulò verſatior & acutior cæteris, quorum ſubinde ſtupendam inſcitiam vellicat. quod ſatis erat ad hæreſin. Hæreticus erat & Simoniacus Henricus IV. Imperator, & cum eo Henriciani omnes. Quæ cauſa hæreſeos? Papæ de temporali poteſtate & inveſtituris controverſiam movebant. Hæreticus erat Arnoldus Brixienſis Epiſcopus. Quo jure? In clero civilem adminiſtrationem improbavit. Hæreticus erat Hieronymus Savanarola Florentinus, piacularibus flammis conſumptus. Quis prætextus hæreſeos erat? Negavit primatum Papæ, indulgentias damnavit, cleri ſcandala liberiùs paulò perſtrinxit. Hæreticum erat, Claudio Eſpencæo teſte, Hebraicè ſcire. Quamobrem verò? Timebant barbarici ſuæ ex fontibus cognitis.

Digitized by Google

cognitis. Hæreticus & excommunicatus moriebatur Robertus Groſtedus Lincolnienſis Epiſcopus, Doctorum Seculi ſui facilè princeps. Quæ πρόφασις hæreſeos? Faſtui & tyrannidi Papæ erat paulò infenſior, neque dubitavit Beſtiæ in os contradicere.

XXXVIII. Quid verò cicatricibus illis pridem obductis vulnera refrico? Poſt Reformationem quibus non blaſphemiis Reformatores & confeſſores ipſos ob attrectatam oculi Papæ pupillam; quibus non doctrinam Euangelicæ Eccleſiæ lacerârunt? Lutherum à Diabolo fuiſſe ſuffocatum, atque à ſuis, quos à putreſcente & moriente cadavere fœtorem abegiſſe fingunt, in foſſam injectum relictúmque mentiti ſunt. Heroicus tamen ille Chriſti athleta, quando talia Monachi propalârunt, & vivebat, & valebat, & poſt dentatis ſcriptis ipſe calumniam ſepeliebat. Calvino ut apud incautiores infamiam conciliarent, conductitium quoddam & venale mancipium ſubornârunt, Hieronymum Bolſecum, qui quicquid irritata Sathanæ virulentia ſuggerere potuit, chartis illevit, & in ejus ignominiam evomuit. Cujus vomitum nuper Maimburgius homo ex mendaciis conſutus, ſorpſit, & ſorptum denuo expulit tanta blaſphemandi libidine, ut non puduerit in plena luce de Calvino aliiſque ſplendidiſſimè quidvis mentiri. Cataphracti hac impudentiæ panoplia prodierunt contra Lutherum Cochlæus, Sleidanum Laurentius Surius, Reginam Eliſabetham Sanderus & Parſonius; Jacobum Regem Jeſuitæ Gretſerus, Leſſius, Becanus, Coffeteau, Coquæus; & ſatelles eorum Sciopius. Denique nullus ferè noſtrûm caput inter ſidera condens, Papæ ulcera contrectavit, quem portentoſis apud ſuos mendaciis dehoneſtare conati non fuerint. De calumniatoribus doctrinæ & vitæ ſuæ Zwinglius *Oper. Tom.* 1. *pag.* 148. ad Cantones Bernæ congregatos multa queſtus, inter alia ſic

adverſus Reformatores Eccleſiæ, Lutherum, Zwinglium, Calvinum, Bezam, Junium &c. Eccleſias integras, Genevenſem, Anglicanam, Helveticam.

ſcripſit: *Sunt qui hoc ipſo anno quatuor liberos illegitimo thoro natos me genuiſſe dicant. Sunt qui noctu per plateas canentem, & aliis Muſicis inſtrumentis ludentem diſcurrere aſſerant. Sunt qui aleæ plus nimio deditum, & publicum ſcortatorem una cum reliquis lenonum proſtibula frequentare tradant. Sunt rurſus, qui Principum muneribus corruptum omnia turbare jactitent. Quæ & ipſa mendaciſſimorum hominum figmenta & calumnias impudentes eſſe reſpondemus. Quod ipſum quoque veris teſtibus probare poſſumus.* Alia horribilia longè magis poſt mortem ejus de Viro Sancto, nulla ſpecie veri, ſola blaſphemandi Diabolica libidine, de eo in vulgus ſparſerunt. Beza, ſi Diabolis his credimus, fuit pæderaſtes; ſepultus Romano-Catholicus ſeptennio priùs quàm moriebatur. Franciſcus Junius pede ungulato deformis. Iſaaci Caſauboni pater, qui eodem loco, quo fidum Dei miniſtrum agebat, placidè obdormivit, ita mentiuntur illi, ceu nequam patibulo affixus eſt. Recentiſſima velut in cumulum afferre poſſem; ac me ipſum forte indignum licet, qui huic peplo inſerar, quem ante plures annos mortuum, ex inferno cum ignitis manibus domeſticis meis comparuiſſe, Miſſæque reſtitutionem ſuaſiſſe (nam niſi ab infernali titione ſuaderi nequit) ſacrificuli mendaciorum architecti pro ſuggeſtu putidiſſimè declamârunt. Taceo Eccleſias integras, infamatas; Anglicanas inprimis à Sandero; Helveticam, à Gothardo, Gretſero; Genevenſem, aliáſque, de quibus non tam publicè quàm privatim in Confeſſionum arcano ſuggeſtu infanda miſeris & cœcis confeſſoribus ſuis ſuggerentes, atque inter illa hoc cumprimis, quòd Geneva omnium facinoroſorum latibulum ſit (quod credentibus quibuſdam Hiſpanis, aliis peſſimè ceſſit, aliis converſionem maturavit) Eduinus Santes *de Statu Relig. cap.* 37. non pauca memoratu digniſſima prodidit.

Sit

Digitized by Google

Sic planè pugnat; ſic eſt metuendus Ulyſſes.
Sic Ethnicum illud pro πανουργίᾳ ſua veteratoriè accommodant: *Calumniare audacter. Semper aliquid hæret,* ut noctuas ſuas à luce abſtrahant, ne Scripturas legant conciones audiant, rationes penſitent, & perſpectis Beſtiæ maculis ocyùs Babyloni nuntium mittant!

XXXIX. Doctrinam ipſam Eccleſiæ, ex verbi Divini penetralibus depromptam licet, quibus non blaſphemiis illi inceſſunt? Quærit Bailius, Lojolæ pullus, in Prooemio Catechiſmi: *Quid judicas de Religione, quam prætendunt Reformati noſtri?* Reſpondet Catholicus Papiſta: *Hanc equo Trojano ſimilem cenſeo, utpote cujus lateri includitur maxima pars hæreſium antiquatarum. Crambem eſſe recoctam juxta Proverbium, repetitionem multorum errorum, qui antecedentibus Seculis viguêre. Corniculam Horatianam, quæ plumis veterum hæreſiarcharum ornata gloriatur.* Specimina nonnulla in medium proferre libet. Cum S. Scriptura fide, & non niſi fide, adeóque ſolâ peccatorem juſtificari profitemur. Ergo Bailio ſumus Eunomiani. Peccatorem irregenitum eſſe mortuum in peccatis, adeóque deſtitutum viribus liberi arbitrii in ſpiritualibus, aſſerimus. Ergo ſumus Simonis Magi aſſeclæ. Conciliorum definitiones ſic conſcientias obligare, ut iis non exploratis ad verbi Divini regulam, aſſentiendum ſit, negamus. Ergo ſumus Neſtoriani. Traditiones, ſeu dogmata non ſcripta ex verbo Dei rejicimus. Ergo ſumus Sadducæi. Soli Deo peccata neceſſariò confitenda eſſe, cum Davide & Sanctis quibuſque credimus. Ergo ſumus Novatiani. Fidelium liberos ἀβαπτίστους ob prærogativam fœderis cum Scriptura ſalvari poſſe, pronuntiamus. Ergo ſumus Pelagiani. Confirmationem Sacramentum eſſe negamus, quia nuſpiam ei Sacramenti requiſita S. literæ conferunt. Ergo Novatiani iterum ſumus. Aquæ bene-

Doctrinam inprimis Evangelicorum, quam verbo Dei conformem licet, obſoletarum hæreſium conviciis ſpurciſſimis aſpergunt.

benedictæ inſitam eſſe vim ſpiritualem negamus. Ergo ſumus Flagellantes, hoc eſt, Papiſtæ. Monaſteria hodie eſſe ignaviæ domicilia dicimus. Ergo ſumus Petiliani aſſeclæ. Eccleſiæ Miniſtris liberum eſſe matrimonii uſum cum S. Paulo pronuntiamus. Ergo ſumus Circumcelliones. Cardinalium, Archiepiſcoporum, Epiſcoporum Prælaturam Divini juris eſſe, Miſſæ hiſtrioniam à Chriſto eſſe inſtitutam negamus. Ergo ſumus Acephali. Carnem Chriſti in Sacramento corporaliter præſentem, oraliter manducandam eſſe, cum Chriſto ipſo inficiamur. Ergo ſumus Capernaitæ. Exorciſmorum poſt expirans chariſma Divinum nullum eſſe uſum, ex re ipſa conficimus. Ergo ſumus Ulpiani Ethnici aſſeclæ. Satisfactiones proprias vel alienas humanas Chriſti ſatisfactioni derogare pertendimus. Ergo ſumus Audiani. Licere poſt divortium legitimum ad ſecunda vota tranſire, cum Chriſto & S. Paulo aſſerimus. Ergo ſumus Ebionitæ. Omnia peccata eſſe mortalia, cum eodem S. Paulo ſtatuimus. Ergo ſumus Pelagiani. Dei circa peccatum providentiam eſſe efficacem cum Scriptura docemus. Ergo ſumus Floriniani, & Deum eſſe authorem peccati, blaſphemamus. Matrimonium Sacramentum eſſe, nulli agnoſcimus, quia proprietatibus Sacramenti deſtituitur. Ergo ſumus Carpocratiani, Gnoſtici. Crucis ſigno efficaciam quandam ſpiritualem ineſſe negamus. Ergo ſumus Meſſaliani. Cleri Romani corruptos mores improbamus. Ergo ſumus Donatiſtæ. Et quid non? Ferri æquiore animo hæ poterant blaſphemiæ Hierarchicorum, qui ipſi deploratiſſimis hæreſibus ſcatent toti, niſi per latus Eccleſiæ Deum viventem, & κυρίας illas δόξας in verbo ſuo clariſſimè docentem horribiliter ferirent. Accedunt blaſphemiæ illæ, quibus per calumnias Eccleſiis noſtris ejuſmodi dogmata, à quibus planè illæ abhorrent, impingere Hierarchici non erubeſcunt, quas poſt alios plurimos

Celeb.

Digitized by Google

Celeb. Altingius in Theologia ſua Elenchtica Nova ſingulorum Locorum controverſiis realibus præmiſit, unde illæ arceſſi poſſunt.

XL. Neque mihi Hierarchici crimini dent, quòd eorum adverſus Eccleſiam blaſphemias ſic liberè perſtringam, ut ſuæ tamen Eccleſiæ maxima, uti quidem interpretantur, blaſphemia ſtigma Babylonicæ Meretricis inurere religioni neutiquam ducam. Nam, juxta notum illud Comici

Diſpar planè ratio eſt Babylonem & Hierarchiam, ſive ulla blaſphemia, comparantium.

Indignis ſi maledicitur, maledictum id eſſe dico:
Verùm ſi dignis dicitur, benedictum eſt, meo quidem animo.

Eſtque, Cicerone etiam judice, longè *aliud maledicere, aliud accuſare. Maledictio nihil habet propoſiti præter contumeliam: Accuſatio verò crimen deſiderat, rem ut definiat, hominem ut notet, argumento probet, teſte confirmet.* Non ego Hierarchicis maledico, ſed eos accuſo, & rem cum re, cauſam cum cauſa, prophetiam ἀψευδῆ, quæ impleri utique debuit, neque impleta alibi oſtendi poteſt, cum eventu conſpicuo in Hierarchia ipſa, contendo; denique dictorum à me rationes certas evidenteſque, quas defendere me poſſe animi recti πληροφορία mihi dictat, reddo; neque planè dubito, quin cordati omnes, veris pretiis res æſtimare ſueti, non blaſphemandi œſtro percitum, ſed veritatis ſtudio inflammatum me ſcapham ſcapham, & ligonem ligonem appellare, agnituri ſint. Cæteris, quos ignoratio veri, & incruſtatio falſi tranſverſos ad omnia alia abripit, meliorem mentem precari ſatis erit.

XLI. Parùm etiam movent me noviſſimæ Cleri Gallicani in Congregatione Generali A. M. DC. LXXXV. habita de calumniis Proteſtantium querelæ, Chriſtianiſſimo Regi propoſitæ non eum in finem, ut de genuina & intima Religionis Pontificiæ in capitibus nonnullis ſententia explica-

Digreſſio, qua Cleri Gallicani noviſſimis de calumniis Proteſtantium quere-

lis generatim occurritur.

tam animi ſui notionem evolveret, (ſic enim protinus de calumniis Proteſtantium affectatæ querelæ leves in auras abiiſſent) ſed ut adhibitis Oraculis Delphicis, ſeu cothurnis Tridentinis, & recondita interiore, quam palam profiteri ſemper Pontificios puduit, & pudebit ſemper, ſententia, oppoſitiſque laceris, truncatis, & à corpore ſuo avulſis noſtrorum verbis potiùs quibuſdam, quàm ſententiis integris veriſſimis, Regis, apud quem nullum patere ad defenſionem oppreſſæ ſanctiſſimæ cauſæ aditum noverat, animum ad excidium Proteſtantium accenderet propelleretque. Specimen κακουργίας illius ſupra jam vindicatis Dounami verbis, quibus ille Pontificiorum de ſufficientia Scripturæ ſententiam procul omni calumnia expoſuit, exhibui. Integrum querelarum illarum *ſubdolarum* ἔδαφος propediem ſcrutabuntur excutientque alii; & Cleri fidem apricabuntur ſtrenuè. Ego quæ me concernunt, παρέργου ὁδὸν, & ſtrictim, pro ratione inſtituti, perſtringam.

Authori impactum ab eodem Clero calumniarum crimen depellitur in doctrina de Traditionibus.

XLII. De Traditionibus à Tridentinis Verbo Dei ſcripto æquiparatis ſic inter alia *Anat. Concil. Trid. pag.* 87. ſcripſi: *His gradibus perventum in Concilio ad Canonizationem Traditionum eo in ſenſu quem nunquam vera Eccleſia tenuit, imò quem in hæreticis damnavit.* Hæc verba à corpore ſuo divulſa Clerus *pag.* 21. in cenſu calumniarum reponit. Quo vero jure? An quia *per gradus itum eſſe ad Canonizationem Traditionum* ſcripſi? Atqui non nudè ſic ſcripſi, ſed, gradibus illis ordine deſcriptis, demonſtravi. An ergo qui demonſtrat veriſſima, calumniæ damnas eſt? An quia Tridentinos Traditionem canonizâſſe *eo in ſenſu, quem nunquam vera Eccleſia tenuit*, ſcripſi? Cedo ergo Concilium aliquod vetus, cedo unanimem Eccleſiæ ſententiam ſub anathemate definitam, quòd dentur *Traditiones tum ad fidem, tum ad mores pertinentes, ore*

tenus

Digitized by Google

tenus à Chriſto, vel à Spiritu S. dictatæ, & continua (inde à Chriſto) *ſucceſſione in Eccleſia Catholica conſervatæ, pari pietatis affectu ac reverentia* (cum libris ſcriptis; quos paulò ſupra *ſine ſcripto traditionibus* Synodus oppoſuerat) *ſuſcipiendæ venerandæque.* Quomodo cum verbo *non ſcripto*, dogmata fidei & morum non ſcripta complexo, *Scripturæ plenitudo* à Tertulliano contra Hermogenem acri adeò tibia decantata conſiſtere: quomodo in ſenſu Tridentinæ definitionis Athanaſius *in Synopſi* Scripturas τῆς πίστεως ἀκροθίνια, ἄγκυραν καὶ ἔρεισμα *fidei primitias, anchoram & fulcrum* vocare: Baſilius M. in *libro de Confeſſione* fidei ſcribere: Φανερὰ ἔκπτωσις τῆς πίστεως καὶ ὑπερηφανίας κατηγορία, ἢ ἀθετεῖν τι τῶν γεγραμμένων, ἢ ἐπεισάγειν τῶν μὴ γεγραμμένων. *Manifeſtum eſt infidelitatis & arrogantiæ crimen, vel rejicere aliquid, quod ſcriptum eſt, vel addere aliquid quod non ſcriptum eſt*: Hieronymus *in Matth.* 23. pronuntiare: *Quod de Scripturis authoritatem non habet, eadem facilitate contemnitur, qua probatur*: denique Auguſtinus *de Doctr. Chriſt.* ij. 9. aſſerere: *In his, quæ apertè poſita ſunt in Scripturis, inveniuntur ea omnia, quæ continent fides, moreſque vivendi;* potuêre? An quia Tridentinos canonizâſſe eo ſenſu, *quem in hæreticis vetus Eccleſia damnavit?* Atque Irenæus *lib.* 1. *cap.* 8. Simonianis, hæreticis utique tribuit, *quòd gloriati ſint de iis, quæ ſcripta non ſunt; ſed ſolùm viva voce tradita.* Idem *cap.* 2. Capocratianis impingit, *quòd commenta ſua hoc prætextu defenderint, Dominum Jeſum Apoſtolis talia privatim in myſterio locutum eſſe; Apoſtolos autem non omnibus, ſed dignis ſolummodo locutum eſſe.* Et *lib.* iij. 2. de iiſdem & Baſilidianis: *Cùm ex Scripturis arguerentur, in accuſationem convertebantur Scripturarum, quaſi non rectè haberent, neque ſint ex authoritate, & quia variè ſint dictæ, & quia non poſſit ab his inve-*

Digitized by Google

inveniri veritas, qui neſciunt traditionem. Non enim per literas traditam illam, ſed per vivam vocem. Ob quam cauſam Paulum dixiſſe: Sapientiam loquimur inter perfectos. Non ovo ovum ſimilius, quàm hiſce hæreticorum ſcitis ſunt ſcita Hierarchicorum. Vel ergo hæc Eccleſiæ veteris de propria & hæreticorum ſententia dicta, Clerici Magnates, eradite, inducite: vel à calumnia me inſontem abſolvite, culpàmque veſtram ingenuè confitemini.

de Attritione & Confeſſione.

XLIII. De Attritione Clerus *pag.* 24. ea citat, quæ *Anat. Concil. Trid. pag.* 558. à me ſcripta ſunt. Ibi tamen non calumniâ ullâ, ſed meris rationibus adverſus impium Attritionis dogma à Jeſuitis magno cum ſcandalo propugnatum, à Janſenitis aliiſque oppugnatum, certavi. Neque verba exſcripſit Clerus, quæ calumniam ſpirare putavit. De Confeſſione ſecreta his omnino verbis *pag.* 564. mentem meam explicavi: *Secreta confeſſio eſt carnificina animi, deſperationis laqueus. Hamus eſt Sacerdotum & Eccleſiæ, cujus hoc modo mirificè creſcunt divitiæ, authoritas ac formidabilis potentia*, procul omni libidine calumniandi. Dixi enim, quod res eſt, atque id ipſum non nudè aſſerui, ſed argumentis pluribus firmavi. Citavi ibidem conſentientes Rhenanum & Caſſandrum, qui poſterior *Conſult. art.* 2. ſic loquitur: *Credo de hac re controverſiam nullam fuiſſe futuram, ſi non ſalutaris hæc confitendi medicina ab imperitis & importunis Medicis multis inutilibus traditiunculis referta & contaminata fuiſſet, quibus conſcientiis, quas extricare & levare debebant, laqueum injecerunt, & tanquam tormentis quibuſdam excarnificârunt.* An graviùs aliquid à me dictum eſt? Eſſe quinetiam Confeſſionem vinculum Regni Papalis, hamum Sacerdotum & Eccleſiæ, quo illi divitias & formidabilem potentiam ſuam piſcantur, exactiùs certiúſque Clerus ipſe,

Digitized by Google

quàm noſtrûm quiſquam noverit. Sed Regni Papalis ejuſmodi nervos & arcana palladia tegi, & Confeſſionis ipſius ſacro ſigillo, vix alium in finem cuſo obſignari quàm maximè, é re ſua judicat.

XLIV. Peccatum originale per Baptiſmum expungi penitus, Tridentini *Seſſ. v. can.* 5. decreverant. Ego *Anat. Concil. Trid. pag.* 131. obſervaveram, *dogma iſthoc ad avaritiæ & ſuperbiæ incudem formatum eſſe. Id enim dare operam Clericos, ut Sacramentorum, quæ ab ipſis conferuntur, extollatur efficacia, & inde miniſterio ſuo lucrum ac bonos accreſcat.* Hæc quoque verba in calumniarum catologo Clerus *pag.* 32. recenſuit, quo jure, quave injuria, viderit ipſe. Si enim, quod non nudè aſſerui, ſed *Quæſt. iij. ad Seſſ. vij.* pluribus argumentis confirmavi, Tridentini Sacramentorum efficaciam præter & contra verbum Dei extulerunt: ſi, quod negari non poteſt, quæſtum ex Sacramentis, eorúmque efficacia ultra modum meritúmque exaltata, Sacerdotes faciunt, atque inde ceu θαυματουργοὶ *miraculi effectores* (revera enim ſi Sacramenta inhærente virtute operantur ſupernaturalem gratiam, qui ea adminiſtrant, Thaumaturgi ſunt) dignitatis & poteſtatis ſuæ periſtromata dilatant; non calumnia eſt, quod dixi, ſed res eſt, quam aperto pectore & citra fucum enuntiare mihi liberum fuit. Nam, ut ille ait Tragicus ἁπλοῦς ὁ μῦθος τῆς ἀληθείας ἔφυ. *Veritatis oratio ſimplex eſt*, & negligens fucos τὰ σῦκα σῦκα, τὴν σκάφην σκάφην *ficus ficus, ligonem ligonem* appellat.

de Peccati originalis per Baptiſmum expunctione.

XLV. Majus quiddam eſt, quòd Clerus idem ex verbis meis, quibus *Anat. Concil. Trid. pag.* 130. Tridentinam Synodum ſub anathemate decernentem, *quòd concupiſcentia etſi in Scripturis peccatum appelletur, propriè tamen peccatum non ſit*, videre juſſi, *annon ſic Scripturam anathemate nefariè & veluti θεομαχῶσι percuſſerit*; confi-

de concupiſcentia regenitorum, ubi per inſignem calumniam Deicidii ſpeciem Tridentinis à

ut objectam queritur.

conficere non veretur *pag.* 33. ſcripſiſſe me de Synodo, *quòd Scripturæ anathema dixerit*, imò *(une eſpece de Deicide) ſpeciem aliquam Deicidii commiſerit*. Proh fidem Cleri! Quàm magni ſæpe ſunt hypocriſeos receſſus! Scripturæ anathema Synodum dixiſſe, non ſcripſi; ſed providere juſſi, annon ſuam aſſertionem, ſuum anathema, Scripturæ aſſertioni è diametro, ſola fictitia, certè non probata, non probabili peccati propriè & impropriè dicti diſtinctione obtruſa, opponens, Scripturæ ipſi anathema dixerit. Et ſanè anathema liquidò dixiſſe comperietur, ubi hoc unum conſtiterit, concupiſcentiam regenitorum eſſe veri nominis peccatum, quod ego non ſimpliciter aſſerui, ſed rationibus pluribus evidentibúſque probavi. Nam quòd Synodus peccatum propriè non eſſe, licet peccatum Scriptura appellaverit, probare conatur eo argumento, *quia in renatis nihil odit Deus, & concupiſcentia nocere non conſentientibus non poſſit*, frivolum planè eſt, quia concupiſcentiam, quæ, uti ipſa Synodus ſciſcebat, *ex peccato eſt & ad peccatum inclinat*, ſemper odit Deus, adeóque vel in concupiſcente ipſo, vel in Sponſore punit: atque etiam non baptizati infantes actu concupiſcentiæ non conſentiunt, quorum nihilominus concupiſcentiam peccatum eſſe propriè dictum fatentur iidem. Sed quid ſibi vult *ſpecies Deicidii?* Petii ego, ut videat Synodus, annon anathemate feriens ſententiam Scripturæ, ipſam Scripturam veluti *θεομαχοῦσαν, cum Deo*, cujus verbum Scriptura eſt, *pugnans*, anathemate percuſſerit. An *veluti θεομαχεῖν pugnare cum Deo*, caſtra ſua Scripturæ caſtris opponendo, eſt Deum occidere? Non ſic profectò impotens Deus noſter, Dominus exercituum eſt, ut ſe occidi patiatur ab iis, qui verbo ejus ſe opponunt. *Omne inſtrumentum adverſus Eum formatum non proſperabitur*. Eſaj. LIV. 17. Quanquam neque video etiam, quo jure calumniæ

Digitized by Google

lumniæ crimine arceſſere Clerus eos poſſit, qui Pontificios, quantum quidem in iis eſt, *ſpeciem Deicidii* committere dictitant, cùm conſtet ſatis, eorum ſententia Chriſtum in Miſſa infinities *ſacrificari*, adeóque etiam mactari, *occidi*.

XLVI. Vix denique ſpeciem calumniæ habet, quòd Tridentinorum de meritis doctrinam *Anat. Concil. Trid. pag.* 261. inſignivi *faſtuoſam*; & *pag.* 131. Romanenſes *Phariſæos, ſuffarcinatos perſuaſione propriæ juſtitiæ* ſcripſi, quæ Clerus genuino mordens ipſe, per calumniam dicta *pag.* 35. interpretatur. Non calumniam certè hæc, ſed ſimplicem & ruſticanam veritatem ſpirant. Dicit enim clariſſimè Spiritus S. *Non ex operibus, ne quis glorietur*, Epheſ. II. 9. Qui ergo ex operum merito, juſtitia propria juſtificari, ſalvari contendunt, ii gloriantur certè; & qui ſic gloriantur, faſtum & Phariſaicum ſupercilium produnt, ſic cum Phariſæis gratiam Dei decantantes, ut *confidant tamen ſibi ipſis quòd juſti ſint* (juſtitia propria) Luc. XVIII. 9. 11. 12. 13. &c. Etenim non poteſt non confidere operibus ſuis, qui per ea ſe mereri contendit; cùm juſtitia poſtulet, ut merces meritò detur. Facit huc notatiſſimum illud Bellarmini: *Homo juſtus duplici titulo jus habet ad eandem gloriam, uno ex meritis Chriſti, ſibi per gratiam communicatis: altero ex meritis propriis*, contrà quàm Spiritus S. *Stipendia peccati mors: donum autem Dei vita æterna*, Rom. VI. 23. In quæ paulò ſanctiùs Cardinalis alter Cajetanus *Comment. ad Rom.* 6. *Non dicit, quòd ſtipendia juſtitiæ vita æterna; ſed Donum Dei vita æterna, ut intelligamus, non ex noſtris meritis, ſed ex gratuito Dei dono aſſequi nos pro fine vitam æternam: propter quod & ſubdit; In Chriſto Jeſu Domino noſtro. Ecce meritum, ecce juſtitiam, cujus ſtipendium eſt vita æterna, nobis autem donum ratione ipſius Chriſti.* Nullus

denique de meritis operum & juſtitia propria.

Digitized by Google

proin hic, Cajetano judice, meritis locus eſt: nec ſine faſtu plus quàm Campano & Phariſaico dari poteſt. Modeſtè quondam, Xiphilino teſte, Tiberius è multis, quæ reſtituiſſet perfeciſſétque, ædificiis, nullum ſibi vendicavit, ſed nomina illorum indidit, à quibus ædificari cœpta. At hi merita, juſtitiam propriam crepantes, ſibi arrogant ædes, quibus ne tegulam quidem unam impoſuerunt. An ergo ſic à faſtu, à ſupercilio Phariſaico ſe abhorrere, jure meritóque aſſeverabunt?

Blaſphemia Hierarchicorum adverſus dominationes.

XLVII. Sed ἐκ παρόδου, è diverticulo in viam ut redeamus, ad pertexendas Hierarchiæ adverſus Eccleſiam blaſphemias, hoc quoque ad extremum pertinet, quòd βλασφημεῖ κυριότητας *blaſphemat Dominationes*, ſeu Majeſtatem dominantium, eorum maximè, qui Eccleſiæ Chriſtianæ membra præcipua, imò & Nutritii ſunt. Vaticinatur S. Petrus 2. Ep. II. 10. fore quandoque falſos doctores κυριότητας καταφρονοῦντας *dominationes contemnentes, audaces, ſibi placentes, glorias blaſphemare non reformidantes.* Et S. Judas v. 8. ſurrecturos, *qui dominationem rejiciant, glorias autem blaſphement*. Id profectò Hierarchici faciunt, qui palam docent, eos, qui in ſummo gradu Majeſtatis collocati ſunt, debere Papæ poteſtatem ſuam, & ſervire ei teneri in exequendis ſententiis, denique judicio ejus ſic ſubeſſe, ut nefas iis ſit ab eo vel latum unguem diſcedere, vel populum ſuum in alio, quàm Papæ, Vicarii Chriſti nomine congregare, id niſi faxint, arbitrii ejus eſſe eos deponere, anathemate ferire, exſcindere; Subjectos iis populos à jurejurando abſolvere, & contra dominos ſuos concitare; idque propterea, quia ipſi poteſtas Divina competat in omnes populos & Regna terræ, ut edictis, ſententiis, omníque vi ſua faciat unum populum in mundo, qui Eccleſia vocetur, & cui ipſe ſummo jure præſit. Talia dogmata & tale judicium haud dubiè blaſphemia eſt, quia

incurrit

incurrit in ipſum Deum & Chriſtum ejus. Huic enim Reges & Principes terræ inſervire; in hujus civitatem gloriam & potentiam ſuam inferre debent. *In Sapientia* enim *Reges regnant, & Principes ferunt leges juſtas*. Prov. VIII. 19. non in aliquo Capite Eccleſiæ terreſtri.

XLVIII. Superſunt Blaſphemiæ Hierarchicorum in eos, qui habitant, ſeu tabernaculum habent in Cœlo; à Deo ſcilicet, & tabernaculo ejus diſtincti. Sunt autem hi Sancti Cœlites, Angeli & homines, quibus utriſque per religioſum, uti ſupra diximus, cultum, in Deos, ſeu, ut illi loquuntur, Divos Divaſque converſis, & ſacrilegis titulis in Dei Chriſtique locum ſubrogatis, eos blaſphemare dicuntur meritò. Atrocem enim iis injuriam faciunt, quando, ut mentitis eos laudibus & honoribus deforment, Deo, quod ſuum eſt, eripiunt; & Cœlitibus quod ſuum non eſt, quódque illi pro ſua pietate, ſi conſcii forent, deſpuerent maximè, arrogant. Sic ergo Sanctos ſivè verè, ſive δοξαστικῶς tales in idola commutant, veſtientes eos titulis ſoli Deo competentibus. Fingunt enim eos corda hominum pervidentes adeóque omniſcios: vota iis nuncupant, templa erigunt: per merita eorum in Canone Miſſæ ſalutem expetunt: denique nihil non ſoli Deo competens, in eos transferunt. Quod quid aliud eſt, quàm eos per ſpeciem honoris in idola convertere?

Adverſus habitantes in Cœlis Angelos & homines Sanctos.

XLIX. De Sanctis Cœlitibus honorificè tum ſentiendum, tum loquendum eſt, prout quiſque eorum donis excelluit. In ambobus delinquunt Hierarchici cùm generatim erga univerſos Sanctos, tum ſigillatim erga plurimos. In Canone Miſſæ pro Sanctis mortuis orant, *ut Deus locum refrigerii & pacis eis indulgeat, æternæque lucis beatitudine perfrui concedat*. Addunt: *Libera animas omnium fidelium defunctorum de pœnis inferni, & de profundo lacu. Libera eas de ore Leonis, ne abſorbeat eas Tarta-*

De quibus honorificè nec ſentire, nec loqui eos probatur.

In Canone Miſſa pro Sanctis orantes, injuriam iis, ceu exulibus à facie Dei, imò in Pur-

Digitized by Google

gatorio cruciatus graviſſimos & diuturnos ſuſtinentibus, faciunt. Quâ injuriâ etiam Deiparam ſalutatione ſolenni, Ave Maria, interpellatam afficiunt.

Tartarus. Jam verò quod laudatur ab Auguſtino *de verb. Apoſt. Serm.* 17. dictum: *Injuria eſt pro Martyre orare;* aut, quemadmodum Papa Innocentius III. *Cap. Cùm Marthæ Extr. de Celebrat. Miſſæ*, è Sacra Scriptura citat, *Injuriam facit Martyri, qui orat pro Martyre:* hoc declarat idem Papa *ratione conſimili de aliis Sanctis ſentiendum quia orationibus noſtris non indigent, cùm ſint perfectè beati.* Ergo univerſis Sanctis Hierarchici detrahunt, & injuriam faciunt. Augetur injuria ex genere ærumnarum & periculorum, à quibus ut liberentur Sancti, orant. Etenim Abſolon 2 Sam. XIII. 38. & XIV. 29. poſt triennium Geſſure in exilio actum Hieroſolymam redux, atque ibidem biennio à conſpectu Regis patris ſui excluſus, tantum inde dolorem concepit, ut palam ſignificaverit, ſe malle adhuc exulem eſſe Geſſure, imò morte, ſi ita meruiſſet, affici, quàm non videre faciem Regis. Si gratia terreni Regis & Patris præſentia orbari luctuoſum adeò acerbúmque fuit filio degeneri; quid Sanctis morigeris Dei filiis erit é conſpectu Cœleſtis Patris, Regis Regum, & Domini dominantium excludi? Ille tamen, exul licet, liber tamen perpetuò ſolutúſque vixit. Hoc Hierarchici in Purgatorium condunt; carcerem longè deteriorem eo, in quem Joſephum Potiphar miſit. Ille excepto unius rei deſiderio, de cætero lætus egit. Sanctos Hierarchici graviùs non damni duntaxat, ſed etiam ſenſûs pœna excruciant, quàm Urbanus VI. Cardinales ſuos, Theodorico Nyem *de Schiſm. lib. i.* 45. 50. *&c.* narrante, catenis, fame, frigore, ſiti, vermibus, equuleo excruciavit. Abſolon quinquennio, non ampliùs afflictus eſt. Sed cùm Dominicus Soto. *In* 4. *Sent. Diſt.* 19. *q.* 3. *art.* 2. dixiſſet, *credibile non eſſe, Deum longo tempore amicos ſuos in pœnis detinere;* & credere ſe, *nunquam aliquem in Purgatorio viginti annis extitiſſe, imò nec decem;* Bellarminus, improbata ejus

Digitized by Google

ta ejus ſententia, *de Purg. lib. ij.* 9. contendit *ex Eccleſiæ Romanæ anniverſariis ſacris pro defunctis, & ex viſionibus, quoſdam qui centum annos, quoſdam qui ducentos, etiam qui nongentos* (tot enim effluxerunt, ex quo Beda *Eccl. hiſt. gentil. Angl. lib. v.* 12. rem viſo cujuſdam probatam memorat) *illic ſunt detenti, tum detineri adhuc, tum ad diem uſque judicii detentum iri.* Quin & alios Sanctos pœna duntaxat damni cruciatos, quòd in bonis operibus è vita exceſſerint, Bellarminus idem *de Purgat. lib. ij.* 7. pari ratione arcet à conſpectu Dei, & à gaudiis Regni Cœleſtis uſque ad diem judicii. Quos porro iidem è cœtu fidelium defunctorum in Cœlitum choro locant, eos itidem Deo, ut Purgatorianos commendant. Nam Innocentius III. *Cap. Apoſt. Extra. de Presbyter. non baptizato*, agens de Presbytero non baptizato, *quem mortuum quia in Sanctæ matris Eccleſiæ fide, & Chriſti nominis confeſſione perſeveraverat, cæleſtis patriæ gaudium eſſe adeptum aſſerit, incunctanter jubet juges preces hoſtiáſque Deo pro illo offerri.* Quod ulcus Panormitanus *Comment. in cap. illud* hoc emplaſtro curare conatur, quòd Presbyter dictus ſit Cœleſtis patriæ gaudium adeptus *in ſpe, non in re.* Sed Bellarminus *de Eccl. Triumph. lib. ij.* 1. agnoſcit, Innocentium de re locutum eſſe. Eadem labe Deiparam polluunt maximè, ſalutatione Angelica ad precandum utentes. Angelus certè ſic ſalutando B. Virginem: *Ave*, vel, *Pax Tibi;* oravit ſanè, ut Deus eam pace & gaudio cumularet. Fatetur autem Bellarminus *de Miſſa lib. ij.* 25. ſuos ſupplicantes, *ut Deus locum pacis omnibus in Chriſto quieſcentibus indulgeat*, ſignificatum velle, *eos nondum Dei viſione frui.* Sic ergo Beatæ Virgini bene precando, dicentes: *Ave Maria;* eam nondum æternæ beatitudinis gaudium adeptam eſſe innuunt. Et tamen ſalutatione ea nihil in Hierarchicorum cultu frequentius, cele-

Digitized by Google

celebrius nihil eſt, poſtquam inprimis Roſarium & Pſalterium B. Virginis, & Confraternitates Roſarii, atque Sodalitates invaluerunt.

Sanctis honorem debitum iidem detrahunt, arcentes populum à lectione Scripturæ, quæ honorem eorum genuinum tradit.

L. Neque etiam parùm de juſto honore & gloria Cœlitum Hierarchici delibant prohibente, vel paucis certè ſpeciali indultu permittentes lectionem Scripturæ, in qua Angelorum, Patriarcharum, Prophetarum, Apoſtolorum, Martyrum, aliorúmque Sanctorum dicta & facta, gloriæ & honoris eorum veri materies, Divinitus nonnullorum ex ipſis manu ſcripta ſunt. Quid enim aliud gloria eſt, quàm *frequens de aliquo fama cum laude*, uti Cicero *lib. ij. de invent.* loquitur? Sapientiam & laudem Enochi, Noe, cæterorum, quibus palmam fidei ac pietatis *Apoſtolus* Heb. XI. 4. &c. tribuit, quàm pauci inter Pontificios Eccleſiæ Chriſtianæ populos celebrârunt? Quorum plerſque ex Pontificiis inſtitutis in tanta ignorantiæ caligine cuſtoditi ſunt, ut non magis cognitas habuerint virtutes illorum hominum Dei, quam Virgilianum illum verſum:

Ad nos vix tenuis famæ perlabitur aura.

Quo pacto uxores fidelem obedientiam Saræ: fideles cuncti Abrahami veſtigia ſibi ſequenda proponere, & Prophetas ſumere pro lenitatis exemplari, quæ non ſine inſigni honore Saræ, Abrahami, Prophetarum 1. Pet. III. 6. Spiritus S. præſcribit poſſunt, cùm innumerabiles non modò fœminæ, ſed & viri, Pontificiorum Paſtorum, ſeu luporum potiùs ſævitia ſic è Scripturarum paſcuis profligati ſint, ut mirum ſit, ſi nôrint, quod genus hominum Prophetæ ſint, aut ecquis Abrahamus, ecquæ Sara fuerit unquam? Honorificum fore Matthæo, Lucæ, Jacobo, Johanni, cæteriſque, ut à pluribus legantur & audiantur, quis ignorat? Niſi forte ad honorem Mariæ facere putabimus, quòd Matth. XXVI. 23. & Marc. XIV. 9. ejus erga Chriſtum beneficentia commemoranda dicitur in quocunque mundo

hoc

Digitized by Google

hoc prædicatum Euangelium fuerit: Euangeliſtis autem honori non eſſe, quòd & hujus, & reliquæ totius Diviniſſimæ Chriſti hiſtoriæ ſcriptores, in quocunque loco degit diſperſa Eccleſia, celebrantur. Aut de Orationis Galbæ Epilogo Ciceronem *de Clar. Orat.* aptè pronuntiaſſe: *Tanto in honore, pueris nobis, erat, ut eum etiam ediſceremus;* at Apoſtolorum ſcripta ſi cujuſvis ætatis, ſexûs, ordinis homines legant, nedum ediſcant, ad honorem eorum nihil pertinere; dicemus.

Ne quidem Paſtores & Theologi Scripturas condignè tractare, & ex iis veras Sanctorum laudes depromere ſinuntur.

LI. Sed fortè ſi non plebeji in lingua vernacula; at certè Paſtores in Officiis Eccleſiaſticis Latinè; Theologi aliique viri docti in S. Scriptura Latinè, Græcè, Hebraicè talia legere, & populo tradere permittuntur. Atqui etiam Parochis tam pauca & puſilla Scripturarum fruſta in Breviariis ſuis recitanda præſcribunt, ut nec ipſi laudes Sanctorum, de quibus dixi, Abrahami fidem, Saræ obedientiam, Prophetarum lenitatem celebrare ſoleant. Quod etſi Cardinalis Quignonius obſervavit, & ex parte correxit in Breviario Romano à ſe reformato; ubi *Præfat. ad Paulum III.* conqueſtus eſt, *diſceſſum antea fuiſſe à Sanctiſſimis veterum Patrum inſtitutis, propterea quia libri Sacræ Scripturæ, qui ſtatis anni temporibus legendi erant more Majorum, (ut eſt in monumentis Gelaſii & Concilii Romani* LXX. *Epiſcoporum) vix dum incepti omittuntur in alio Breviario;* tamen Pius V. *Brev. Rom. ex decreto Concilii Trid. reſtitut. Pii V. juſſu edito,* iſtam Cardinalis correctionem corrigens in Breviario novo, diſceſſit rurſum à veterum Patrum inſtitutis, capitáque illa Sacræ hiſtoriæ de fide Abrahami, obedientia Saræ, & multa ſimilia de Prophetis, quæ Quignonius reſtituerat, ex Parochorum libris & oculis removit. De Theologis verò Claudius Eſpenceus *in cap.* 1. *ad Tit.* teſtatur, inter Epiſcopos Pontificios eſſe, qui Scripturarum lectionem tam periculoſam

judicent, ut ab ea præ metu abſtineant, caveántque ſic, ne fiant hæretici, *quaſi verò*, inquit, *hæreſes ex Scripturarum ſtudio, ac non potiùs ex neglectu & ignorantia naſcantur.*

S. Petrum ex Apoſtolorum choro deturbantes, Romæ Paſtorem faciunt. De eo Diſceptatio Cardinales inter & Græcum, apud Nilum.

LII. Quid quòd lectiſſimos illos Dei ſervos, quos Chriſtus Matth. XIX. 28. Seſſuros in duodecim thronis, & judicaturos duodecim tribus Iſraël pollicitus eſt, Hierarchici tantùm non de ſupremo dignitatis ſuæ faſtigio deturbant? Sic enim S. Petrum Orbis doctorem ad eas anguſtias redegerunt, ut ex Apoſtolo Eccleſiæ Romanæ particularis Paſtor & Epiſcopus fieret. In Appendice Nili de Primatu Papæ extat initium diſceptationis cujuſdam Græcum inter & Cardinales Romanos habitæ, ubi Cardinalibus pertendentibus, *Petrum fuiſſe primum Eccleſiæ Romanæ Paſtorem*, reſpondet Græcus: Ἂν εὐγνωμόνως ἀκούειν ἐθέλετε, τὸ πρὸς τιμὴν τάχα τοῦ κορυφαίου τῶν Ἀποστόλων τοῦτο παρ' ὑμῶν εἰσαγόμενον, εἰς τοὐναντίον μᾶλλον περιτρεπόμενον εὕρητε. Πρῶτον μὲν, ὅτι τὸν οἰκουμένης ὅλης διδάσκαλον ἀπὸ τῆς Ἰουδαίας ἀρξάμενον τοῦ κηρύγματος, ἐν δὲ τῇ Ῥώμῃ τὸν τῆς ἀποστολῆς δρόμον πληρώσαντα, διὰ τοῦ τοιούτου προβλήματος ὑμῶν μόνης τῆς Ῥώμης διδάσκαλον τοῦτον γνώριμον κατασκευάζουσι. *Si æquis animis audire velitis; id quod vos veluti honoris cauſa de coryphæo Apoſtolorum adfertis, in contrarium potiùs vergere intelligetis. Primùm quidem, quòd totius orbis doctorem & Magiſtrum, qui prædicationis ſuæ initium à Judæa fecit; Romæ autem Apoſtolatûs ſui curſum peregit, tali veſtra propoſitione ſolius Romæ magiſtrum fuiſſe ſtatuitis, atque ita etiam Servatoris ad illum promiſſionem, quam Sancti Patres univerſaliter de omnibus qui crediderint, & credunt, interpretantur; vos ad ſolam Romam coarctatis, violentáque interpretatione torquetis. Quo conceſſo reliquum eſt omnino, eam quæ Romæ eſt tantùm, non autem univerſam fidelium Eccleſiam ſibi adoptâſſe*

optâſſe Servatorem, ædificationémque hujus tanquam ſuper petram Petri doctrinam promiſiſſe. At verò qui ita & ſentiunt & loquuntur, qualem honorem Apoſtolorum coryphæo deferant, ipſimet conſiderate. Plura addit Græcus, quibus non parùm Romanos de honore S. Petri delibare & decerpere; atque velut Principis Apoſtolorum elogio cum ornent, revera tamen omni prorſus dignitate Apoſtolatûs exuere, liquidò probat.

S. Apoſtolos reliquos inſigniter deprimunt, Petro ſolò poteſtatis plenitudinem vindicantes, & Papæ cuivis eos poſtponentes.

LIII. Pari impietate Pius V. cœteros Apoſtolos omnes deprimit, quando ſic *Sent. Declar. contra Eliſabetham* loquitur: *Regnans in excelſis, cui data eſt omnis in Cœlo & in terra poteſtas, unam Sanctam, Catholicam & Apoſtolicam Eccleſiam, extra quam nulla eſt ſalus, uni ſoli in terris videlicet Apoſtolorum Principi Petro, Petrique ſucceſſori, Romano Pontifici, in poteſtatis plenitudine tradidit gubernandam.* Chriſtus equidem Apoſtolis omnibus delegavit ſuum officium his verbis: *Sicut me miſit Pater, ita & ego mitto vos;* Joh. xx. 21. omnéſque pariter juſſit proficiſci & *docere omnes gentes* Matth. xxviii. 18. *Omnium gentium* appellatione ſi notetur aliqua particularis, non univerſalis & Catholica Eccleſia, quantò minùs Papa Petro oſtendere poterit traditam Catholicam ex cura *ovium & agnorum* ei demandata, ſine appoſitione dictionis *Omnium* Joh. xxi. 15? In poteſtatis verò plenitudine commiſſam eſſe gubernandam ut Petro ſic cœteris, adeò luculenter Chriſti verba declarant, ut disertè illinc Janſenius *Comment. in concord. Euang. cap.* 147. adſtruat, *Chriſtum ſuam eis functionem tradidiſſe cum plena ſibique propria poteſtate, quæ ad illam functionem Chriſti nomine obeundam erat neceſſaria; poteſtate ſcilicet remittendi & retinendi peccata; perinde atque Reges Legatis ſuis plenam poteſtatem committere ſolent, promittentes ſe ratum habituros, quicquid illi agerent rationabiliter.* Sed multum

 ſcilicet

Digitized by Google

ſcilicet Apoſtoli Pio Papæ debent, qui ſui ipſius, atque ſedis ſuæ Zelo, tanquam œſtro percitus, majorem Lino, Cleto, Clementi, Epiſcopis Romanis, quàm Johanni Apoſtolo poteſtatem tribuit. Atque jam Euſebius virgulâ cenſoriâ Sacrâ Congregationis Romanæ Expurgatorum caſtigandus fuerit, eò quòd in hiſtoria temporis Trajani *Hiſt. Eccl. lib. iij.* 16. ſcripſerit, *Clementem Romanum gubernâſſe Eccleſiam: ac Johannem Apoſtolum, adhuc in Aſia vitam traducentem, Eccleſias ibi adminiſtrâſſe.* Nam ſine gravi periculo Papatus non ampliùs docebuntur homines, unius urbis Eccleſiam à Clemente Papa adminiſtratam eſſe: à S. Johanne autem plures, eáſque variarum Provinciarum. Corrigi Euſebiana deberent hunc in modum: *Clemens ſolus unam Sanctam, Catholicam & Apoſtolicam Eccleſiam, extra quam nulla ſalus eſt, in poteſtatis plenitudine gubernabat: Eccleſiæ verò, quas Johannes Apoſtolus adminiſtravit, vel ab eo gubernabantur, ut Clementis Vicario in Diœceſi Aſiana; vel hæreticæ aut ſchiſmaticæ erant.*

Contumelia Deiparæ Virginis. LIV. Deiparam præterquam quòd in idolum maximum Hierarchici converterunt pridem, aliis etiam contumeliis affecerunt iidem, uti Legendæ eorum locuples teſtimonium præbent. Monialis à Sacerdote compreſſæ, & poſtea in lupanar detruſæ vices & perſonam eam in Monaſterio ſuſtinuiſſe, Cæſarius *de miraculis cap.* 35. habet. Alanus de Rupe, Monachus putidiſſimus, jactare auſus eſt, ſibi B. Virginem nupſiſſe, annulum ſibi pronubum, fidei conjugalis Sacramentum, donâſſe, oſcula ſibi fixiſſe, mammas contrectandas, ſugendáſque exhibuiſſe, de quo memorántem in vita Sixti IV. Balæum videre eſt. Similia de Dominico Cæſarius *lib. vij.* 52. de Hermanno Joſepho, Viro Angelico, Jeſuita Hautinus *Angel. Cuſt. cap.* 4. *p.* 158. ex Surio: de milite, qui uxorem heri ſui deperibat, & ex.

& ex conſilio Eremitæ per annum centies de die Mariam ſalutabat, cui illa apparens dixit: *Ego ero uxor tua; accede ad me, & da mihi oſculum: & coëgit illum, dixítque. Modò initiatæ ſunt nuptiæ, & mox perficientur;* Cæſarius *lib. vij.* 33. tradidêre. Sic ergo polygamam faciunt etiam Cœlitem illam. Eandem ſolis Hierarchis, hoc eſt, Miſſificis, in commiſſi myſterii executione concedere, Gabriel Biel *Lect.* 4. blaſphemat. Miracula ei tributa planè contumelioſa ex legendarum & fabularum hamaxariis, Cæſario, Thoma Cantipratenſi, Diſcipulo de Tempore, Trithemio, Pelbarto de Themes Waar, Bernhardino de Buſtis, Alano de Rupe, aliis plura Cl. Rivetus *Apol. pro B. Virgine lib. ij.* 15. collegit. Denique meritò Eraſmus in Colloquio, quod *Naufragium* inſcribitur, Papiſtas reprehendit ſimul & albis dentibus ridet, quòd in præfectura maris Mariam Veneri ſubſtituerint. Nam olim Venus agebat curam nautarum, quia nata credebatur ex mari. *Ea quoniam deſiit curare,* inquit Eraſmus, *ſuffecta eſt* (à nautis Pontificiis, qui ex Pontificiæ Scholæ diſciplina Mariæ titulos *Stellæ maris, Reginæ Cœli, dominæ mundi, portûs ſalutis, dulcedinis, vitæ, ſpei noſtræ) huic matri non Virgini Virgo Mater.* Ita quod Pagani Venerem orabant: *Sic te Diva potens Cypri* &c. id nautas à Maria petere ſub Papatu, Virginem lectiſſimam in præfectura maris turpiſſimo ſcorto ſubſtituentes, Eraſmus indicat.

LV. Inter Sanctos Cœlites etiam referendi ſunt, qui *Patrum* nomine veniunt. Utut autem in honorem eorum multa Hierarchici garriant, ut ſimplicibus & incautis fucum faciant; revera tamen eos totos, quanti quanti ſunt, unius Papæ, Deaſtri ſui libidini ſubjiciunt, dedúntque mancupio & nexu, qui eos non aliter, quàm Mercatores ſuos ſolent calculos, uſurpat. Aliquando enim ei denariorum ſunt loco; aliquando librarum, ut ad manum quoſque *nec non S. Patribus.*

proximè ad rationes ſuas conficiendas habet. Epiſcopus Bitontinus *in Epiſt. ad Rom. cap.* 14. *pag.* 66. profitetur palam, ſe in his, quæ myſteria fidei tangunt, plus uni ſummo Pontifici credere, quàm mille Auguſtinis, Hieronymis, Gregoriis. Præterea eos invitos ad patrocinium doctrinæ Antichriſtianæ trahunt, lancinant, adulterant, interpungunt, veru critico, quoties lubet, notant. Indicio eſſe poſſunt Indices Expurgatorii, Romanus, Hiſpanus, certiſſimi eorum erga Patres irreverentiæ teſtes.

denique corporibus Sanctorum illata.

LVI. Denique Sanctorum defunctorum corpora falſis honoribus illi mactant, & veris defraudant. Nam ad honorem eorum pertinere, ut terræ communi matri mandata, ibidem quieſcant, uſque dum ad vitam à Deo revocentur; exempla corporum Sanctorum Patriarcharum, Moſis, piorum Regum, aliorum probant. Ipſius Eliæ oſſa, quorum contactu mortuus reſuſcitatus eſt, Joſia 2 Reg. XXIII. 18. piè mandante, ne quidem commota, ſed humi relicta ſunt. Hi verò Sactorum oſſa non tantùm commovent & è ſepulchris ſuis effodiunt, adeóque ſepulchra Sacroſancta violant; ſed etiam circumgeſtata & publicè conſpecta, alia quidem in ſublimiore ſepulchro condunt; alia verò penitus inſepulta ſervant, eáque ſepeliunt *ſepulturâ aſini*, uti Propheta Jerem. XXII. 19. loquitur: adeóque honoris ſcilicet cauſa faciunt, quod Pontificii ipſi, imò & Ethnici ignominioſum, profanum & impium eſſe docent. Bellarminus enim *de Purgat. lib. ij. cap. ult.* inter *utilitates, quæ mortuis ex ſepultura accedunt*, hanc commemorans, *quòd conſulitur honori eorum, adhuc in hominum memoriis viventium. Non enim caret*, inquit, *ignominia quadam, quòd fœditas noſtri corporis aliorum conſpectui pateat.* Et Cardinalis Borrhomæus *Concil. Mediol.* 4. *tit. de Sacris reliquiis, Concil. Tomo* 5. cum univerſa Synodo Mediolanenſi vetat, *ne tangantur Sacræ reliquiæ, quoniam hoc ſa-*

Digitized by Google

hoc ſacrilegium, ac minùs propterea ferendum eſſe S. Gregorius ſcribit. Gregorius autem *Regiſtr. lib. iij. epiſt.* 50. ſcribens, *intolerabile eſſe omnino atque ſacrilegum, Sanctorum corpora tangere*, addit; *cùm ſepulchrum Laurentii Martyris ignoranter ab operariis aliud agentibus apertum eſſet, eos, qui præſentes erant, & laborabant, Monachos & manſionarios, qui corpus Martyris viderunt, etſi tangere non præſumpſerunt, omnes intra decem dies obiiſſe, ita ut nullus vitæypereſſe poſſet, qui ſanctum & juſtum illius corpus viderat.* Denique *inſepultam ſepulturam* Cicero *Philipp. I.* pro dedecore habuit. Nec Turnus Virgilianus *Æneid. lib.* 10. largiens Pallanti, *Quiſquis honos tumuli eſt*, mortuis honorificum putavit non humari. Et Horatius *Epod.* 16. bella civilia hoc incommodo maximum ſui odium commotura ſperavit, quòd hoſtis, urbem occupans civibus orbatam, ſepulchrum Romuli violaturus ſit:

Quæque carent ventis & ſolibus, oſſa Quirini,
(Nefas videre) diſſipabit inſolens.

Atqui Hierarchici Sanctorum oſſa ſervant in capſis oſtendenda populo, à Clericis attrectanda, geſtanda in proceſſionibus, in altaribus exponenda: nec ea vel à ventis, vel à Solis radiis remota eſſe ſinunt, ſed è ſepulchris eruta conſpectui tactuique hominum objiciunt, & quaquaverſum diſſipant. Cujus enim Sancti paulò celebrioris oſſa non varias in oras diſperſerunt? Etenim Abundius & Abundantius neutiquam ex clariſſimis Divis fuerunt. Eorum tamen, uti ex *Hiſt. paſſ. invent. & tranſlat. Sanctorum Abundii & Abundantii edit. à Colleg. Societ. Jeſu Romæ A.* 1584. liquet, corpora poſtquam è Coſmæ & Damiani Templo, in quo requieſcebant, in novam Jeſuitarum Baſilicam Gregorius XIII. transferri juſſiſſet, quædam eorum oſſa relicta ſunt in priſtino hoſpitio Coſmæ & Damiani; quædam ad Cœno-

Cœnobium Sanctimonialium Senas tranſportata; quædam in Japonum, novi orbis inſulam, ultra Garamantas & Indos tranſmiſſa ſunt. Licet ergo jactent Papiſtæ, ſe reliquias ita tractare ad Sanctorum honorem; atque id eo ſenſu, quo Cicero *Philipp.* 1. quendam *honorem contumelioſum* nominat; atque idem *Pro domo ſua* aſſerit *Catonem ejectum eſſe à Clodio per honorem turpiſſimum;* verum eſt: tamen eas tractant ignominiosè, exhumantes diſſipantéſque corpora, quæ in pace ſepulta ſunt: & quorum fœditatem, vel Bellarmino ſupra agnoſcente, ratio, religio, jus humanitatis tellure tegi jubebat; ea partim intra capſas, partim extra hominibus videnda & tangenda exhibent.

Concluſio argumenti. LVII. Ex iis, quæ hactenus per ſumma capita attigi, jubare meridiano clariùs conſtat, Hierarchicos honorem debitum multis modis detrahere Deo, ejus verbo, Chriſto, Eccleſiæ Dei, Sanctis Cœlitibus, Patriarchis, Apoſtolis, Deiparæ, omnibus denique Sanctis. Frigidiùs proin remiſſiúſque juſto mihi agere videor, ſi Apoſtoli illud de Judæis dictum: *Neque Deo placent, & omnibus hominibus adverſantur*, 1 Theſſ. 11. 15, iis accommodem. Nam & Dei Chriſtique honorem ſuâ idololatriâ ſpoliiſque multifariis horribiliter lœdunt; & Angelos hominéſque electos contumeliis probríſque graviſſimis afficiunt; adeóque *ſe blaſphemiis nefariè polluunt*, quo ſuſcepto demonſtrationis octavo capite ritè nos defunctos confidimus.

DIS-

Digitized by Google

DISSERTATIO
DECIMA QUARTA
QUA

Hierarchiam, ſeu Clerum Eccleſiæ Romanæ dominantem eſſe Babylonem Magnam probatur Nonò, *quia luxuriâ & impuritate carnis ſe multis modis polluit.*

BREVIARIUM.

I. *Ad habitum interiorem Babylonis M. pertinet etiam luxuria & impuritas carnis.*

II. *Ejus Hierarchia rea peragitur demonſtratione Syllogiſmo innexa. Cujus propoſitionis nexus & Aſſumptio per ſingula membra probatur.*

III. *Hierarchia luxuriæ anſam ejuſmodi præbet, ut eam ob carnis infirmitatem & eventum inevitabilem certò poſt ſe trahat.*

IV. *Luxuriæ inſtrumenta Babylon habet divitias haud vulgares.*

V. *Hierarchiæ in corradendis divitiis ſumma ſolertia exponitur.*

VI. *Iiſdem ad luxum & potentiæ exaltationem abutitur.*

VII. *Prætextus acquirendarum divitiarum ad externi cultûs ſplendorem futilitas.*

VIII. *Uti eam divitiis ad magnificentiam, ſuperbiam,*

Digitized by Google

IX. *inprimis luxuriam, idoneis teſtimoniis & documentis probatur.*

X. *Babylonis & Hierarchiæ exacta hac in re harmonia.*

XI. *Otium luxuriæ mater eſt.*

XII. *Religioſum Hierarchiæ otium ex frequentia feriarum cognoſcitur.*

XIII. *Ad luxuriam otium illud inclinare demonſtratur tum ex cultûs, qui feſtivo tempore peragitur, exercitiis, nihil ad mortificationem hominis facientibus;*

XIV. *tum ex teſtimoniis Clemangis, Petri de Aliaco, Polydori Vergilii, Gravaminum Imperii, Urbani VIII. Papæ;*

XV. *tum ex debacchationibus ſolennibus & feſtivis Bacchanalium;*

XVI. *quorum impietas verbis Baptiſtæ Mantuani graphicè depingitur.*

XVII. *Impuritati Hierarchiæ anſam etiam lex cœlibatûs Sacerdotibus lata; & vota continentiæ Monaſtica præbent. Donum continentiæ non commune fidelibus univerſis, ſed proprium quibuſdam eſſe, ex* 1 *Cor.* vij. 7. *&c.*

XVIII. *nec non Matth. xix.* 10. 11. *& natura ipſa demonſtratur.*

XIX. *Cœlibatum lege vel voto ſuſcipientes, vel jam mortificati, vel nondum mortificati ſunt. Utroſque certiſſimo impuritatis periculo ſe exponere, probatur.*

XX. *Preces & afflictatio certa obtinendæ in cœlibatu continentiæ remedia non ſunt.*

XXI. *Neque id ex promiſſionibus, iis, qui petunt, pulſant, quærunt, factis comprobatur.*

XXII. *Monachorum inprimis vota, vita, iners cultus, otium ad impuritatem omnem ducatum præbet, quod hypotypoſi quadam ab Henrico Moro adornata oſtenditur.*

XXIII.

Digitized by Google

XXIII. *Summum ex lege & voto cœlibatûs periculum augent tum immodica & falſa encomia cœlibatûs;*

XXIV. *tum contumeliæ, quibus matrimonium inprimis eorum, qui voto ad cœlibatum ſe priùs obſtrinxerunt, Hierarchici afficiunt.*

XXV. *Experientia teſtis impuritatis ex lege & votis cœlibatûs conſecutæ inducitur;*

XXVI. *atque teſtimoniis Gerſonis, Pighii, Dominici à Soto ſuffulcitur.*

XXVII. *Concubinatus inprimis Cleri, Clemangis, Johannis Chemenſis, Gravaminum Imperii, Alberti, Bavariæ Ducis, Eſpencæi confeſſionibus probatus, periculum legis & votorum cœlibatûs clariſſimè arguit.*

XXVIII. *Impuritas à Clero capite ad ſubjectum univerſum populum facilè promanat.*

XXIX. *Bellarmini exceptio, quòd non lex & vota cœlibatûs, ſed eorundem abuſus prodigioſus libidines pepererit, diluitur.*

XXX. *Hierarchicorum prætextus, quòd ad vovendum & ſuſcipiendum cœlibatum neminem impellant vel cogant, diſcutitur.*

XXXI. *Eorundem functio Sacra concipiendæ impuritati anſam præbet; in confeſſione auriculari inprimis. Inſtructio Sacerdotum ad confeſſiones audiendas plena impudentiæ eſt, quod ex Caſuiſtarum libris proditur; inprimis Sanchezii opere de matrimonio, de quo Petri Aurelii Sorboniſtæ judicium graviſſimum adſcribitur.*

XXXII. *Confeſſarii ſic inſtructi quales confitentes efficiant.*

XXXIII. *quomodo etiam ſe ipſi gerant, res loquitur, & teſtes Alvarus Pelagius, Eraſmus patefaciunt.*

XXXIV. *& Caſuiſtarum caſus, circa denuntiationes Sacerdotum, qui pueros, puellas, fœminas pro arcano hoc tribunali ſolicitant; ex Diana Panormitano eruti demonſtrant.*

Digitized by Google

celebrius nihil eſt, poſtquam inprimis Roſarium & Pſalterium B. Virginis, & Confraternitates Roſarii, atque Sodalitates invaluerunt.

Sanctis honorem debitum iidem detrahunt, arcentes populum à lectione Scripturæ, quæ honorem eorum genuinum tradit.

L. Neque etiam parùm de juſto honore & gloria Cœlitum Hierarchici delibant prohibente, vel paucis certè ſpeciali indultu permittentes lectionem Scripturæ, in qua Angelorum, Patriarcharum, Prophetarum, Apoſtolorum, Martyrum, aliorúmque Sanctorum dicta & facta, gloriæ & honoris eorum veri materies, Divinitus nonnullorum ex ipſis manu ſcripta ſunt. Quid enim aliud gloria eſt, quàm *frequens de aliquo fama cum laude*, uti Cicero *lib. ij. de invent.* loquitur? Sapientiam & laudem Enochi, Noe, cæterorum, quibus palmam fidei ac pietatis Apoſtolus Heb. XI. 4. &c. tribuit, quàm pauci inter Pontificios Eccleſiæ Chriſtianæ populos celebrârunt? Quorum plerique ex Pontificiis inſtitutis in tanta ignorantiæ caligine cuſtoditi ſunt, ut non magis cognitas habuerint virtutes illorum hominum Dei, quam Virgilianum illum verſum:

Ad nos vix tenuis famæ perlabitur aura.

Quo pacto uxores fidelem obedientiam Saræ: fideles cuncti Abrahami veſtigia ſibi ſequenda proponere, & Prophetas ſumere pro lenitatis exemplari, quæ non ſine inſigni honore Saræ, Abrahami, Prophetarum 1. Pet. III. 6. Spiritus S. præſcribit poſſunt, cùm innumerabiles non modò fœminæ, ſed & viri, Pontificiorum Paſtorum, ſeu luporum potiùs ſævitia ſic è Scripturarum paſcuis profligati ſint, ut mirum ſit, ſi nôrint, quod genus hominum Prophetæ ſint, aut ecquis Abrahamus, ecquæ Sara fuerit unquam? Honorificum fore Matthæo, Lucæ, Jacobo, Johanni, cæteriſque, ut à pluribus legantur & audiantur, quis ignorat? Niſi forte ad honorem Mariæ facere putabimus, quòd Matth. XXVI. 13. & Marc. XIV. 9. ejus erga Chriſtum beneficentia commemoranda dicitur in quocunque mundo

hoc

hoc prædicatum Euangelium fuerit: Euangeliſtis autem honori non eſſe, quòd & hujus, & reliquæ totius Diviniſſimæ Chriſti hiſtoriæ ſcriptores, in quocunque loco degit diſperſa Eccleſia, celebrantur. Aut de Orationis Galbæ Epilogo Ciceronem *de Clar. Orat.* aptè pronuntiâſſe: *Tanto in honore, pueris nobis, erat, ut eum etiam ediſceremus;* at Apoſtolorum ſcripta ſi cujuſvis ætatis, ſexûs, ordinis homines legant, nedum ediſcant, ad honorem eorum nihil pertinere; dicemus.

Ne quidem Paſtores & Theologi Scripturas condignè tractare, & ex iis veras Sanctorum laudes depromere ſinuntur.

LI. Sed fortè ſi non plebeji in lingua vernacula; at certè Paſtores in Officiis Eccleſiaſticis Latinè; Theologi aliique viri docti in S. Scriptura Latinè, Græcè, Hebraicè talia legere, & populo tradere permittuntur. Atqui etiam Parochis tam pauca & puſilla Scripturarum fruſta in Breviariis ſuis recitanda præſcribunt, ut nec ipſi laudes Sanctorum, de quibus dixi, Abrahami fidem, Saræ obedientiam, Prophetarum lenitatem celebrare ſoleant. Quod etſi Cardinalis Quignonius obſervavit, & ex parte correxit in Breviario Romano à ſe reformato, ubi *Præfat. ad Paulum III.* conqueſtus eſt, *diſceſſum antea fuiſſe à Sanctiſſimis veterum Patrum inſtitutis, propterea quia libri Sacræ Scripturæ, qui ſtatis anni temporibus legendi erant more Majorum, (ut eſt in monumentis Gelaſii & Concilii Romani* LXX. *Epiſcoporum) vix dum incepti omittuntur in alio Breviario;* tamen Pius V. *Brev. Rom. ex decreto Concilii Trid. reſtitut. Pii V. juſſu edito,* iſtam Cardinalis correctionem corrigens in Breviario novo, diſceſſit rurſum à veterum Patrum inſtitutis, capitáque illa Sacræ hiſtoriæ de fide Abrahami, obedientia Saræ, & multa ſimilia de Prophetis, quæ Quignonius reſtituerat, ex Parochorum libris & oculis removit. De Theologis verò Claudius Eſpenæus *in cap.* I. *ad Tit.* teſtatur, inter Epiſcopos Pontificios eſſe, qui Scripturarum lectionem tam periculoſam judi-

judicent, ut ab ea præ metu abſtineant, caveántque ſic, ne fiant hæretici, *quaſi verò*, inquit, *hæreſes ex Scripturarum ſtudio, ac non potiùs ex neglectu & ignorantia naſcantur.*

S. Petrum ex Apoſtolorum choro deturbantes, Romæ Paſtorem faciunt. De eo Diſceptatio Cardinales inter & Græcum, apud Nilum.

LII. Quid quòd lectiſſimos illos Dei ſervos, quos Chriſtus Matth. XIX. 28. Seſſuros in duodecim thronis, & judicaturos duodecim tribus Iſraël pollicitus eſt, Hierarchici tantùm non de ſupremo dignitatis ſuæ faſtigio deturbant? Sic enim S. Petrum Orbis doctorem ad eas anguſtias redegerunt, ut ex Apoſtolo Eccleſiæ Romanæ particularis Paſtor & Epiſcopus fieret. In Appendice Nili de Primatu Papæ extat initium diſceptationis cujuſdam Græcum inter & Cardinales Romanos habitæ, ubi Cardinalibus pertendentibus, *Petrum fuiſſe primum Eccleſiæ Romanæ Paſtorem*, reſpondet Græcus: Ἂν ἀγνωμόνως ἀκούειν ἐθέλετε, τὸ πρὸς τιμὴν τάχα τοῦ κορυφαίου τῶν Ἀποστόλων τοῦτο παρ' ὑμῶν εἰσαγόμενον, εἰς τοὐναντίον μᾶλλον περιτρεπόμενον εὕρητε. Πρῶτον μὲν, ὅτι τὸν οἰκουμένης ὅλης διδάσκαλον ἀπὸ τῆς Ἰουδαίας ἀρξάμενον τοῦ κηρύγματος, ἐν δὲ τῇ Ῥώμῃ τὸν τῆς ἀποστολῆς δρόμον τελέσαντα, διὰ τοῦ τοιούτου προβλήματος ὑμῶν μόνης τῆς Ῥώμης διδάσκαλον τοῦτον γενέσθαι κατασκευάζουσι. *Si æquis animis audire velitis; id quod vos veluti honoris cauſa de coryphæo Apoſtolorum adfertis, in contrarium potiùs vergere intelligetis. Primùm quidem, quòd totius orbis doctorem & Magiſtrum, qui prædicationis ſuæ initium à Judæa fecit; Romæ autem Apoſtolatûs ſui curſum peregit, tali veſtra propoſitione ſolius Romæ magiſtrum fuiſſe ſtatuitis, atque ita etiam Servatoris ad illum promiſſionem, quam Sancti Patres univerſaliter de omnibus qui crediđiſſent, & credunt, interpretantur; vos ad ſolam Romam coarctatis, violentáque interpretatione torquetis. Quo conceſſo reliquum eſt omnino, eam quæ Romæ eſt tantùm, non autem univerſam fidelium Eccleſiam ſibi adoptâſſe*

optâſſe Servatorem, ædificationémque hujus tanquam ſuper petram Petri doctrinam promiſiſſe. At verò qui ita & ſentiunt & loquuntur, qualem honorem Apoſtolorum coryphæo deferant, ipſimet conſiderate. Plura addit Græcus, quibus non parùm Romanos de honore S. Petri delibare & decerpere; atque velut Principis Apoſtolorum elogio cum ornent, revera tamen omni prorſus dignitate Apoſtolatûs exuere, liquidò probat.

S. Apoſtolos reliquos inſigniter deprimunt, Petro ſoli poteſtatis plenitudinem vindicantes, & Papæ cuivis eos poſtponentes.

LIII. Pari impietate Pius V. cœteros Apoſtolos omnes deprimit, quando ſic *Sent. Declar. contra Eliſabetham* loquitur: *Regnans in excelſis, cui data eſt omnis in Cælo & in terra poteſtas, unam Sanctam, Catholicam & Apoſtolicam Eccleſiam, extra quam nulla eſt ſalus, uni ſoli in terris videlicet Apoſtolorum Principi Petro, Petrique ſucceſſori, Romano Pontifici, in poteſtatis plenitudine tradidit gubernandam.* Chriſtus equidem Apoſtolis omnibus delegavit ſuum officium his verbis: *Sicut me miſit Pater, ita & ego mitto vos;* Joh. XX. 21. omnéſque pariter juſſit proficiſci & *docere omnes gentes* Matth. XXVIII. 18. *Omnium gentium* appellatione ſi notetur aliqua particularis, non univerſalis & Catholica Eccleſia, quantò minùs Papa Petro oſtendere poterit traditam Catholicam ex cura *ovium & agnorum* ei demandata, ſine appoſitione dictionis *Omnium* Joh. XXI. 15? In poteſtatis verò plenitudine commiſſam eſſe gubernandam ut Petro ſic cœteris, adeò luculenter Chriſti verba declarant, ut diſertè illinc Janſenius *Comment. in concord. Euang. cap.* 147. adſtruat, *Chriſtum ſuam eis functionem tradidiſſe cum plena ſibique propria poteſtate, quæ ad illam functionem Chriſti nomine obeundam erat neceſſaria; poteſtate ſcilicet remittendi & retinendi peccata; perinde atque Reges Legatis ſuis plenam poteſtatem committere ſolent, promittentes ſe ratum habituros, quicquid illi agerent rationabiliter.* Sed multum

& ex conſilio Eremitæ per annum centies de die Mariam ſalutabat, cui illa apparens dixit: *Ego ero uxor tua; accede ad me, & da mihi oſculum: & coëgit illum, dixitque. Modò initiatæ ſunt nuptiæ, & mox perficientur;* Cæſarius *lib. vij.* 33. tradidêre. Sic ergo polygamam faciunt etiam Cœlitem illam. Eandem ſolis Hierarchis, hoc eſt, Miſſificis, in commiſſi myſterii executione concedere, Gabriel Biel *Lect.* 4. blaſphemat. Miracula ei tributa planè contumelioſa ex legendarum & fabularum hamaxariis, Cæſario, Thoma Cantipratenſi, Diſcipulo de Tempore, Trithemio, Pelbarto de Themes Waar, Bernhardino de Buſtis, Alano de Rupe, aliis plura Cl. Rivetus *Apol. pro B. Virgine lib. ij.* 15. collegit. Denique meritò Eraſmus in Colloquio, quod *Naufragium* inſcribitur, Papiſtas reprehendit ſimul & albis dentibus ridet, quòd in præfectura maris Mariam Veneri ſubſtituerint. Nam olim Venus agebat curam nautarum, quia nata credebatur ex mari. *Ea quoniam deſiit curare*, inquit Eraſmus, *ſuffecta eſt* (à nautis Pontificiis, qui ex Pontificiæ Scholæ diſciplina Mariæ titulos *Stellæ maris, Reginæ Cœli, dominæ mundi, portûs ſalutis, dulcedinis, vitæ, ſpei noſtræ) huic matri non Virgini Virgo Mater.* Ita quod Pagani Venerem orabant: *Sic te Diva potens Cypri* &c. id nautas à Maria petere ſub Papatu, Virginem lectiſſimam in præfectura maris turpiſſimo ſcorto ſubſtituentes, Eraſmus indicat.

LV. Inter Sanctos Cœlites etiam referendi ſunt, qui *Patrum* nomine veniunt. Utut autem in honorem eorum multa Hierarchici garriant, ut ſimplicibus & incautis fucum faciant; revera tamen eos totos, quanti quanti ſunt, unius Papæ, Deaſtri ſui libidini ſubjiciunt, dedúntque mancupio & nexu, qui eos non aliter, quàm Mercatores ſuos ſolent calculos, uſurpat. Aliquando enim ei denariorum ſunt loco; aliquando librarum, ut ad manum quoſque *nec non S. Patribus;*

proximè ad rationes ſuas conficiendas habet. Epiſcopus Bitontinus *in Epiſt. ad Rom. cap.* 14. *pag.* 66. profitetur palam, ſe in his, quæ myſteria fidei tangunt, plus uni ſummo Pontifici credere, quàm mille Auguſtinis, Hieronymis, Gregoriis. Præterea eos invitos ad patrocinium doctrinæ Antichriſtianæ trahunt, lancinant, adulterant, interpungunt, veru critico, quoties lubet, notant. Indicio eſſe poſſunt Indices Expurgatorii, Romanus, Hiſpanus, certiſſimi eorum erga Patres irreverentiæ teſtes.

denique corporibus Sanctorum illata.

LVI. Denique Sanctorum defunctorum corpora falſis honoribus illi mactant, & veris defraudant. Nam ad honorem eorum pertinere, ut terræ communi matri mandata, ibidem quieſcant, uſque dum ad vitam à Deo revocentur; exempla corporum Sanctorum Patriarcharum, Moſis, piorum Regum, aliorum probant. Ipſius Eliæ oſſa, quorum contactu mortuus reſuſcitatus eſt, Joſia 2 Reg. XXIII. 18. piè mandante, ne quidem commota, ſed humi relicta ſunt. Hi verò Sactorum oſſa non tantùm commovent & è ſepulchris ſuis effodiunt, adeóque ſepulchra Sacroſancta violant; ſed etiam circumgeſtata & publicè conſpecta, alia quidem in ſublimiore ſepulchro condunt; alia verò penitus inſepulta ſervant, eáque ſepeliunt *ſepulturâ aſini*, uti Propheta Jerem. XXII. 19. loquitur: adeóque honoris ſcilicet cauſa faciunt, quod Pontificii ipſi, imò & Ethnici ignominioſum, profanum & impium eſſe docent. Bellarminus enim *de Purgat. lib. ij. cap. ult.* inter *utilitates, quæ mortuis ex ſepultura accedunt*, hanc commemorans, *quòd conſulitur honori eorum, adhuc in hominum memoriis viventium. Non enim caret*, inquit, *ignominia quadam, quòd fœditas noſtri corporis aliorum conſpectui pateat.* Et Cardinalis Borrhomæus *Concil. Mediol.* 4. *tit. de Sacris reliquiis, Concil. Tomo* 5. cum univerſa Synodo Mediolanenſi vetat, *ne tangantur Sacræ reliquiæ, quoniam hoc ſa-*

hoc ſacrilegium, ac minùs propterea ferendum eſſe S. Gregorius ſcribit. Gregorius autem *Regiſtr. lib. iiј. epiſt.* 50. ſcribens, *intolerabile eſſe omnino atque ſacrilegum, Sanctorum corpora tangere*, addit; *cùm ſepulchrum Laurentii Martyris ignoranter ab operariis aliud agentibus apertum eſſet, eos, qui præſentes erant, & laborabant, Monachos & manſionarios, qui corpus Martyris viderunt, etſi tangere non præſumpſerunt, omnes intra decem dies obiiſſe, ita ut nullus vitæ ſupereſſe poſſet, qui ſanctum & juſtum illius corpus viderat.* Denique *inſepultam ſepulturam* Cicero *Philipp. I.* pro dedecore habuit. Nec Turnus Virgilianus *Æneid. lib.* 10. largiens Pallanti, *Quiſquis honos tumuli eſt*, mortuis honorificum putavit non humari. Et Horatius *Epod.* 16. bella civilia hoc incommodo maximum ſui odium commotura ſperavit, quòd hoſtis, urbem occupans civibus orbatam, ſepulchrum Romuli violaturus ſit:

Quæque carent ventis & ſolibus, oſſa Quirini,
(Nefas videre) diſſipabit inſolens.

Atqui Hierarchici Sanctorum oſſa ſervant in capſis oſtendenda populo, à Clericis attrectanda, geſtanda in proceſſionibus, in altaribus exponenda: nec ea vel à ventis, vel à Solis radiis remota eſſe ſinunt, ſed è ſepulchris eruta conſpectui tactuique hominum objiciunt, & quaquaverſum diſſipant. Cujus enim Sancti paulò celebrioris oſſa non varias in oras diſperſerunt? Etenim Abundius & Abundantius neutiquam ex clariſſimis Divis fuerunt. Eorum tamen, uti ex *Hiſt. paſſ. invent. & tranſlat. Sanctorum Abundii & Abundantii edit. à Colleg. Societ. Jeſu Romæ A.* 1584. liquet, corpora poſtquam è Coſmæ & Damiani Templo, in quo requieſcebant, in novam Jeſuitarum Baſilicam Gregorius XIII. transferri juſſiſſet, quædam eorum oſſa relicta ſunt in priſtino hoſpitio Coſmæ & Damiani; quædam ad

Cœno-

Cœnobium Sanctimonialium Senas tranſportata; quædam in Japonum, novi orbis inſulam, ultra Garamantas & Indos tranſmiſſa ſunt. Licet ergo jactent Papiſtæ, ſe reliquias ita tractare ad Sanctorum honorem; atque id eo ſenſu, quo Cicero *Philipp.* 1. quendam *honorem contumelioſum* nominat; atque idem *Pro domo ſua* aſſerit *Catonem ejectum eſſe à Clodio per honorem turpiſſimum;* verum eſt: tamen eas tractant ignominioſè, exhumantes diſſipantéſque corpora, quæ in pace ſepulta ſunt: & quorum fœditatem, vel Bellarmino ſupra agnoſcente, ratio, religio, jus humanitatis tellure tegi jubebat; ea partim intra capſas, partim extra hominibus videnda & tangenda exhibent.

Concluſio argumenti. LVII. Ex iis, quæ hactenus per ſumma capita attigi, jubare meridiano clariùs conſtat, Hierarchicos honorem debitum multis modis detrahere Deo, ejus verbo, Chriſto, Eccleſiæ Dei, Sanctis Cœlitibus, Patriarchis, Apoſtolis, Deiparæ, omnibus denique Sanctis. Frigidiùs proin remiſſiúſque juſto mihi agere videor, ſi Apoſtoli illud de Judæis dictum: *Neque Deo placent, & omnibus hominibus adverſantur,* 1 Theſſ. 11. 15. iis accommodem. Nam & Dei Chriſtique honorem ſuâ idololatriâ ſpoliiſque multifariis horribiliter lœdunt; & Angelos hominéſque electos contumeliis probríſque graviſſimis afficiunt; adeóque *ſe blaſphemiis nefariè polluunt,* quo ſuſcepto demonſtrationis octavo capite ritè nos defunctos confidimus.

DIS-

Digitized by Google

DISSERTATIO
DECIMA QUARTA
QUA

Hierarchiam, ſeu Clerum Eccleſiæ Romanæ dominantem eſſe Babylonem Magnam probatur Nonò, *quia luxuriâ & impuritate carnis ſe multis modis polluit.*

BREVIARIUM.

I. *Ad habitum interiorem Babylonis M. pertinet etiam luxuria & impuritas carnis.*

II. *Ejus Hierarchia rea peragitur demonſtratione Syllogiſmo innexa. Cujus propoſitionis nexus & Aſſumptio per ſingula membra probatur.*

III. *Hierarchia luxuriæ anſam ejuſmodi præbet, ut eam ob carnis infirmitatem & eventum inevitabilem certò poſt ſe trahat.*

IV. *Luxuriæ inſtrumenta Babylon habet divitias haud vulgares.*

V. *Hierarchiæ in corradendis divitiis ſumma ſolertia exponitur.*

VI. *Iiſdem ad luxum & potentiæ exaltationem abutitur.*

VII. *Prætextus acquirendarum divitiarum ad externi cultûs ſplendorem futilitas.*

VIII. *Uti eam divitiis ad magnificentiam, ſuperbiam,*

ogle

IX. *inprimis luxuriam, idoneis teſtimoniis & documentis probatur.*

X. *Babylonis & Hierarchiæ exacta hac in re harmonia.*

XI. *Otium luxuriæ mater eſt.*

XII. *Religioſum Hierarchiæ otium ex frequentia feriarum cognoſcitur.*

XIII. *Ad luxuriam otium illud inclinare demonſtratur tum ex cultûs; qui feſtivo tempore peragitur, exercitiis, nihil ad mortificationem hominis facientibus;*

XIV. *tum ex teſtimoniis Clemangis, Petri de Aliaco, Polydori Vergilii, Gravaminum Imperii, Urbani VIII. Papæ;*

XV. *tum ex debacchationibus ſolennibus & feſtivis Bacchanalium;*

XVI. *quorum impietas verbis Baptiſtæ Mantuani graphicè depingitur.*

XVII. *Impuritati Hierarchiæ anſam etiam lex cœlibatûs Sacerdotibus lata; & vota continentiæ Monaſtica præbent. Donum continentiæ non commune fidelibus univerſis, ſed proprium quibuſdam eſſe, ex* 1 *Cor. vij.* 7. *&c.*

XVIII. *nec non Matth. xix.* 10. 11. *& natura ipſa demonſtratur.*

XIX. *Cœlibatum lege vel voto ſuſcipientes, vel jam mortificati, vel nondum mortificati ſunt. Utroſque certiſſimo impuritatis periculo ſe exponere, probatur.*

XX. *Preces & afflictatio certa obtinendæ in cœlibatu continentiæ remedia non ſunt.*

XXI. *Neque id ex promiſſionibus, iis, qui petunt, pulſant, quærunt, factis comprobatur.*

XXII. *Monachorum inprimis vota, vita, iners cultus, otium ad impuritatem omnem ducatum præbet, quod hypotypoſi quadam ab Henrico Moro adornata oſtenditur.*

XXIII.

Digitized by Google

XXIII. *Summum ex lege & voto cœlibatûs periculum augent tum immodica & falſa encomia cœlibatûs;*

XXIV. *tum contumeliæ, quibus matrimonium inprimis eorum, qui voto ad cœlibatum ſe priùs obſtrinxerunt, Hierarchici afficiunt.*

XXV. *Experientia teſtis impuritatis ex lege & votis cœlibatûs conſecutæ inducitur;*

XXVI. *atque teſtimoniis Gerſonis, Pighii, Dominici à Soto ſuffulcitur.*

XXVII. *Concubinatus inprimis Cleri, Clemangis, Johannis Chemenſis, Gravaminum Imperii, Alberti, Bavariæ Ducis, Eſpencæi confeſſionibus probatus, periculum legis & votorum cœlibatûs clariſſimè arguit.*

XXVIII. *Impuritas à Clero capite ad ſubjectum univerſum populum facilè promanat.*

XXIX. *Bellarmini exceptio, quòd non lex & vota cœlibatûs, ſed eorundem abuſus prodigioſus libidines pepererit, diluitur.*

XXX. *Hierarchicorum prætextus, quòd ad vovendum & ſuſcipiendum cœlibatum neminem impellant vel cogant, diſcutitur.*

XXXI. *Eorundem functio Sacra concipiendæ impuritati anſam præbet; in confeſſione auriculari inprimis. Inſtructio Sacerdotum ad confeſſiones audiendas plena impudentiæ eſt, quod ex Caſuiſtarum libris proditur; inprimis Sanchezii opere de matrimonio, de quo Petri Aurelii Sorboniſtæ judicium graviſſimum adſcribitur.*

XXXII. *Confeſſarii ſic inſtructi quales confitentes efficiant.*

XXXIII. *quomodo etiam ſe ipſi gerant, res loquitur, & teſtes Alvarus Pelagius, Eraſmus patefaciunt.*

XXXIV. *& Caſuiſtarum caſus, circa denuntiationes Sacerdotum, qui pueros, puellas, fœminas pro arcano hoc tribunali ſolicitant, ex Diana Panormitano eruti demonſtrant.*

XXXV. *Muſicam voluptuariam Babyloni Spiritus Dei tribuit. Eadem Hierarchicorum cultus perſtrepit.*

XXXVI. *Muſicæ apud eoſdem abuſus.*

XXXVII. *De ſcenica & theatrali eorum Muſica, voluptati potiùs quàm cultui Dei inſerviente, voces Eraſmi;*

XXXVIII. *Guilhelmi Lindani;*

XXXIX. *ipſius Thomæ Aquinatis & Cajetani proditæ.*

XL. *De fornicatione, adulterio tenuiter Hierarchici ſentiunt.*

XLI. *Quin peccata Sodomæ Johannes Caſa, Archiepiſcopus Beneventanus & Legatus Papæ laudavit; nequicquam ab Hardingo, objiciente Juello, defenſus;*

XLII. XLIII. *Ex pœnis criminum, quid de ipſis criminibus judex ſentiat, colligitur. Hierarchici autem impuritati, fornicationi, adulterio &c. leviſſimas pœnas conſtituunt.*

XLIV. *Vetus Eccleſia ſcortatores à miniſterio ſuo amovit.*

XLV. *Secus longè Hierarchici; quorum Caſuiſtæ, Baunius, Maſcarenhas quoslibet Clericos poſt quamvis pollutionem mortaliter peccaminoſam, etiam contra naturam, adeòque à ſcelere recentes, prævia contritione ſola, ſacris defungi poſſe, ſciſcunt.*

XLVI. *Pii demum V. contra Clericos Sodomitas Bulla, eoſdem clericali dignitate exuens; ne quidem, juxta Eſcobarium, in foro conſcientiæ obligat.*

XLVII. *Impuritatis ejuſdem pœnæ per indulgentias & viliſſima pro diſpenſationibus & abſolutionibus pretia relaxantur.*

XLVIII. *Taxæ pœnitentiariæ impuritatis quaſvis ſpecies pecuniæ pretio æſtimantis, extrema improbitas, ab ipſo Claudio Eſpencæo depicta.*

XLIX. *Ex eadem, quo pretio olim inceſtus, actus Clericorum libidinoſi qualeſcunque, contra naturam etiam; &*

beſtia-

Digitized by Google

beſtialitatis crimen ipſum taxari ſueverint, oſtenditur.

L. *Indulgentiæ pro futuris peccatis, efficax luxuriandi illecebra, ex libello de ſtationibus Romæ, Romæ & Norimbergæ edito, expoſitæ.*

LI. *Papales in gradibus Divinitus prohibitis diſpenſationes Romanam Eccleſiam inceſtant.*

LII. *Lupanaria ab ipſo Pontifice erecta, Hierarchiæ impuritatem quàm maximè inſuper propalant.*

LIII. LIV. *Prætextus Jeſuitarum, quòd Papa lupanaria non probet, ſed permittat permiſſione facti, & quadam etiam juris, diluitur; hac inprimis ratione, quòd conſtat, Papam ex lenonia hac quæſtum facere.*

LV. *Prætextus alter, quòd eadem ad vitanda graviora mala permittat, ceu publica Babylonicæ impuritatis confeſſio exploditur.*

LVI. *Majora mala iis locis, quibus lupanaria in uſu non ſunt, nec timentur, nec patrantur.*

LVII. *Eſpencæi & Pici Mirandulani adverſus lupanaria declamatio.*

LVIII. *Lenoniæ huic Papæ neutiquam favet, quòd Lupanaria Papa, ut Epiſcopus, non probet, ſed cenſuris Eccleſiaſticis lupas notet.*

LIX. *Hierarchiæ denique omnimoda impuritas experientiæ & hiſtoriæ ipſius luce & teſtimoniis liquidò probatur.*

LX. *Pontificum ſummorum impuritas.*

LXI. *Eadem decem Pontificum, continuo ferè ordine, intra Seculi unius decurſum, ſibi ſuccedentium, puta Pii II. Pauli II. Sixti IV. Innocentii VIII. Alexandri VI. Julii II. Leonis X. Pauli III. Julii III. Pii IV. infamia libidinum laborantium, allato ſpecimine & hiſtoria apertam in lucem profertur.*

LXII. *Cleri totius Romani impuritas teſtimoniis ex Scriptoribus Pontificiis octo retro Seculorum repetitis convinci-*

vincitur, ubi teſtes inducuntur ex Seculo Nono S. Huldrici Auguſtani Epiſcopi ad Nicolaum I. epiſtola. Cujus germanitas aſſeritur.

LXIII. *De Seculi Decimi impuritate Baronii confeſſio.*

LXIV. *Ex Seculo Undecimo teſtes citantur Petrus Damiani, qui librum titulo Gomorrhæi ſcripſit, à Leone Papa ſuppreſſum.*

LXV. *Ex Duodecimo Bernhardus, Rupertus Tuitienſis.*

LXVI. *Ex Decimo tertio Guilhelmus Durandus, Hugo Cardinalis.*

LXVII. *Ex Decimo quarto Alvarus Pelagius, Robertus Holkot.*

LXVIII. *Ex Decimo quinto Johannes Gerſon, Nicolaus Clemangis, Epiſcopus Chemenſis author libri de Onere Eccleſiæ, Petrus de Aliaco Cardinalis Cameracenſis, Staniſlaus Orichovius, Nicolaus Tudeſcus, Polydorus Vergilius, Æneas Sylvius, Platina, Felix Malleolus.*

LXIX. *Ex Decimo Sexto ſtatus Imperii Romani, Cardinalis Campegius, Antoninus Cornelius Lynnichanus, Ferdinandus I. Maximilianus II. Dux Bavariæ, Eraſmus, Caſſander &c.*

LXX. *Adeò frequens paulò ante Reformationem Cleri ſcortatio & concubinatus fuit, ut in ludum & jocum abiverit, quod ex quodlibetari diſputatione Heidelbergæ ſolenniter ventilata probatur.*

LXXI. *Hierarchiam impuritate & luxuriâ carnis multis modis ſe polluere, adeóque Babylonem M. eſſe, concluditur.*

Ad habitum interiorem Babylonis M. pertinet etiam luxuria & impuritas carnis.

I. Ad habitum interiorem Babylonis Magnæ Spiritus S. haud obſcurè luxuriam & impuritatem carnis refert. Nam & Meretricem, neque qualemcunque, ſed μεγάλην *Magnam* Apoc. XVI. 1. utramque propter ſcortationem ſpiritualem & corporalem, eámque

eámque non vulgarem, ſed exquiſitam, multifariam, horribilem; nuncupat; & eidem *δύναμιν τοῦ στρήνους potentiam luxuriæ;* qua ſcilicet *ἐστρήνιασε luxuriavit*, Apoc. XVIII. 3. 7. tribuit. Pertinent eodem *γόμος* ſeu *Merces* Babylonicæ, luxuriæ inſtrumenta, ib. v. 11. & quòd in ea *vox Citharoedorum, Muſicorum, tubicinum* perſonuiſſe c. XVIII. 22. commemoratur.

II. Hierarchiæ Eccleſiæ Romanæ iſthoc luxuriæ & impuritatis carnalis ſtigma jure meritóque inurimus, Syllogiſmo ejuſmodi freti:

Ille cætus ſe luxuria & impuritate carnis multis modis polluit, adeóque cæteris paribus, Babylon Magna eſt; qui non tantùm luxuriæ & impuritati carnis anſam præbet, dum luxuriæ inſtrumenta avidè nimis conquirit, otium religioſum cum inefficaci cultu & debacchationibus conjunctum ſectatur; legem de cœlibatu Sacerdotum figit & pertinaciter tuetur; votum Cœlibatûs perpetui laudat & commendat; opportunitatem impuritati concipiendæ & fovendæ in ipſa functione ſacra ſuppeditat; Muſicæ voluptuariæ amore & ſtudio nimio tenetur: ſed etiam de fornicatione, adulterio, aliiſque impuritatibus tenuiter nimis ſentit, eáſque levibus pœnis afficit, & diſpenſationum indulgentiarúmque beneficio pœnis exſolvit; contra leges Divinas de inceſtu diſpenſat, lupanaria permittit; denique omnis generis libidinibus nefariè indulget.

Ejus Hierarchia rea peragitur demonſtratione Syllogiſmo innexa. Cujus propoſitionis nexus & Aſſumptio per ſingula membra probatur.

Atqui Hierarchia, ſeu Clerus Eccleſiæ Romanæ dominans non tantùm luxuriæ & impuritati carnis anſam præbet, dum luxuriæ inſtrumenta avidè nimis conquirit, otium religioſum cum inefficaci cultu & debacchationibus conjunctum ſectatur, legem de Cœlibatu ſacerdotum figit & pertinaciter tuetur, votum perpetui cœlibatûs laudat & commendat, opportunitatem impuritati concipiendæ & fovendæ in ipſa functione ſacra ſuppeditat, Muſicæ volu-

voluptuariæ amore & ſtudio nimio tenetur: ſed etiam de fornicatione, adulterio, aliiſque impuritatibus tenuiter nimis ſentit, eaſque levibus pœnis afficit, & diſpenſationum indulgentiarúmque beneficio pœnis exſolvit; contra leges Divinas de inceſtu diſpenſat, lupanaria permittit, denique omnis generis libidinibus nefariè indulget.

Ergo Hierarchia, ſeu Clerus Eccleſiæ Romanæ dominans ſeſe luxuriâ & impuritate carnis multis modis polluit, adeóque, cæteris paribus, Babylon Magna eſt.

Cùm utraque Propoſitio plura membra complectatur, juvabit ſingula ordine proponere, atque quoad ſingula, utrique propoſitioni fidem certam facere.

Hierarchia luxuriæ anſam ejuſmodi præbet, ut eam ob carnis infirmitatem & eventum inevitabilem certò poſt ſe trahat.

III. Qui cœtus luxuriæ & impuritati carnis anſam non unam præbet, haud dubiè ſe luxuriâ & impuritate carnis polluere cenſebitur, ſi anſa illa luxuriam & impuritatem iſtam, ſive ob carnis humanæ infirmitatem, ſive ob eventum inevitabilem poſt ſe traxerit. Ejuſmodi autem anſam præbere inter alia etiam membra illa in Propoſitione utraque commemorata, paucis nunc demonſtremus.

Luxuriæ inſtrumenta Babylon habet divitias haud vulgares.

IV. Primò *Luxuriæ inſtrumenta* Babyloni Magnæ Spiritus S. Apoc. XVIII. 3. 11. 12. &c. non obſcurè tribuit. Notat enim in ea v. 3. δύναμιν στρήνους *potentiam luxuriæ*, ſeu inſtrumenta exercendæ luxuriæ potentia & prævalida. Vocem στρηνιᾶν Heſychius interpretatur διὰ πλοῦτον ὑβρίζειν *propter divitias contumeliis afficere*. Arethas καταζωλαλᾶν ἢ παρόντες βίῳ, quod luxuriari eſt. Res ergo terreſtres, divitias, luxuriæ inſtrumenta Babyloni Spiritus Dei vendicat. Eſt enim Babylon illuſtre emporium Apoc. XIII. 17. Finis ejus eſt ditari, rebus terreſtribus ad voluptates carnis nutriendas abundare. Sed & v. 11. &c. inter Babylonis merces reponitur γόμος *mercimonium auri, argenti, lapidis pretioſi, margaritæ, byſſi, purpuræ, ſerici, coccini; omne lignũ odoratũ, vas eburneum, cinnamomũ, odoramenta, myrũ, thus, vinũ, oleum* &c.

Quæ

Quæ omnia ſive ſecundùm literam, ſive allegoricè capiantur, eò tendunt, ut Babylonis divitiæ & abundantiam rerum terreſtrium delineent. *Si ſecundum litteram*, nulla dubitatio erit. Sin *allegoricè*, ut v. 9. *aurum* ſit emblema Dei; *argentum* puritas naturæ Chriſti humanæ; *Lapis pretioſus* B. Petrus &c. eodem res redit, quia Babylon ſpiritualia quæſtui habet ad acquirenda corporalia corrogandas immenſas opes quarum beneficio genio indulgere & in mundo luxuriari valeat.

Hierarchia in corradendis divitiis ſumma ſolertia exponitur.

V. Hiſtoria Eccleſiæ teſtis locuples eſt, Chriſtum & Apoſtolos nihil minùs curæ cordique habuiſſe, quàm ut opes corraderent; & ex eo tempore ad Conſtantinum M. uſque vix quicquam à divitiis magis alienum fuiſſe, quàm Eccleſiam. Inde paulò opulentior facta eſt, maximè inde à Caroli M. temporibus. Is enim exemplo ſuo non tantùm poſteris præivit in ditanda Eccleſia; ſed etiam ipſos Eccleſiaſticos ad opes captandas liberaliter invitavit. Inde factum, ut tandem Prælatorum ii optimi cenſerentur, qui Eccleſiæ ſuæ opes augerent maximè. Sed hos multis poſt ſe paraſangis Pontifices reliquerunt. Si enim reliquorum omnium ſolertiam, artes, dolos in unum conferas; longo intervallo diſtabunt ab horum vivida induſtria & ſolertia; quæ tandem Petro ampliſſimum acquiſivit patrimonium; non ſine miraculo quodam. Nam qui vivus poſſidebat omnino nihil, & quoad terreſtres opes nec Iro nec Codro controverſiam feciſſet; is Succeſſores ſuos ita ditavit, ut iis comparati Reges atque Imperatores, vix non vilia mendicabula dici queant. Cæterùm de Hierarchiæ divitiis, & modis acquirendi eaſdem ex profeſſo pluribus infra, ubi argumentum undecimum proſequemur.

Iiſdem ad luxum & potentia exaltationem abutitur.

VI. Hæc ergo luxuriæ inſtrumenta ſic luxuriæ & impuritati carnis anſam præbent, ut eadem ſe Hierarchia nefariè polluat. Etenim divitiæ nunquam meliùs æſtimantur

quàm à luxu, & voluptatum fruitione. Non deeſſe autem Hierarchas ſupremos, medioxumos, imos, qui omnes Sardanapalos & Heliogabalos longè excedant, hiſtoriarum monumenta non loquuntur, ſed clamant. Luxus ipſe tantus eſt in Romanenſibus, ut nuſquam major: rarò æqualis; etiam in profanis. Fictitia Conſtantini M. donatio ſupponit ſedem Romanam glorioſiùs exaltandam, quàm Imperatoris ſedem; atque adeò omnia ei concedit, quibus ad maximam pompam & luxuriam Imperatores uti ſolent.

Prætextus acquirendarum divitiarum ad externi cultûs ſplendorem futilitas.

VII. Nihil ego de Sacrarum opum uſu nunc dicam, quòd (ſic Eraſmus *Orat. de Virg.* queritur,) *nonnullis in locis oſtenditur Mariæ delubrum, ſericis, argento, auro, gemmis differtum: ut, qui illic adorant Virginem, Mammonem adorare videantur: quæ opes multò gratiores eſſent Mariæ, ſi erogarentur & impenderentur ſublevandis Chriſti membris, in quibus unà cum filio vel affligitur vel refocillatur mater:* nihil quòd *in cæterum* (Aventini *Hiſtor. Bojor. lib. vij.* gemella querela eſt) *Templorum ornatum, cultum parietum atque pompam verſa ſunt, quæ in alimenta pauperum antea diſtribuebantur.* Licet enim cum calicibus ligneis aureos Sacerdotes reduci optimus quiſque malit, optetque cum Iſidoro Peluſiota *lib. ij. Epiſt.* 246. τὴν ὄντως ἐκκλησίαν *veram potiùs Eccleſiam ſpiritualibus gratiis excoli; quàm* τὸ ἐκκλησιαστήριον *Templum pluſquàm par ſit, exornari magnificè: cùm interim illa comicis cavillis inceſſatur:* tamen is ipſe præpoſterus opum Sacrarum uſus, partim Judaiſmi, partim Gentiliſmi κακοζηλίᾳ invectus excuſari qualitercunque ſolet. Nec importuniùs objecto, quæ ſunt ab hiſtoricis annotata de miniſtris (ſic Thuanus *lib. j.* Guicciard. *lib. xiij.*) *Pontificis, qui per luſtra & popinas cottidie ſine pudore, in aleæ luſum, uſúſque turpiſſimos, poteſtatem extrahendi animas functorum*

Digitized by Google

functorum ex igne expiatorio promittentes, pecuniam à credulis emunctam profundebant. His enim ipſum nunc Clerum ob proditam nimia licentia tam utilem fabulam graviter iraſci ſcio; beatis futuris, ſi corraſa indulgentiarum æruſcationibus bona ſua non jactâſſent; ſi ſciviſſent in ſinu gaudere, & ſe ad clandeſtinam ganeam occultúmque luxum referre potiùs, quàm ſermonibus & curioſulis iſtis in purgatorias indulgentias inquiſitionibus occaſionem dare.

VIII. Illa verò, quæ moribus hodiernis tam uſitata, quàm excuſata, partim etiam ad decus ac ſplendorem dignitatis Eccleſiaſticæ relata videas, quis eſt, quæſo, qui, revocato ad rationem judicio, probare queat, quòd (cum Eraſmo Adag. *Sileni Alcibiad.* loquor) *Sacerdotes prædiis famulitio, luxu, mulis, equis, ſumptuoſis ædium, vel magis palatiorum ſubſtructionibus, ac reliquo vitæ ſtrepitu Satrapas ipſos æquant*, imò longè ſuperant? Non unus Cardinalis Wolſejus erat, *cujus* (ita apud Stow. in Henrico VIII. legere eſt) *palatio & ſumptu Regis major & ſuperbior eſſe non potuiſſet, dum omnia potiùs quàm ſemet ipſum viſendum efficiebat.* Non unus erat Nevillus, Eboracenſis Archiepiſcopus, cujus exquiſita cœnarum ingenia, & luxum menſæ, profuſis inaudita magnificentia ſumptibus exercitum eo præcipuè tempore, cùm Epiſcopen ſuam ſuſciperet, ab authoribus, inprimis Godwino *de Præſul. Angl. pag.* 65. memoriæ proditum cum ſtupore legimus. Non unus Sixtus V. eſt, qui otioſa & ſtulta pecuniæ oſtentatione, *in unius obeliſci tranſlationem & erectionem 37965. coronatos impendiſſe*, à Cicarella in ejus vita ſcribitur. Adeò Clericalis ille luxus in immenſum prorupit ad cuncta, queis pecunia prodigitur: nec id ævo ſuperiore modò; ſed noſtris quoque temporibus, licet rebus multùm acciſis, eadem illa, quæ erat in abundantia, libido permanet.

Uti tam divitiis ad magnificentiam, ſuperbiam.

inprimis luxuriam, idoneis teſtimoniis & documentis probatur.

IX. Et hæc fortè æquo animo concoqui poſſent, niſi fructus longè nocentiores, & qui propiùs inſtitutum noſtrum contingunt, Clericalis iſthæc opulentia produxiſſet. Nam ut nihil de intolerabili, & ſummis quibuſque Principibus inſultante ſuperbia, indiſcreta fidelium pediſſequa, dicam: cui, quæſo, rei niſi Regalibus illis Cleri opibus tribuemus, quòd (verbis Platinæ in vita Marcellini Papæ id effabor) alia quoque *Cleri vitia uſque eò crevere, ut vix apud Deum miſericordiæ locum reliquerint? Quanta ſit avaritia Sacerdotum, & eorum maximè, qui rerum potiuntur; quanta libido undique conquiſita; quanta deſidia; quanta ignoratio tum ſui ipſius, tum doctrinæ Chriſtianæ: quàm parva religio, & ſimulata potiùs quàm vera; quàm corrupti mores, vel in profanis etiam hominibus (quos Seculares vocant) deteſtandi, non attinet dicere; cùm ipſi ita apertè & palam peccent; ac ſi inde laudem quærerent.* Qua morum impietate fit, *ut* (verba Eraſmi in adagio eodem *Sileni Alcibiadis* mea faciam) *Chriſti nomen infametur inter Ethnicos. Quid enim conſentaneum eſt, Chriſtianæ religionis hoſtes dicere, cùm in Euangelicis literis viderint, Chriſtum ad opum contemptum, ad voluptatum abdicationem, ad gloriæ neglectum hortantem: & è regione conſpexerint, primores etiam ac duces Chriſtianæ profeſſionis ita vivere, ut opum accumulandarum ſtudio, ut voluptatum amore, ut vitæ ſplendore, ut belli ferocitate, cæteriſque ferè vitiis omnibus, ipſos ſuperent Ethnicos?*

Babylonis & Hierarchia exacta hac in re harmonia.

X. Quid verò multis? Luxuriæ inſtrumenta Babyloni Magnæ Spiritus S. tribuit. Eandem luxuriæ & impuritatis ipſius ream peragit. Luxuriæ inſtrumenta non modio, quod ajunt, nec trimodio, ſed toto horreo Hierarchia poſſidet; plus quàm tertiam terrarum partem, & redituum prope dimidiam complexa; quam non immeritò *quatuor*

illis

illis *inſaturabilibus* Solomonis Prov. xxx. 16. adjeceris. Luxuriam & impuritatem ipſam Cleri, inſtrumentis illis malè quæſitis abutentis, infra domeſticorum teſtium fide nullo negotio probabimus. Et probat S. Pagina, quæ Ezech. xvi. 49. iniquitatis Sodomæ cauſam inter alias *ſuperbiam* & *ſaturitatem panis* נאון שבעת לחם perhibet. Planè igitur cum Babylone Magna Hierarchiæ convenit.

XI. Luxuriæ carnis non poſtremam anſam *Religioſum* illud, quod in Feriis & feſtivitatibus Sacris anniverſariis lege vel conſuetudine receptis, agitatur *otium;* cum cultûs inefficacis & exanimis exercitio conjunctum, ſuppeditat. Nam in univerſum Otium Diaboli pulvinar, & deſidia ſpurcitiæ mater eſt; atque juxta tritum illud, *Otium luxuria mater eſt.*

Otia, ſi tollas, periêre cupidinis arcus,
Contemptæque jacent & ſine luce faces.
Hæc ut ames faciunt, hæc quæ fecêre tuentur,
Hæc ſunt jucundi cauſa cibúſque mali.

Et ſanè quid aliud eſt ἀεργία *otium*, quàm κακουργίας ἀρχὴ, *maleficii principium*, uti veriſſimè Baſilius definit? quàm vitiorum plurium fœcunda parens & nutrix? Scilicet otioſus Diabolo ſemel à ſe digreſſo cor ſuum parat, ut avidiùs revertatur, & ſeptem pejoribus aſſumptis latiùs & impotentiùs dominetur. Neque enim aditum promptiorem apud eos, qui jugum ejus excuſſiſſe videbantur, invenit, quàm ſi ipſos nulli bono operi intentos, ſed ῥᾳθυμοῦντας, ſecuros, otioſos inveniat. Unde Spiritus S. Ezech. xvi. 49. inter iniquitates Sodomæ etiam שלות השקט *abundantiam otii* ejus & filiorum ejus refert. Nam otium quodvis cùm per ſe malum eſt, tum ad patranda alia mala invitat, quia nihil agendo malè agere diſcimus.

XII. Religioſum iſthoc otium ex frequentia feriarum ſacrarum, & cultûs in iiſdem ἀεργία inertia optimè cognoſcitur, *Religioſum Hierarchiæ otium ex*

frequentia feriarum cognoſcitur.

ſcitur. Olim quidem Eccleſiam, non ex Chriſti vel Apoſtolorum inſtitutione, ſed ſuo arbitrio, neque malo fine, feſta quædam inſtituiſſe, Socrates *Hiſtor. Eccl. lib. v. 22.* memorat. Talia erant Epiphaniæ, Paſchatis, Aſcenſionis, Pentecoſtes. Paulatim pro varietate Regionum variæ Martyrum memoriæ liberè inſtitutæ, & abſque ſuperſtitione celebratæ ſunt. Procedente tempore variis occaſionibus numerus eorum auctus eſt, uti ex Canone 36. Concilii Moguntini, ac inprimis ex Concilio Lugdunenſi A. M. CCXL. celebrato conſtat. Demum introducta ſunt feſta inventionis crucis, corporis Chriſti, quatuor Doctorum Eccleſiæ, Viſitationis, Præſentationis, Conceptionis Mariæ, Antonii, Nicolai, Catharinæ, aliorum, particularia inprimis ſine numero, fine & modo. Adeò quidem ut inter Gravamina Imperii A. MDXXII. Norinbergæ exhibita, haud poſtremum hoc fuerit, *quòd feriarum feſtorúmque tanta copia laicorum vulgus urgeatur, ut vix ægrè agricolis tempus ſuppetat, quo fructus agri tot ſudoribus è terra pellecti, aliquando aqua pluvia immodicóque æſtu non rarò etiam grandine aliáve tempeſtate periclitantes, in borrea conferantur.*

Ad luxuriam otium illud inclinare demonſtratur tum ex cultibus, qui feſtivo tempore peragitur, exercitiis, nihil ad mortificationem hominis facientibus;

XIII. Tolerari utcunque multitudo feriarum poſſet ſi cultus Dei verus vividúſque in iis celebraretur. Jam verò nefas equidem habetur eorum tempore ſecularibus negotiis, & honeſtis quærendi victûs rationibus vacare. Ipſe verò verus veri Dei cultus, & religionis ſalutaris exercitium friget, atque ejuſmodi eſt, ut corda hominum neutiquam attingat penetrétque, nec timorem pium Nominis ei ingerat, vel carnis cupiditates in feriantibus mortificet. Quippe mutorum duntaxat ſpectaculorum arbitri & ſpectatores publicæque liturgiæ, peregrina lingua, & in honorem non Dei, ſed Sanctorum, adeòque ſine ſolidæ pietatis incremento peractæ, auditores exiſtunt; atque ſic

præclarè

præclarè partibus ſuis ſe defunctos arbitrantur. Non iis religio verbum Dei legere, meditari, in ſuccum & ſanguinem convertere; ſed reliquum tempus totum alia omnia ſibi vindicant. Homines ergo qui nec mentes mortificatas habent, neque opportunitatem per intelligibilem, vivam, penetrantem Dei publicè colendi rationem, animarúmque convincendarum potens ad præmuniendos ſe adverſus carnis tentationes miniſterium adipiſcuntur, & tamen per legem Eccleſiæ ſic feriari coguntur, ut tutius iis ſit in caupona aut lupanari deprehendi, quàm honeſtum eo tempore quæſtum exercere; quò amabo, naturaliter magis, quàm in Cereris, Bacchi, Veneris ſacra minimè ſacra prolapſuri ſunt? Non poteſt non ergo Dierum feſtorum numeroſitas cum inefficaci & exanimi cultu, multiſque ſpectaculis conjuncta non turpitudinis ſchola, & libidinis ac impuritatis certiſſima nutrix exiſtere.

XIV. Faſſi ſunt id ipſum haud poſtremæ in Papatu authoritatis viri. Nam Michaël Altiſiodorenſis Archiepiſcopus, congregata Provinciali Synodo, pleraque feſta abolevit. *Credo*, ſic Nicolaus Clemangis, Magiſter Pariſienſis, & Archidiaconus Bajocenſis libello *de Novis feſtis* [illegible], *offenſum eſſe variis abuſibus non ſolùm Epicuræorum, ebrioſorum, aliorúmque flagitioſorum hominum, qui diebus feſtis toti effunduntur in omne nefas: ſed quòd videret, tot Divorum feſtis homines induci ad cultum creaturarum, Deique veri, qui ſolus coli vult, oblivionem.* In eodem libello Clemangis acerbè queritur, *tam multa de Sanctis legi & dici in Templis, ut jam ſacrarum literarum lectio planè omittatur. In antiqua Eccleſia planè diverſum fuiſſe morem. Itaque jam Deum ſuo loco detruſum & deturbatum eſſe, & Sanctos pro eo in Templis regnare.* Petrus de Aliaco, Cardinalis Cameracenſis, libro Sigiſmundi Imperatoris juſſu *de Reformatione Eccleſiæ*

tum ex teſtimoniis Clemangis, Petri de Aliaco, Polydori Vergilii, Gravaminum Imperii, Urbani VIII. Papæ;

ſiæ ſcripto, & Conſtantienſi Concilio oblato, inter alia feſtorum dierum numerum minui ſuadet his verbis: *Providendum eſſet, ne tot nova feſta ſolennizarentur, & tot novi Sancti canonizarentur: ut præterquam Dominicis & majoribus feſtis ab Eccleſia inſtitutis liceret operari poſt auditum officium, cùm quòd in feſtis ſæpe magis multiplicantur peccata in tabernis, choreis & aliis laſciviis, quas docet otium: tum quia dies operabiles vix ſufficiunt pauperibus ad neceſſaria vitæ procuranda: item ut in hujuſmodi feſtis Scripturæ apocryphæ, aut hymni novi, vel orationes, ſeu aliæ voluntariæ voluntates non legerentur omiſſis antiquis & authenticis, & jam in Eccleſia conſuetis.* Polydorus Vergilius *de Invent. Rer. lib. vj.* 8. ſcribit, *quàm olim ex religionis uſu erat feſta hæc inſtituere, tam nunc præſtare videri eadem antiquare, cùm (NB) bona pars hominum otium illud feſtorum dierum non ad adorandum Deum, non ad Divina ſcripta audienda, cujus rei cauſa datum eſt, ſed ad omnifariam bonorum morum corruptelam augendam, indies magis magíſque impudenter conſumat, dictitans, ſe id animi gratia facere, quaſi planè ſentiens cum Platone, qui ob illud ipſum, Deum ejuſmodi feſta ſacra inſtituiſſe ajebat. Faxit Deus, ut Pontifices noſtri tandem aliquando feſtos dies utiles reddant: quod facient, ſi minuendos & caſtè agitandos curârint.* Gravamina Imperii ſupra laudata eandem querelam ingeminant, *quòd feriatis diebus innumera perpetrentur delicta, peccata & ſcelera potiùs, quàm his omnipotens Deus colatur veneretúrque. Id quod,* inquiunt, *res ipſa notorium facit, tantùm abeſt, ut teſtibus hoc egeat.* Eraſmus *in cap. xj. Matth. Feriarum,* inquit, *nec finis nec modus: quæ cùm ad pietatis primitus vacationem paucæ ſint inſtitutæ, nunc ad ſcelerum excluſionem tolli debeant, niſi Sacerdotum avaritia ſuis rebus conſuleret potiùs,*

tiùs, quàm veræ religioni. Denique Urbanus VIII. in ſua de obſervantia Feſtorum Bulla A. MDCXLII. edita, feſtorum *numeroſitatem,* uti vocat, reſtricturus, fatetur, *quæ feſta ad glorificandum Divinum Numen primitus inſtituta fuerunt, ea temporis decurſu inimicum hominem corrupiſſe, & in magnam illius offenſionem, gravémque animarum jacturam convertiſſe.*

XV. Pertinent huc ſolennes illæ debacchationes, feſtivæ ſcilicet, quæ tribus primis *Quinquageſimæ* (ſic enim feſtum, quo pœnitentiam & remiſſionem, nec non ſtatum beatitudinis æternæ ſignificari & repræſentari, Hierarchici docent, appellatur) diebus ab univerſo populo, & ipſa quinquageſimæ Dominica à Clero, imò à nonnullis inde à die Nativitatis Chriſti uſque ad quadrageſimam frequentantur, adeò quidem flagitioſe, ut ſi quis Græcorum aut Romanorum veterum ad bacchantes illos rediret, Jovem lapidem juraturus ſit, ſua Bacchanalia & Lupercalia agitari. Pleraque enim ſua reperiret, & priſtinam inſaniam furorémque ſuum ſuperari multùm, cerneret. Hi enim non novis quibuſdam, ſed iiſdem, certíſque adeò ritibus & pompis, quas ſibi ipſi præſcripſerunt, quotannis uti conſueverant. Illi verò, Chriſti nomen præ ſe ferentes, ſingulis annis, ſingulis oppidis atque vicis novas pompas producunt. Hi, puta Romani, cognita Bacchicorum turpitudine, illa ex urbe ſua totáque Italia exterminârunt. Scythæ quoque, gens barbariſſima, ipſius naturæ inſtinctu ab illis vehementiſſimè abhorruerunt. Illi verò, Chriſtiani ſcilicet Catholici, illa mordicitus retinent, illis mirum in modum delectantur, illo non minore, ſed fortè majore, quàm olim Ethnici, furore atque inſaniâ, diurnis nocturniſque diſcurſibus, ludis, ſpectaculis obſcœnis, clamoribus atque vociferationibus inſanis, helluationibus atque potationibus monſtroſis, libidinibus vagis atque ſtupris agitant,

rum ex debacchationibus ſolennibus & feſtivis Bacchanalium;

ita ut non homines, ſed Stygiæ illæ Bacchæ, Furiæ atque Erynnes cum ardentibus ſuis facibus ex inferis excitatæ paſſim diſcurſare videantur. Denique improbitatem turpitudinémque illam pluſquàm gentilem, & qualemcunque effrænis imaginationis ſuæ laſcivia vel petulantia ſuggeſſerit, ſub larvis & perſonis committunt, perinde ac ſi abſcondito apud homines vultu, ipſi quoque Deo imponere, & ſanctiſſimo conſpectui ejus actiones ſuas deteſtabiles ſubducere poſſent. Quæ profectò recta methodus eſt homines cuivis improbitati & nequitiæ initiandi, eóſque peſtiferâ opinione imbuendi, quaſi virtus & vitium eſſent inania nomina, neque Deus ſcelerum & impuritatis omnis inſpector & judex eſſet.

quorum impietas verbis Baptiſtæ Mantuani graphicè depingitur.

XVI. Non poſſum quin profanam illam conſuetudinem, & abominabilem impietatem verbis Poëtæ Pontificii Mantuani deteſter. Sic enim ille & originem feſti, & feſtivitatem ipſam in ſuis Faſtis decantat:

Hic memorare libet quoddam grave temporis hujus
Crimen: & ipſius ſubjungere criminis ortum.
Roma Lupercales ludos antiquitus iſto
Menſe celebrabat: poſita gravitate per urbis
Compita curſabant ſtolidi ſine veſte Luperci,
Et ſcoticis olidi tractis de tergore capri
Pulſabant nuruum palmas: quia verbere tali
Pana Deum faciles credebant reddere partus.
Iſta ſuperſtitio, levis hæc inſania noſtros
Tranſit in mores. Veteris contagia morbi
Hauſimus, & quodam ſimili languore tenemur.
Nam juvenes iſtis facit inſanire diebus
Pan Deus Arcadiæ quondam: totaſque per urbes
Currere, & acceptis facies abſcondere larvis.
Eſt pudor in facie: facies velata pudorem
Significat læſum: ſciri laſcivia non vult,

Ora

Digitized by Google

Ora tegit: ſcelus eſt pavidum, metuiſſe videri.
Cuncta ſub ignotis petulantia vultibus audet,
Quæ ablegat gravitas, & quæ proſcribit honeſtas.
Per fora, per vicos it perſonata libido:
Et cenſore carens ſubit omnia tecta voluptas:
Nec nuruum palmas, ſed membra recondita pulſat:
Pérque domos remanent fœdi veſtigia capri.
Hoc quoque Roma levi curſu gaudebat equorum
Tempore: & in Mortis celebrabat Equiria campo.
Altera nil melior nuper dementia venit:
Sordida produxit vetitos comœdia ludos.
Scorta, ambubajas, balatrones & paraſitos,
Et genus id reliquos trahit in proſcenia menſis
Improbus: unde trahunt juvenilia pectora peſtem
Mortiferam: fiúntque ipſæ ſine fronte puellæ.
I, pudor, in villas, ſi non patiuntur eaſdem
Et villæ vomicas: urbs eſt jam tota lupanar.

XVII. Similem luxuriæ carnis & impuritati anſam *Lex* illa Hierarchicorum famoſiſſima, qua Sacerdotibus, aliiſque Ordinibus quos vocant, majoribus, promiſcuè omnibus, *Cœlibatum* injungunt, nec non *vota* cœlibatûs, ſeu *continentiæ* à matrimonio, quæ ſolenniter Religioſi nuncupant; ſuppeditant. Etenim cælibatum, ſeu continentiam à matrimonio eſſe *ἴδιον χάρισμα*, *ſingulare*, ſeu proprium quibuſdam donum, non commune omnium fidelium, nedum hominum Carnalium, quibus mundus ſcatet, beneficium, ipſe S. Paulus 1 Cor. VII. 7. 8. teſtatur, dicens: *Velim omnes homines eſſe, ſicut ego ſum. Sed quilibet habet proprium donum à Deo, alius quidem ſic, alius autem ſic. Dico autem cælibibus & viduis; Bonum eſt eis, ſi manſerint, ut maneo ego. Quòd ſi non continent, matrimonium contrahant.* Nihil apertius. Optat omnes eſſe, ſicut ipſe erat. At ipſe talis erat, ut poſſet continere. Senſus eſt:

Impuritati Hierarchiæ anſam etiam lex cælibatûs Sacerdotibus lata; & vota continentiæ Monaſtica præbent. Donum continentiæ non commune fidelibus univerſis, ſed proprium quibuſdam eſſe, ex 1 Cor. vij. 7. &c.

Velim omnes continere ſe, ſicut ego me contineo. θέλω; *velim*, inquit. Ergo ſciebat non omnes continere ſe. Tum cauſam reddit, quòd non omnibus ſint eadem dona; ſed quiſque *proprium donum*, alius ſic, alius autem ſic. Non omnes ergo, fideles etiam, donum continentiæ habent; adeóque ſingulare illud & proprium quibuſdam, non commune omnibus fidelibus, donum eſt. At quibus hoc deeſt, ii continere non poſſunt, adeóque ſive lege, ſive voto ad cœlibatum adſtricti ſint, urentur, & in ſcortationes prurient potiùs, quàm ſe continebunt. Apud quos proin tum lex Eccleſiæ, tum vota ab eadem approbata & laudata decumanam ad omne genus impuritatis aperiunt; cùm ad remedium iiſdem oppoſitum, caſtos thalamos, confugere iidem & lege & voto prohibeantur.

nec non Matth. xix. 10. 11. & natura ipſa demonſtratur.

XVIII. Sed & Chriſti manifeſtiſſimum eandem in rem oraculum eſt. Is enim Matth. XIX. 10. 11. diſcipulis objicientibus: *Si tale eſt negotium hominis cum uxore* (ut non poſſit illa niſi propter fornicationem dimitti) *non expedit contrahere matrimonium;* reſpondet: Οὐ πάντες χωροῦσι τὸν λόγον τοῦτον, ἀλλ' οἷς δέδοται. *Non omnes capiunt ſermonem hunc, ſed quibus datum eſt. Sunt enim Eunuchi, qui ex utero matris nati ſunt ita, & ſunt Eunuchi qui caſtrati ſunt ab hominibus, & ſunt Eunuchi, qui ſe ipſos caſtrârunt propter Regnum Cœlorum. Qui poteſt capere, capiat.* Non omnes ergo χωροῦσι *capiunt*, inquit Chriſtus, παραδηλῶν τοῦ πράγματος τὸν ὄγκον, *rei magnitudinem declarans*, inquit Chryſoſtomus. Metaphora ducta eſt à loco, qui arctior eſt, quàm ut omnia contineat. Ita Marc. 11. 2. *Statim congregati ſunt multi*, ὥστε μηκέτι χωρεῖν μηδὲ τὰ πρὸς τὴν θύραν, *adeò ut non caperent eos ne ea quidem loca, quæ erant ad oſtium.* Sicut ergo qui locus non capit locatum ſuum, is ne quidem poteſt capere: ſic qui ſermonem Chriſti non capiunt, ne quidem capere poſſunt. Unde Syrus Inter-

Interpres convertit per ספק *ſufficere.* לא כל נש ספק לרה *Non omnis homo ſufficit ſibi ad ſermonem hunc;* vel ſermonis hujus capax eſt. Neque ſanè χωρεῖν τὸ λόγον *capere ſermonem* hic eſt *ſermonem intelligere*, uti Maldonatus, aliíque interpretantur; repugnante Janſenio, non ſine ratione. Nam neque χωρεῖν ea notione ullibi uſurpatur; & λόγος Hebræorum more frequenter rem, quæ per ſermonem ſignificatur, notat. Quid enim difficile erat in ſermone diſcipulorum: *Si tale eſt negotium cum uxore, non expedit homini contrahere matrimonium:* ut opus eſſet gratia Dei, neque aliter ſenſum aſſequi quiſquam poſſet? Inprimis cùm ipſi diſcipuli propria & carnali ratiocinatione, atque à ſe ipſis id dixerint, ac proinde conceperint. Non omnes ergo rem hanc, abſtinentiam à matrimonio, ſeu cœlibatum, continentiam capiunt, ſeu ejus capaces ſunt; ſed, uti Chriſtus clarè explicat, ii demum, οἷς δέδοται *quibus datum eſt*, ita ut id omne à δόματι *datione*, donatione, gratia Dei ſingulari pendeat; atque deſtituti hac donatione & gratia vel matrimonium inire debeant, vel præſentiſſimo uſtionum, incontinentiæ, impuritatis periculo ſe exponant. Ipſa denique natura exceptis pauciſſimis, qui ſpeciali continentiæ dono gaudent, ſevera exactrix eſt illius tributi, abſque quo humanum genus intercideret.

XIX. Qui cœlibatum vel lege, vel voto ſuſcipiunt, ii, ipſorum Hierarchicorum ſententia, vel pii & animo mortificati ſunt; vel hypocritæ, verbis pietatem & caſtitatem præ ſe ferentes, reapſe pollutam mentem habentes. Utrique per legem & votum certiſſimo impuritatis periculo ſe objiciunt. Priores, quia utut inpræſentiarum dono continentiæ ſibi præditi videantur, vel revera præditi ſint, certi tamen non ſunt de dono illo durabili & perſeverante. Nam qui nunc continere poteſt per Dei gratiam; ille mox, Deo gratiam illam, quæ ſingularis & per ſe ſalutaris non eſt, ſubtrahen-

Cœlibatum lege vel voto ſuſcipientes vel jam mortificati, vel nondum mortificati ſunt. Utroſque certiſſimo impuritatis periculo ſe exponere. probatur,

ſubtrahente, in tentationes incidere, & iiſdem, lege ejuſmodi ſuſcepta, & nuncupato voto Deum tentantibus ſuccumbere poſſunt. Quod fortè meliùs Sacrificuli & Monachi, ſi conſcientiam ſuam interrogaverint, ſentiunt, quàm ego verbis exprimere valeam. Annon ergo tales lege & voto impediti, quò minùs legitimum medium, matrimonium, capeſſant, in uſtiones impuras, libidines tetras ruunt præcipites, adeóque conſcientiæ bonæ naufragium faciunt? Poſteriores verò, quos ne pietatis quidem frœnum ullum cohibet, lege & voto conſtrictos, quò minùs nubant potiùs quàm urant & fornicentur, in omne genus impuritatis, vagarùmque libidinum, qua datur porta, ſuapte indole & inevitabili illa peccati tyrannide, quæ neminem non fidelem & mortificatum ſui expertum relinquit, proclives ferri, adeóque porcorum inſtar in cœno ſuo volutari neceſſum eſt. Lex ergo & votum Cœlibatûs in omnibus iis, qui ſingulari continentiæ dono deſtituuntur, non occaſio duntaxat, ſed neceſſaria impuritatis cauſa exiſtit.

Preces & afflictatio certa obtinendæ in cœlibatu continentiæ remedia non ſunt.

XX. Sed in promptu, inquiunt Hierarchici, ſunt remedia, ſcilicet preces & afflictatio. Precantibus autem, petentibus, pulſantibus omnia promittuntur Matth. VII. 7. XXI. 22. Luc. XI. 9. &c. Et afflictio carnis faces libidinum extinguit. Specioſa equidem oratio, ſed parùm efficax. Sed, quæro, remedia illa matrimonio, an fornicationi opponant? Si matrimonio, jam illud cum Tatianis & Encratitis malum eſſe perhibebunt, quia remedium nullum dicitur niſi mali. Legimus equidem 1. Cor. VII. 5. abſtinendum eſſe ab operibus conjugii, ut vacetur orationi & jejunio. Sed nuſquam lectum, vacandum precibus & jejunio, ut abſtineatur à matrimonio. Neque etiam adverſus matrimonium remedio opus eſt, quia facile eſt abſtinere à matrimonio. Nam & Manichæi & Priſcillianiſtæ, & Eſſeni olim, & Ethnici equites Romani apud Dionem

Caſſium

Digitized by Google

Caſſium *lib.* LVI. & Sacerdotes ac Monachi impii, & Turcæ ipſi non pauci facilè matrimonio abſtinent. Atque ubicunque terrarum perſuaſum fuerit, aut non peccari, aut minùs peccari fornicando, quàm matrimonium contrahendo, nunquam hoc genus continentium & à matrimonio temperantium deerit. Sin remedia quærunt fornicationi oppoſita, nos quoque optima confitemur preces & jejunia; ſed his jungimus ab Apoſtolo quibuſvis periculum fornicationis reformidantibus oblatum remedium, ceu morbo ei maximè proprium & naturale, 1. Cor. VII. 2. *Propter fornicationem quiſque habeat ſuam uxorem, & quælibet uxor virum proprium.* Sed remedia adverſus fornicationem quærunt Hierarchici abſque matrimonio. Nolunt ſcortari; atque utinam ſeriò velint: ſed non volunt etiam matrimonio uti; imò ſi optio detur, malint ſcortari, quàm uti matrimonio. Sic ergo & legem ponunt, ne fas ſit Presbyteris nubere; & Religioſorum vota laudant impenſe, ac poſt remedia veſtigant, jejunia & preces; hoc eſt, præpoſterâ temeritate, & audaciâ intolerandâ, ſe priùs certiſſimo periculo exponunt; ac poſt remedia conquirunt, quibus erui poſſint. Alto ſe mari committunt abſque velis & remis, imò abſque navi; & tum Deum invocant, ut ſibi properè ſuccurrat. Quid eſt Deum tentare, ſi hoc non eſt? Priùs oportuit orare, jejunare, & precibus ac jejuniis vires à Deo impetrare. Sed qui in præſens vires à Deo impetrat, in præſens cœlibatum colere, at non ideo vovere perpetuum poteſt, quia nulla revelatione edocetur unquam, quòd vires continendi, utpote abſque quibus ſalus contingere poteſt, perpetim duraturæ ſint.

Neque id ex promiſſionibus, iis, qui petunt, pulſant, quærunt, factis comprobatur.

XXI. Nam quod promiſſiones Dei, quòd petentes exauditurus, pulſantibus aperturus ſit, ingeminant, fruſtra profectò ſunt. Nam continentiæ donum non commune omnibus fidelibus, ſed particulare & proprium quibuſdam

dam chariſma eſſe; ſupra firmavimus. Atqui hujuſmodi quæ ſunt, non dantur à Deo omnibus: ne quidem precantibus & jejunantibus. Quomodo dona linguarum, cognitionis, prophetiæ, ſanationum, miraculorum non à quovis fideli, intenſè licet precante, & auſterè jejunante impetrantur. Neque ruſticus quivis quæſitiſſimis precibus & jejuniis certò obtinebit, ut Propheta, Rex, prædives evadat. Ineptè ergo promiſſionibus ejuſmodi eorum velatur temeritas, qui, quaſi Deum devinctum ſibique obæratum tenerent, ſibi de eo pollicentur quidvis; atque ea confidentia freti nihil non audent; etiam ſupra vires ſuas. Enimverò non alias preces Deus exaudit, quàm eas, quæ vera fide funduntur. Fides autem Deo nixa non quid ille poſſit, attendit, ſed quid velit, conſiderat. Velle autem tum demum certò ſcit, cùm vel promiſſiones habet, vel vocationis ſpecialem neceſſitatem. Utrumque autem hic deeſt, quia nec Presbyteri officium neceſſariò continentiam exigit, neque ullus eſt, qui promiſſam eam audiverit. Sed neque conſtat cuiquam, quid de ſe Divinitus decretum ſit; & an velit Deus potiùs opera ſua ad propagationem hominum uti. Nunquam ergo fidelis erit oratio, perpetuum cœlibatum ſine conditione precantium; ac proin neque certa ſpes exauditionis. Denique fiduciæ, quæ habenda eſt, nos in talibus exauditum iri precantes, regula eſt voluntas Dei arcana; hoc eſt, tum nos exauditum iri certò, cùm ita poſtulabimus, ut tamen pendeamus ab ejus decretis, & deſideria noſtra voluntati ejus ſubjiciamus; juxta præceptum Chriſti, jubentis orare: *Fiat voluntas tua.* Atqui voluntas hæc Dei arcana, licet non rarò etiam cum voluntate manifeſtata, & cum noſtra etiam concurrat, non eſt tamen regula noſtrarum actionum, quia nobis incognita, niſi quantum per ſpecialem revelationem, vel eventum manifeſtatur. Non licet ergo hac fi-

ducia

ducia vel legem cœlibatûs accipere, vel eundem vovere.

XXII. Sed Monachorum inprimis & vota, & vita, & ἀγωγὴ omnis, & iners, quem exercent, cultus ad impuritatem quamvis ducatum præbent. *Pone* enim (liceat ſic cum Theologo Anglo percelebri, Henrico Moro *Myſt. Iniq. lib. ÿ. cap.* 12: 3. argutari) *ordinem hominum, eumque numeroſum, qui lautè opiparéque veſcantur, edant bibántque ex potiſſimis, qui otioſam vitam degant, aliéniſque laboribus victitent, qui nec ſubtilia, miréque effaſcinantia Philoſophiæ ſtudia, nobiliſſimæque ſpeculationis, proſequantur, quibus ſuperfluas corporis vires minuant, Spiritúſque ſuos exhauriant, nec ſe ullis penetrantioribus Devotionis angoribus fatigent, ſed tumultuario tantùm ac feſtinatorio modo preculas ſuas, tanquam externum quoddam officium, obeant, in quibus, ſi intelligantur, parum fortaſſis occurrit, quod ita animum afficiat, ut corpus quoquam modo conficiat, aut ſubdomet; pone, inquam, hos homines, quamvis ſatis habiles ſint ac idonei ad opera virilitatis, voto inviolabili (temerè & impudenter non ſolùm contra legem Dei, ſed & propriæ ſuæ naturæ & conſtitutionis corporeæ) facto ad cœlibatum perpetuum damnari, quis naturalis poteſt eſſe hujus rei eventus, niſi frequentes fornicationes, aut adulteria, actúſque Sodomitici? Quamobrem Monachi & Sacerdotes, & quicunque alii, qui huic legi in hujuſmodi circumſtantiis alligantur, non poſſunt, niſi per miraculum, quin conentur ſaltem transgredi, ſi non crebrò revera Naturæ ac Dei leges tranſgrediuntur, orbémque Chriſtianum putidiſſimo fumo ac vapore ſpurcitiarum ſuarum impleant. Et veriſimile eſt, eos prædam ſuam faciliùs reperire poſſe inter fœminas conſimili voto obſtrictas, ſi ipſæ etiam ſupponerentur naturalis ſui ingenii ac temperamenti ſponte ſe*

Monachorum inprimis vota, vita, iners cultus, otium ad impuritatem omnem ducatum præbet. quod hypotypoſi quâdam ab Henrico Moro adornata oſtenditur.

obtuliſſe, aut dolis importuniſque aliorum ſolicitationibus victæ in Monaſteria tandem conceſſiſſe. Verùm ſupponamus, has magis cuſtoditè ſecluſas eſſe. Mundus tamen ſatis latè patens eſt, & ſi verum eſt, quod vulgò dicitur, Caſta eſt, quam nemo rogavit; illis certè cùm tam bene inſtructi ſint, totque ferè iſtiuſmodi artibus & machinationibus vacent, haud eſt difficile prædam conſequi. Neque opus eſt, ut opportunitates excogitentur, cùm in aliquibus partibus, ſuæ religioſæ functionis ultro ipſis offerantur, ut in auricularis confeſſionis auditione privata. Hæc ille, non στοχαζόμενος nudè, ſed verè divinans.

Summum ex lege & voto cœlibatûs periculum augent tum immodica & falſa encomia cœlibatûs;

XXIII. Summum ac inevitabile, quod lege & voto Cœlibatûs conſtrictis pleriſque impendere impuritatis periculum oſtendimus, augent non parùm Cœlibatûs immodica, quæ Monachi impuri, non ſine matrimonii contumelia, decantare ſolent encomia. Sic enim apud peſſimos quoſque externæ profeſſionis typho inflatos, virtus laudatur & alget. In univerſum ergo Cœlibatum ſua natura & intrinſeca ratione, non reſpectu finis, commodi & utilitatis tantùm, matrimonio honeſtiorem, ſanctiorem, excellentiorem eſſe, tuentur. In iis equidem, quibus datum eſt ſe continere, Cœlibatum conjugio ratione συμφέροντος, *commodi* & *utilitatis* multiplicis præferendum eſſe Apoſtolus 1. Cor. VII. toto clarè teſtatur. Cæterùm ſic Hierarchici cœlibatum conjugio præferunt, ut eum prædicent opus ſua natura melius, ſanctius, honeſtius conjugio, ſatisfactorium pro peccatis, meritorium remiſſionis peccatorum tum propriorum, tum alienorum, uti quidem ex formula abſolutionis Monaſticæ, Roſario Bernhardini, Theologorum multifariis ſcriptis cognoſcitur. Per cœlibatum ſupererogari docent. Ipſa opera in cœlibatu facta minima, qualia ſunt ſedere, ſtare &c. præferunt operibus maximis

maximis in conjugio ex præſcripto tabulæ utriuſque factis, uti idem Roſarium illud teſtificatur. Addunt inſuper Cœlibatûs encomiaſtæ, pleníſque buccis decantant, votivam, non aliam virginitatem, veram virginitatem eſſe: ejuſdem originem à Novo demum Teſtamento, Chriſto & authore & cœlibe eodem arceſſendam eſſe: eſſe eum opus perfectionis Euangelicæ, denique ſtatum cœleſtem Angelicum, imò Divinum: Cœlibes eſſe genuinos Martyres: ſolum cœlibatum dignum fuiſſe, unde naſceretur Salvator mundi: Cœlibes eximia & peculiari ratione eſſe Templa Dei; aliáque ejuſmodi non pauca, quæ à vicino quopiam rapſodo corraſa & impotenter ſatis impudentérque jactata *Parthenogam. cap.* 4. ad partes vocata heic vel recenſere ſingula, vel cenſere ſuperſedemus.

XXIV. Atque hæc non poſſunt non in Matrimonii Divinitus inſtituti dedecus vergere. Sed graviora etiam ſunt probra, quibus Conjugium μισόγαμοι hi, ſed haud minùs φιλήδονες, vix Manichæis, Priſcillianiſtis, Encratitis veteribus clementiùs proſcindunt. Siricius, de cujus tum imperitia Hieronymus *Epiſt.* 16. tum ſuperbia Paulinus *Epiſt. j.* graviter olim queſti ſunt, *Epiſt. j. ad Himerium cap.* 7. conjugium, ceu carnalem ſtatum, damnavit; ad legem novellam cœlibatûs à ſe impiè rogatam detorquens verba S. Pauli Rom. VIII. 8. *Qui in carne ſunt, Deo placere non poſſunt. Vos autem*; ſic infert, *jam non eſtis in carne, ſed in Spiritu, ſi tamen Spiritus Dei habitat in vobis.* Alibi *Epiſt.* 4. *cap.* 9. Presbyteris matrimonium prohibet eo ſcilicet argumento, quòd juxta S. Paulum Tit. 1. 15. *coinquinatis & infidelibus nihil mundum ſit. Qua de re*, ſubjicit, *hortor, moneo, rogo, tollatur hoc opprobrium, quod poteſt jure etiam gentilitas accuſare.* Idem *C. Quia diſt.* 82. Presbyterorum cum propriis uxoribus commercium *obſcœnas libidines* appellat. Innocentius II.

tum contumelia, quibus matrimonium inprimis eorum, qui voto ad cœlibatum ſe priùs obſtrinxerunt, Hierarchici afficiunt.

tius II. *diſt.* 28. *C. decernimus* haud molliùs: *Cernimus*, inquit, *ut ii, qui in ordine ſubdiaconatus & ſupra uxores duxerint, aut concubinas habuerint, officio atque Eccleſiaſtico beneficio careant. Cùm enim ipſi Templum, vaſa Domini & ſacrarium Spiritus S. debeant eſſe & dici, indignum eſt (NB) cubilibus & immunditiis deſervire.* Quid verò multis? Baronius *A.* 1074. *n.* 34. petulantibus verbis ſic conjugium inceſſit: *Conjugii turpitudine, reti Diaboli tenebantur adſtricti clerici conjugati.* Bellarminus quoque *de Monach. lib.* ÿ. 30. pertendit, Religioſos votum continentiæ nubendo violare, non violare ſcortando. Et tralatitia, ſed Gomorrhææ quàm Chriſtianæ ſimilior vox eſt, præſtare ut cœlibes votivi urantur, ſcortentur, Sodomitica ſcelera patrent, quàm ut nubant, quæ aliàque ſimilia *Parthenog. cap. x.* fuſiùs demonſtrata heic ad compendium pono.

Experientia teſtis impuritatis ex lege & voti cœlibatûs conſecuta inducitur:

XXV. Cùm ergo ſic matrimonium Hierarchici pipulo differant, atque infra cœlibatum contumelioſe deprimant, quin & apud quoſvis dono continentiæ ſive præditos ſive deſtitutos, voto cœlibatûs perpetui, ſeu prudente ſeu imprudente obſtrictos ſcortationes, adulteria, & horribilia quævis carnalis impuritatis ſcelera matrimonio potiora ducant, atque eadem ratione unicum poſt Dei gratiam adverſus ſcortationes vagáſque libidines remedium matrimonium ſcilicet abipſo Deo inſtitutum, & ab Apoſtolo ſcortationi & incontinentiæ oppoſitum, voti nulla juris vel Divini vel humani legitimi neceſſitate, nulla pietate nuncupati, prætextu, tot hominum, quos pollere continentiæ dono minimùm illi ignorant, myriadibus eripiant, latam adeò non modò feneſtram, ſed portam fornicationibus, adulteriis, aliiſque ne nominandis quidem flagitiis eoſdem aperire conficimus meritò: Ut hic quoque illud Bernhardi *Serm.* 66. *in Cantic.* valeat: *Tolle de Eccleſia*

cleſia honorabile connubium & thorum immaculatum, nonne reples eam concubinariis, inceſtuoſis, ſeminifluis, mollibus, maſculorum concubitoribus, & omni genere immundorum. Quod non minùs verum eſt de parte Eccleſiæ, clero quàm populo. Cujus rei addere poſſumus teſtem experientiam, ex qua conſtat, cœlibatûs vota & tam auſteram legem pridem degeneráſſe in fœdos concubitus paſſivæ Veneris, ut qui non poſſunt legitimas uxores, habeant ſaltem proſtitutas mulieres, focarias & concubinas, imò ipſi ſuum pudorem proſtituant.

XXVI. Ejuſmodi neceſſitatem per interdictum conjugii uſum introduci vidit & agnovit Joh. Gerſon *de vita Spirit. animæ Lect. iv. Coroll.* 14. *propoſ.* 3. Cùm enim memoráſſet Thomam aliosque dicere, peccare eos, qui à Sacerdotibus fornicariis miſſam audiunt, ſubjungit: *Inexperti fortè erant hi doctores, quàm generale, & quàm radicatum ſit hoc malum, & quomodo deteriora flagitia circa uxores aut filias parochianorum, & abominationes horrendæ in aliis provenirent apud multos patrios, rebus ſtantibus ut ſtant, ſi quærerentur per tales cenſuras arceri. Scandalum certè magnum eſt apud Parochianos Curati ad concubinam ingreſſus, ſed longè deterius, ſi erga parochianas ſuas non ſervaverit caſtitatem.* Idem Gerſon dialogum Naturæ & Sophiæ de Cœlibatu Eccleſiaſticorum, quaſi caſtitatem eorum deſperans, concludit dicendo, *quòd de duobus malis minus eſt, incontinentes tolerare Sacerdotes, quàm nullos habere.* Scilicet vir ille neque malus, neque ſtupidus, non videbat, nihil neceſſe eſſe, ut ad iſta extrema aut nullos aut incontinentes Sacerdotes habendi deveniatur. Datur enim medium, ſive remedium, nempe ut honeſtum conjugium cuivis, qui continere nolit aut nequeat, permittatur. Eos verò, quibus caſtitas ab ipſo Spiritu S. commendata ſordet, juſto Dei

atque teſtimoniis Gerſonis, Pigbii, Dominici à Soto ſuffulcitur.

judicio ad veras ſordes & flagitioſam immunditiem prolabi, nihil mirum eſt. Albertus Pighius *Controv.* 15. *ſub init.* hanc ipſam controverſiam tractans, *Sacerdotii vilitas*, ait, *contemptus & irreverentia apud populum primùm ex multitudine nimia; deinde ex indignitate, poſtremò ex vita palam ſcelerata ſcandaloſaque multorum hujus ſacratiſſimi ordinis mihi pendere videtur.* Et poſt pauca: *His colophonem addidit, ut diximus vita publicè ſcandaloſa plurimorum ac palam incontinens, & huic indignitati ac malo faſtigium, ac ſupremam, ut ſic dicam, manum impoſuit.* Dominicus Soto *de juſt. lib. vij. q. 6. a.* 1. *Fatemur*, ait, *caſtitatis votum non eſſe obſervatu facile, Sacerdotúmque ordinem Eccleſiæ neceſſarium perquam numeroſum eſſe. Et agnoſcimus inſuper in privatis ædibus non uſque adeò tutò ſervari poſſe ejuſmodi votum, quàm in Monachorum clauſtris. Neque verò inficias imus, crebros eſſe in clero concubinarios & adulteros.* Sed hanc in rem longè plura & diſertiora ſub finem teſtimonia producemus. Et vel ſolus concubinatus Sacerdotum, lupanarium habendorum, & canonum relaxandorum neceſſitas, de quibus paulò poſt, paſſivam illam Cleri impuritatem invictè demonſtrat.

Concubinatus inprimis Cleri; Clemangis, Iohannis Chevaminum Imperii, Alberti, Bavariæ Ducis, Eſpencæi confeſſionibus probatus, periculum legis & votorum cœlibatus clariſſimè arguit.

XXVII. De Sacerdotum concubinatu multa equidem dici poſſent. Id ſanè Pontificia doctrina & tyrannide effectum eſt, ut quàm inter laicos receptus eſt conjugii uſus, tam frequentes inter clericos ſint ſcortationes, ut videri jam olim potuerit ſanctione publica decretum, quemadmodum laici conjugati plurimum ſint, ita clericos concubinarios eſſe oportere. Memorat Sleidanus *lib. iij. Hiſt.* vigente Papatu apud Helvetios *in nonnullis pagis hunc fuiſſe morem, quum novum quempiam eccleſiæ miniſtrum reciperent, ut juberent eum habere concubinam, ne pudicitiam alienam tentaret.* Is gentis candor erat. Nicolaus Clemangis *de corr. Eccl. ſtatu cap.* 15. crudè ſatis: *Jam illud,*

lud, obſecro, quale eſt, quòd pleriſque in diœceſibus, Rectores Parochiarum, ex certo & conducto cum ſuis Prælatis pretio, paſſim & publicè concubinas tenent. Idem *cap.* 20. *Quid enim de Capellanis & Canonicis longum me trahere ſermonem neceſſum eſt, cùm uno verbo dicere liceat, ſimiles Epiſcoporum pro ſuo modo canonicos eſſe.* Et poſt: *Adhuc autem ebrios, incontinentiſſimos, utpote qui paſſim & inverecundè prolem ex meretrice ſuſceptam, & ſcorta vice conjugum domi habeant.* Johannes Chemenſis Epiſcopus in Onere Eccleſiæ *cap.* 23. *Sacerdotes,* inquit, *fornicationibus coinquinantur: maximè Curati ſcordeſcunt in concubinatu adeò manifeſto, quòd nulla tergiverſatione celari poſſit.* Principes & Proceres Imperii, teſtes omni exceptione majores, inter Gravamina, quibus in Comitiis Norinbergæ A. M. D. XXII. celebratis Germaniam levari flagitabant, hæc quoque *Grav.* 75. & 91. propoſuerunt: *Officiales-Clericos religioſóſque accepto ab eiſdem annuo cenſu, publicè cum ſuis concubinis, pellicibus & aliis id genus meretricibus illegitimè cohabitare, liberóſque procreare ſinunt. Quæ res quantum ſcandali, periculi, detrimenti animabus & corporibus pariat, non eſt quod recenſeatur, cùm nemo id, niſi talpa cæcutiat magis, non videat.* Item: *In locis pleriſque Epiſcopi & eorum officiales non ſolùm Sacerdotum tolerant concubinatum, dummodo certa perſolvatur pecunia, ſed & Sacerdotes continentes, & qui abſque concubinis degunt, concubinatûs cenſum perſolvere cogunt, aſſerentes, Epiſcopum pecuniæ indigum eſſe, quâ ſolutâ licere Sacerdotibus, ut vel cœlibes permaneant, vel concubinas alant. Quàm res hæc ſit nefanda, nemo non intelligit.* In Concilio Tridentino Orator Alberti Bavariæ Ducis Oratione, quæ inter oppuſcula Dudithii extat: inter alia dixit: *Clerus noſter tantis Eccleſiæ calamitatibus nullo modo neque afficitur,*
neque

neque affligitur, ſed multò magis inſoleſcit, gulæ libidinibúſque indulget. Et poſt: *In proxima viſitatioue per Bavariam facta, tam frequens concubinatus repertus fuit, ut vix inter centum tres vel quatuor inventi ſint, qui aut manifeſti concubinarii non fuerint, aut clandeſtinè matrimonia non contraxerint, aut uxores palam non duxerint.* Claudius Eſpencæus *in Tit. cap.* 1. *Turpiſſimum*, inquit, *quòd & hos cum concubinis, pellicibus & meretriculis cohabitare, liberóſque procreare ſinunt, accepto ab eis, atque adeò alicubi à continentibus certo quotannis cenſu. Habeat, ajunt, ſi velit. Et quotus enim quiſque talis, cùm tales tamen tam multi ſint, hodie aliter punitur?*

Impuritas à Clero capite ad ſubjectum univerſum populum facilè promanat.

XXVIII. Quantam verò jam putabimus fornicationi exiſtimationem conciliari, quando libertatis ejus exemplum eluceſcit in iis, qui caſtitatis, continentiæ, mortificationis cupiditatum carnis exemplaria exquiſitiſſima; typi ducéſque immediati gregis & populi eſſe debuerant? Quando ergo eòuſque corruptio & licentia prorumpit, ut Sancti ſcilicet unctique Dei viri, permiſſu legum Summi Sacerdotis ſui, concubinas, quæ, cùm uxores non ſint, tam prope ad ſcortorum conditionem accedant, quàm quatuor denarii ad drachmam, in complexu delitiiſque habeant, neceſſum eſt populum univerſum incentivo tali ſeductum ad licentiam ſimilem & majorem etiam ruere præcipitem, cùm eum, qui dux comeſqúe itineris ad Cœlum habetur, Meretriculam audacter adeò in contubernium, itinerique conſortium admittere videt. Religio enim Chriſtiana concubinatum & fornicationem uno eodemque cenſu habet. Oportet enim quemque maritum eſſe unius uxoris, concubinæ verò neminem; ſiquidem id à communi ſenſu Chriſtianæ pietatis abhorret. Juvenes ergo authenticum adeò fornicationis exemplum intuentes cominus in ſpirituali illo ſuo Patre, perſona tam ſacra ſcilicet, ut ne

Magi-

Magiſtratus quidem civilis miniſtro fas ſit manus ei admoliri; qui exiſtimatur idoneus pro populo interceſſor apud altare ſupremum in Sancto Sanctorum; cujus ſolius labia ſic ſanctificata putantur, ut ſoli poculum attrectare, deoſculari, exhaurire, abſtergere liceat; cujus denique adeò omnipotens halitus eſt, ut verbis quinque demurmuratis Creatorem humani generis creare poſſit; quid non audebunt ipſi? Annon cum bello illo adoleſcente in comœdia dicent: *Ego homuncio hoc non faciam. Ego verò illud faciam, ac lubens.* Adeò potenter invitabuntur omnes eximio Sacerdotis exemplo, animabuntúrque ad turpitudinem in ſingulis villis, oppidis, civitatibus cujuſvis populi patrandam.

Bellarmini exceptio, quòd non lex & votū cœlibatûs, ſed eorundem abuſus prodigioſas libidines pepererit, diluitur.

XXIX. Bellarminus *de Cleric. lib.j.*21. objicienti, *quòd Cœlibatus Clericorum prodigioſas libidines pariat, mundum concubinis,& Eccleſiam ſcandalis repleat;* reſpondet, *falſum eſſe, quòd cœlibatus iſta pariat, ſed abuſus eſt,* inquit,*cœlibatûs,qui iſta parit. Si autem propter abuſum res bonæ tollendæ eſſent, Cœlum & terra etiam tollenda eſſent.* Ineptè dictum, ſi quid aliud. Abuſus enim ſupponit & includit uſum abſtractè loquendo, hoc eſt, rem, de qua agitur, applicari ad praxin, ſive opus aliquod. Si rectè applicatur, bonus & legitimus uſus eſt; ſecus abuſus. Quis autem dixerit, cœlibes, dum fornicantur, cœlibatum ſuum ad praxin & opus transferre? Cœlibatus quidem eſt ſtatus vitæ extra matrimonium; quæ degitur vel continenter; quomodo idem fuerit quod continentia & ſtatus continentiæ: vel incontinenter; qualis cœlibatus impurus & profanus eſt, Chriſtiano nomine indignus, nec verè propriéque cœlibatus, ſed ſcortationis ſtatus appellandus. Qui ergo ſcortatur, & libidinibus indulget, eo ipſo ſicut continens, ita cœlebs quoque, ſecundùm propriam acceptionem appellari & eſſe deſinit; adeóqne neque continentia, ne-

que cœlibatu abutitur; ſed & illam & hunc penitus amittit. Hujus autem prægrandis & enormis peccati inter clericos Pontificios frequentis adeò cauſa eſt temerarium continentiæ propoſitum, ſeu lex cœlibatûs indifferenter omnibus Eccleſiæ miniſtrantibus impoſita. Cauſa, inquam, eſt, quæ removet prohibens. Conjugium enim incontinentiæ & uſtionis adæquata, ſive, ut Medici loquuntur, appropriata eſt medicina, per quam fit, ut ardor reſtinguatur, & legitimè agatur, quod alioquin ageretur vitiosè & nequiter. Prohibet ergo vagas & damnandas libidines. At temerarium continentiæ propoſitum, & lex univerſalis cœlibatûs ſalutarem hanc & Divinitus datam medicinam amovent & ſecludunt. Si graſſante peſtilenti lue alexipharmacon in promptu eſſet, quo adhibito contagium ceſſaret, & tuti homines præſtarentur, alioqui perituri; qui hujuſmodi ἀλεξίκακον removeret, is profectò interitûs hominum cauſa eſſet. Sic planè ſcortationum & flagitiorum cauſa eſt, qui incontinentibus matrimonium interdicit.

Hierarchicorum prætextus, quòd ad vovendum & ſuſcipiendum cœlibatum neminem impellant vel cogant, diſcutitur.

XXX. Fruſtra etiam Hierarchici clamant, neminem à ſe vel ad vovendum, vel ad ſuſcipiendum cœlibatum cogi. Satis enim eſt, quòd vota, quæ circa res in poteſtate voventis non poſitas, impietate & temeritate haud vacant, apud quoſvis laudant, approbant, commendant; & ſingulare continentiæ donum precibus & jejuniis à quovis impetrari poſſe, pertendunt. Qua ratione miſeris laqueos apertè ſtruunt; idque non amore ullo caſtitatis, ſed quæſtûs duntaxat & commodi Hierarchiæ ſuæ, cujus arcanum & palladium quoddam votivum Cœlibatum eſſe, *Parthenog. cap.* 6. clariſſimè probavimus. Tum neminem patiuntur ordinari niſi hac lege, ut perpetuò contineat; & neminem cogunt? Nimirum, inquiunt, neminem cogimus ad ſuſcipiendos ordines; ſi quis tamen ſuſcipere ultrò voluerit, hunc cœlibem vivere volumus, jubemus. Inventum ſcilicet

Digitized by Google

ſcilicet acutiſſimum! Quaſi dicant latrones, neminem ſe vi ſpoliare, quia neminem cogant peregrinari; ſed eum duntaxat, qui ſponte ſua peregrinatur, invadant. Imò verò cogunt eos in cœlibatu vivere, qui ordinari & Eccleſiæ inſervire volunt: quomodo latrones verè ſpoliant eos, qui ſponte ſe itineri committunt. Rectè igitur Polydorus *coactam caſtitatem* vocat. Quanquam quid fit iis, qui inviti fiunt presbyteri, & ſeducti illecebris ſubdolorum verborum continentiam decepti, imprudentes, & non raro pœnitudine ducti, voverunt? Hoſcine ad continentiam coactos inficiabuntur? An etiam illos, quos juſſit Hildebrandus uxores abjicere in Germania, Anglia, Gallia, quas retinuerant, cùm ordinarentur?

XXXI. Ipſam Hierarchicorum *functionem ſacram* concipiendæ & fovendæ impuritati anſam præbere poſſe, haud immeritò diximus. Teſtis ejus rei locuples eſt ſecreta, ſeu auricularis confeſſio, & ad eandem confeſſariorum præparatio & inſtructio, quæ non aliud eſt, quàm *μελέτη ἀναισχυντίας ſtudium* & *exercitatio impudentiæ*, quæ tangitur haud dubiè 2 Tim. III. 6. 7. Pudor prohibet ſcandaloſiſſimas quæſtiones, quas apud Toletum, Angelum de Clavaſio, Sanchez, Navarrum, Benedictum, Burchardum, Azorium alios Caſuiſtæ Confeſſariis injungunt. Puduit impudentiæ hujus ipſum Melchiorem Canum, qui *Relect. de Pœnit. p.* 6. ex ſummis Confeſſionum, quæ publicè proſtant, *non confitendi, ſed peccandi rationem & normam diſci*, fatetur. Planè conſtat, Caſuiſtarum Confeſſarios informantium chartas, quæ verecundiæ ac ſanctimoniæ plenæ eſſe debuerant, priſcis Elephantidos libellis, & nuperis perditorum Italorum voluminibus obſcœniores eſſe; in quibus, velut in lupanarium ſcriniis, omnes turpitudines ſpecies ac modi, etiam qui nullo apud flagitioſiſſimos in uſu fortaſſe ſunt, exquiſitè deſcripti continentur.

Eorundem functio Sacra concipienda impuritati anſam prabet; in confeſſione auriculari inprimis. Inſtructio Sacerdotum ad confeſſiones audiendas plena impudentia eſt, quod ex Caſuiſtarum libris proditur; inprimis Sanchezii opere de matrimonio, de quo Petri Aurelii Sorboniſta judicium graviſſimum adſcribitur.

tur. Non meo, ſed Petri Aurelii, Viri in Romana communione graviſſimi, judicio Sanchezii denſum, quod de matrimonio inſcribitur, opus premam. *Opus eſt*, ſic ille *Vindic. Cenſur. Facult. Pariſ. pag.* 517. ſcribit, *non gloriandum, ſed pudendum tam immani curioſitate, tam inviſa in rebus ſpurciſſimis, & infandis, & monſtroſis, & Diabolicis perſcrutandis ſagacitate horrendum, ut mirum ſit, pudoris alicujus hominem ſine rubore ſcripſiſſe; quæ quivis modeſtioris ingenii vix ſine rubore legat. Portenta iſta ſunt, non ſcripta; animarum inſidiæ, non mentium ſubſidia; incentiva libidinum, ſchola flagitiorum, non honeſtæ diſciplinæ, non ſcientiæ Chriſtianæ inſtrumenta. Infelix ſcientia, quæ omnes perdere, paucos juvare apta nata eſt; quæ circa ſordes & ſterquilinia volvenda & revolvenda volutatur, ut ejus doctorem jure cum Scarabæo conferas, vel cum iis, qui latrinariam factitant, vel qui ejus artis fuſiſſima volumina graphicè conſcribenda ſuſcipiunt. Quanquam eò illud tetrius & odioſius eſt, quia corporum fæces moleſtiam & turpitudinem breviorem habent; illa animorum purgamenta, illa venereæ totius ſentinæ indagatio, & ante legentium oculos effuſio, non fœditatis modò permultùm, ſed periculi & perniciei multò amplius vehit, quò animi vel ipſa inuſitata & inaudita turpitudinis novitate moveantur.* Caſtigata dein Jeſuitarum Granatenſium, qui operi huic obſcœniſſimo infinita cum laude authoris præfati ſunt, dictitantes etiam, *neminem ſuperiori Seculo dubias de Matrimonio controverſias uberiùs & limatiùs, quàm iſtum, enodâſſe*, impudentia, *equidem*, inquit *pag.* 518. *ſi de uberrima & ſubtiliſſima ſpurcitiarum omnigenarum ventilatione agitur, nemo unquam eam laudem Thomæ Sanchez eripiet; quin omnium primus Sacramentum matrimonii, cum tanta cogitationum ſermoniſque licentia, imagina-*

tione

tione potiùs quàm judicio duce verſavit, quantam ante ipſum Eccleſia ab initio Chriſtiani nominis nec viderat, nec audiverat. Modeſtiores ſemper fuerunt Eccleſiaſtici tractatores, non obliti Apoſtoli vocem: Fornicatio & omnis immunditia, &c. ne nominetur in vobis. Nec tanti fecerunt ancipitem iſtam & periculoſam conjugalium arcanorum, flagitiorum, piaculorúmque ſcientiam. Neque tamen querela iſthæc & indignatio pauciorum meliorúmque ex communione Romana prohibet, quò minùs multi quotidie apud eos ejuſdem furfuris libri, maximè à Jeſuitis, artis iſtius turpiſſimæ & quæſtuoſiſſimæ facilè principibus, nulla verecundiæ habita ratione, edantur.

XXXII. Quales ergo in *latrinaria* illa, & *venerea ſentina*, uti Aurelius appellat, inſtitutos inſtructóſque Confeſſarios, in arcanis ſuis tribunalibus, ubi ſentinam iſthanc omnem iis movere ac diſcutere, curioſéque à ſingulis pœnitentibus delicta omnia, & eorum circumſtantias, quorum nullum ſcilicet niſi confeſſum remitti poſſe præſtruunt, requirere, fas eſt; ſe gerere putamus? Ibi confitentes contra diſertum Apoſtoli Epheſ. v. 3. 4. mandatum, multa inhoneſta ac turpia eloqui; præterita correctáque, & ante plures annos admiſſa, atque oblivione pœne ſepulta flagitia, cogitatione retractare. mente & memoriâ verſare, & quæ penitus obrui ac ſepeliri, velut purgamenta decuerat, ea effodere, ac in lucem protrahere, maximo cum dedecore coguntur. Sive enim pœnitens verè emendatus, & in ſpiritualem virum converſus eſt, neceſſe eſt, eum iſthac fœditatum ſuarum recognitione non parum turbari, & pace gaudióque, quo in Chriſto jam fruebatur, ſpoliatum angi: ſive carnalis adhuc eſt, uti ſunt plurimi, fieri omnino nequit, quin ejus animus polluatur, & concupiſcentiæ labe, titillatione & prurigine inficiatur. Accedit, quòd confitentes ex ore Confeſſarii ſic, uti vidimus,

Confeſſarii ſic inſtructi, quales confitentes efficiant,

mus, priùs edocti & conſcientiam ſcrutantis, multa ignota peccata, multas peccatorum arcanas ſpecies diſcunt, quæ ſcientia quàm perniciosa ſit, omnes vident. Corruptis enim animis vix unquam peccata, & peccatorum imagines impuné monſtrantur. Cogita autem, quantum, & quàm peſtilens malarum ac impurarum cogitationum ac libidinum agmen in virginum matronarúmque ſimplicium, ac penè innocentium animos invehat, qui eas ex Burchardi vel Sanchezii alicujus canonibus ac diſciplina interrogat; quandam exinde pietatis & ſanctimoniæ perniciem inducat. Præterea confeſſio hominum verecundiam deterit, paulatímque planè conſumit. Nam qui ſemel pudoris primos limites tranſilierunt, ii gnaviter impudentes fieri ſolent; indéque eſt quòd deprehenſis audacia creſcit.

quomodo etiam ſe ipſi gerant, res loquitur, & teſtes Alvarus Pelagius, Eraſmus patefaciunt,

XXXIII. Quid verò de confitentibus verba facio? Ipſos Confeſſarios, quos haud vulgariter eſſe Sanctos conveniebat, illa impudentiæ exercitatio continua ut plurimùm impuriſſimos haud dubiè reddit. Ut mirum non ſit, quòd inter alia ſcita ſua id ſcriptis commendare non erubeſcunt, eum qui prævidet, ex auditu confeſſionis, aut ex præparatione ad eam, futuram pollutionem, non peccare, etſi hinc non omittat, unde pollutionem in ſe ſecuturam novit. Ita Azorius *Inſtit. Moral. Tom. j. par.* 3. *cap.* 10. ubi de pollutione voluntaria diſputat, definit. Jam ſuo tempore Alvarus Pelagius *de Planctu Eccl. lib. ij. art.* 14. ſic de Confeſſariis queſtus eſt: *Sæpe cum Parochianis mulieribus, quæ ad confeſſionem admittuntur, ſceleſtiſſimè fornicantur.* Neque etiam Eraſmus *Exomologes. T.* 5. *pag.* 129. diſſimulavit, *confitentes in eos ſæpe Sacerdotes incidere, qui ſub prætextu confeſſionis patrant non referenda, próque Medicis fiunt aut ſocii, aut magiſtri, aut diſcipuli turpitudinis. Et utinam*, inquit, *hoc fruſtra videar*

Digitized by Google

dear monuiſſe, ac non tam multa paſſim exempla occurrerent, quæ nec ſine dolore recordor, nec ſine pudore poſſum referre. Ex hoc Sacerdotum genere ille fuiſſe videtur Sanctimonialium præfectus, quem idem Eraſmus paulò ante *pag.* 128. narrabat cuidam Theologo confeſſum, *ſeſe ſtupräſſe ducentas virgines.* Quin & mala confeſſionum in novem claſſes diſtributa eodem *Exomologeſeos* opere *pag.* 128. &c. fusè adeò idem Eraſmus explicavit, ut Inquiſitores Hiſpani, propalatorum dedecorum impatientes, integrum locum, ſex grandes paginas complectentem, improbè pro conſueta audacia reſecuerint.

XXXIV. Sed aliunde etiam, cùm Eraſmi *παῤῥησίαν* Hierarchici oderint nimiùm, probra hæc cognoſcere haud arduum eſt; imprimis ex Caſuiſtarum interioribus ſcriniis, caſus non paucos circa Confeſſarios pueros, puellas & fœminas pro arcano hoc tribunali ad nefarias libidines ſolicitantes, enodantium. Diana Panormitanus *Reſol. Par. j. tract.* 4. ubi de Denuntiationibus faciendis ex edicto Inquiſitorum, & in ſpecie ex ſolicitatione agit, plures caſus de ſolicitantibus Confeſſariis, Inquiſitoribus denuntiandis vel non denuntiandis movens, abundè prodidit, quid in arcanis illis ſubſelliis geratur. Quærit *Reſol. xij. An Confeſſarius, qui ſolicitavit adoleſcentem in confeſſione, ſit denuntiandus?* Olim quidem ſe negativam ſuſtinuiſſe, profitetur Diana cum Aloyſio Bariola, Fagundez, Paramo, aliiſque, eam videlicet ob rationem, (audite & ſtupete pii omnes!) *quia lex pœnalis non eſt extendenda, etiamſi militet in alio caſu eadem ratio. Sed Pontifices loquebantur adverſus Confeſſarios ſolicitantes fœminas. Ergo Bulla non erat extendenda adverſus ſolicitantes pueros.* Bellè profectò & *σοφῶς* planè. Sed redit tamen in viam confeſtim. *Sed hodie*, inquit, *ex Conſtitutione Gregorii XV. ceſſat omnis dubitatio, quia ibi Pontifex*

Et Caſuiſtarum Caſus, circa denuntiationes Sacerdotum, qui pueros, puellas, fœminas pro arcano hoc tribunali ſolicitant; ex Diana Panormitano eruti demonſtrant.

Pontifex decernit, etiam ſolicitantes viros eſſe denuntiandos. Ergo ante editam Conſtitutionem Gregorii XV. Confeſſarius poterat ſolicitare pueros, ſine denuntiatione. Idque inferiùs *Reſol. xxv.* diſertè Diana, nixus Clementis VIII. & Pauli V. contra Confeſſarios ſolicitantes fœminas, ſine mentione maſculorum, Bulla, profitetur. Quid poſt Gregorium hunc fiat, & an denuntientur illi pæderaſtæ ex præſcripto Gregorii, eccui certò liquet? Quid videtur vobis, quibus non omnis pudor decoxit? Subjicit dein alios caſus, cujuſmodi ſunt: *An Confeſſarius, qui in Confeſſionario, vel in alio loco ſub prætextu Confeſſionis, non tamen Confeſſionis ſecutæ, ſolicitavit fœminam, ſit denuntiandus? An ſi laicus, vel clericus occultè ponat ſe in loco Confeſſionibus deputato, & inter Confeſſionem fœminæ, illam ibi ſolicitet, ſit denuntiandus? An Confeſſarius, qui ante, vel paulò poſt Confeſſionem fœminam ſolicitavit, ſit denuntiandus? An ſit denuntiandus Sacerdos, qui non habens facultatem audiendi Confeſſiones ab Ordinario, ſolicitat fœminam in Confeſſione, fingens ſe habere talem poteſtatem? An Confeſſarius, qui in confeſſione urget pænitentem de proſtituenda ſibi vel aliis filia, conſanguinea, amica &c. ſit deuuntiandus?* Reſpondet, negativam pleriſque Caſuiſtis placuiſſe ante Conſtitutionem Gregorii XV. editam. Sed poſt eam editam affirmativam placere. Quanta ergo ante Gregorium XV. Confeſſariis pueros & fœminas impunè ſolicitandi licentia fuit? Poſt eum caſtiùs an cautiùs ſolicitatores, ſeu cynœdi & ſcortatores Confeſſarii mercentur, haud inquiro.

Muſicam voluptuariam Babyloni Spiritus Dei tribuit. Eadem Hierarchicorum cultus perſtrepit.

XXXV. De *Muſicæ voluptiariæ* amore & ſtudio verba facere ſuperſederem, niſi Spiritus S. inter ea bona, quibus Babylon quandoque privabitur, Apoc. XVIII. 22. Φωνὴ κιθαρῳδῶν, Μουσικῶν, αὐλητῶν καὶ σαλπιστῶν *citharœdorum, Muſicorum, tibicinum & tubicinum vocem* numeràſſet;

raſſet; atque eâdem operâ tum luctuoſiſſimam pereuntis Babylonis faciem delineâſſet, tum Muſicam Babylonis non pietati, ſed carnali luxuriæ, & ciendis pravis affectibus inſervientem obliquè perſtrinxiſſet. Perſtrepere autem Hierarchicorum non plateas, conclavia & cubilia duntaxat, ſed Templa cumprimis & Baſilicas inſtrumentis Muſicis exquiſitiſſimis; atque Jeſuitas inprimis operam dare, ut hac ſuavitate auriúmque, ne dicam, Veneris etiam illecebrâ, homines animales & φιλήδονες capti ſeductíque ſacra ſua amplectantur, equidem plus ſatis conſtat.

XXXVI. Muſicæ utriuſque, & vocalis & inſtrumentalis uſus aliquis legitimus in Eccleſia, & extra eam obtinere poteſt. *Muſica apud eoſdem abuſus.* Neque de hoc controverſia eſt, modò non ex hypocriſi, ſed ex corde, non profano more modóque, ſed ad audientium canentiúmque ædificationem; denique non voluptatem & oblectamentum, ſed ad Dei gloriam eâ utamur. S. Paulus 1. Cor. XIV. 15. *Quid eſt igitur*, inquit, *orabo Spiritu, ſed orabo etiam intelligentiâ: Pſallam Spiritu, ſed pſallam etiam intelligentiâ, ne intelligentia mea aliis infructuoſa ſit.* Quam in parænesin primùm Hierarchici impingunt, cùm in ſuis fornicibus (utpote ad ſpiritualem fornicationem comparatis) hymnos & cantica ſua quamvis ſubinde Sancta & pia, non tam canendo, quàm reboando & mugiendo, plerunque nec in Spiritu, nec intelligentiâ decantant. Non *Spiritu*, cùm vel ſibi ignota, vel ſine pio cordis affectu luſciniarum more cantillant. Non *intelligentiâ*, cùm linguâ peregrinâ canentes à populo præſente neutiquam intelliguntur.

XXXVII. Sed ſcenicam illam & theatralem Hierarchicorum Muſicam, ipſorúmmet ſaniorum in Papatu Virorum Confeſſione, vitio neutiquam carere, & ad libidines incendere, probemus. *De ſcenicâ & theatrali eorum Muſicâ, voluptati potiùs quàm cultui Dei* Eraſmus in ſuis *ad* 1. *Cor. xiv. cap.* Annotationibus doctè graviterque contra eam diſſerens;

inſervientes voces Eraſmi; rens; *Nec his contenti*, inquit, *operoſam quandam & theatricam Muſicam in ſacras ædes induximus, tumultuoſum diverſarum vocum garritum, qualem non opinor in Græcorum aut Romanorum theatris unquam auditum fuiſſe. Omnia tubis, fiſtulis, lituis ac ſambucis perſtrepunt: cúmque his certant hominum voces. Audiuntur amatoriæ fœdæque cantilenæ, ad quas ſcorta mimíque ſaltitant. In ſacram ædem, velut in theatrum concurritur, ad deliniendas aures. Et in hunc uſum aluntur magnis ſalariis organorum opifices, puerorum greges, quorum omnis ætas in perdiſcendis his conſumitur, nihil interim bonæ rei diſcentium. Alitur ſordidorum, ut plerique ſunt, hominum colluvies, & tantis ſumptibus oneratur Eccleſia ob rem peſtiferam etiam. Quæſo te, ut rationem ineas, quot pauperes de vita periclitantes, poterant ali cantorum ſalariis? Cur hæc nobis ſola placent, quæ Paulus ceu parvulorum infantium parciſſimè vult adhiberi, imò quæ nullo pacto laturus fuerat?* Idem de *Lingua pag.* 68. querelam ſimilem conſignat his verbis: *Quid hodie operoſius, quàm noſtra Muſica, tot vocibus multarum avium garritum imitans? Quid diceret Emerepes ille Laconum Ephorus (qui Phrynidis Muſici duas è novem cordas incidit bipenni, dicens: Ne corrumpas Muſicam) ſi nunc audiret in Templis eadem organa referre tubas, cornua, lituos, tibias apertas, tibias obſcuriores, tibias vacuas, tonitrua, voces hominum & volucrum? Qualis eſt Muſica noſtra, talis eſt cultus, talis victus, talis ædificatio; priſca ſimplicitas nuſquam eſt, indies augeſcunt operoſæ deliciæ.*

Guilhelmi Lindani; XXXVIII. Si Eraſmus hanc in rem teſtis, mordaci vero auriculas rodere ſuetus, atque eandem ob cauſam Expurgatorum ſpongiam hic paſſus, diſplicet; audiatur Guilhelmus Lindanus, Epiſcopus Ruremondanus, longâ oratione

tione *Panopl. lib. iv.* 78. ſic theatralem Muſicam deteſtans: *Lectorum vices explent non Lectores, ſicuti & Pſalmiſtarum locum invadunt iſti Muſici, non tantùm ut de choro ejiciantur digniſſimi, cùm propter vitæ improbitatem, quâ paſſim nimiùm ſunt noti, tum propter impudicos amorum atque indignos bellorum modulos ſacris Dei laudibus inſparſos, ſed etiam propter theatricam magis ſonorum confuſionem, quàm religioſam pietatis ac devotionis moderationem, quam piorum animis paſſim gignere noſcuntur. Non enim nunc ſuo cantu Muſici auditorum animos tam ad pietatis cultum, cœleſtiáque excitant deſideria, quàm avocant, avertunt & alienant. Scio enim aliquando Divinis me interfuiſſe laudibus, cùm vel attentiſſimè auſcultarem, ecquid fortè pſalleretur; ne unum quidem potuiſſe intelligere verbum, ita erant omnia ſyllabarum repetitionibus commiſta, vocibus confuſa, clamoribus potiùs horridulis, quàm cantus obſcurata.* Paulò poſt: *Nunc audire eſt lætiſſimos Divinæ laudis hymnos triſtiſſimis contaminari Muſicorum modulis: contra lugubres Eccleſiæ threnos lætiſſimo effuſos modulamine. Quid? quòd Divinos hymnos non modò theatricis, adeóque bellicis, &, ſi dicere fas eſt, Gailardicis contaminant modis, ſed venereis quoque conſpurcant & amatoriis. Unde illarum magis admiror conſtantiam Eccleſiarum, quæ iſtum prævidentes Divini cultus abuſum, ſemel Muſicam illam choro maluerunt excludere, utri Trajectenſis, &, quod audio, Lugdunenſis: quàm illarum veneror magnificam, quam ipſi putant & jactant adeò Majeſtatem, quâ Dei chorum omni phonaſcorum ſyntagmate, vocum omnis generis diſcrimine, imò & tubarum clangore, cornutorum ſtridore, alióque ſtrepitu vario, ne quid prætermittere videantur, quod cantici verba ſemel obſcuret, ſenſúmque ſepeliat & obruat, ſibi præclarè videantur impleſſe.*

Ipſius Thomæ Aquinatis & Cajetani prodita.

XXXIX. Antiquior & authoritate robuſtior Lindano Doctor Angelicus Thomas Aquinas *in* 2. 2. *q.* 91. *art.* 2. ſic adverſus Muſicam organicam diſputat: *Eccleſia non aſſumit inſtrumenta Muſica, ſicut citharas & Pſalteria in Divinas laudes, ne videatur Judaizare. Ariſtoteles docuit in* 8. *libro Politicorum, neque fiſtulas ad diſciplinam eſſe adducendas, neque aliquod aliud artificiale organum, puta citharam, & ſi quid tale alterum eſt; ſed quæcunque efficiunt auditores bonos. Hujuſmodi enim inſtrumenta Muſica magis animum movent ad delectationem, quàm per ea formetur interiùs bonæ animæ diſpoſitio. In veteri autem Teſtamento uſus erat talium inſtrumentorum, tum quia populus erat magis durus & carnalis, unde erat per hujuſmodi inſtrumenta provocandus, ſicut & per promiſſiones terrenas, tum etiam, quia ejuſmodi inſtrumenta corporalia aliquid figurabant ſpirituale.* In quem locum Cajetanus; *Notandum*, inquit, *tempore Thomæ Eccleſiam non uſam organis. Unde hodie in ejus rei ſignum Romana Eccleſia coram ſummo Pontifice ea non utitur.*

De fornicatione, adulterio tenuiter Hierarchici ſentiunt.

XL. Sed de cardiacis his, ſeu irritamentis, occaſionibus, imò cauſis etiam ad impuritatem pellicientibus plus ſatis. Majus eſt, quòd Hierarchici *de fornicatione, adulterio, aliiſque impuritatibus tenuiter nimis ſentiunt, eaſque levibus pœnis afficiunt.* Quoad fornicationem ſimplicem, non deſunt inter Hierarchicos, qui pertendant, hæreticum non eſſe, *ſi quis dicat aut credat, ſimplicem fornicationem non eſſe mortale peccatum, quia teſtimonia S. Scripturæ non ſunt expreſſa.* Sic enim loquitur Martinus de Magiſtris, *lib. de Temp. q.* 2. *de Luxuria;* ubi etiam *videtur velle ſecundum principia hominis naturalis ac per ſe & intrinſecè non eſſe peccatum*, ait Lorinus *in cap.* 15. *Act. v.* 20. Durandus quoque *in* 4. *Sent. Diſt.* 33. *q.* 2. concedit, ſecundum jus Divinum poſitivum, nec non

huma-

Digitized by Google

humanum eſſe peccatum grave, ſeu, uti loquitur, mortale; ſecundum autem jus naturale, cùm debito fine careat, ſi ſit ob delectationem ſolam, aut ſi repugnet bono prolis, ſi ea intendatur, eſſe itidem malam; non tamen adeò, ut mereatur nomen peccati mortalis: *quia lex naturalis nihil dicit, nec nominat mortem æternam, & temporalem propter fornicationem non infligit.* Negat etiam Silveſter Petra Sancta *cap.* 3. *ſs*. 9. Scripturam, ne meretrices ſint, uſpiam prohibuiſſe; & tam inſignis ſententiæ authorem Abulenſem *magnum*, ſic vocat, *in Scriptura Magiſtrum* laudat. Adulterium pro leviori etiam crimine venditavit non gregarius aliquis doctor, ſed ſupremus ſcilicet Eccleſiæ Paſtor Alexander III. qui *Extra. de Judic.* ſic Salertiano Archiepiſcopo reſcripſit: *De adulteriis, & aliis criminibus, quæ ſunt minora, poteſt Epiſcopus cum clericis poſt peractam pœnitentiam diſpenſare.* Sed & Thomas Aquinas 2. 2. *q.* 154. *art.* 1. negat, adulterium, inceſtum, ſtuprum & raptum, metaphyſicè loquendo, eſſe luxuriæ ſpecies, *quia deformitates, quas addunt, non ſunt contra caſtitatem, ſed contra juſtitiam* &c. Sacerdotem vel Regularem fornicando, concubinas fovendo, adulterando, quàm matrimonium contrahendo peccare leviùs, recepta hodie Hierarchicorum doctrina eſt; dixerit licet S. Paulus 1. Cor. VII. 9. præſtare iis, qui continere non poſſunt, ut nubant, quàm ut urantur, nedum ut ſtrenuè fornicentur & adulterentur. Denique Facultas Theologica Pariſienſis A. MDCLXIV. ex libro Amadæi Gaimenii, capita Theologiæ Moralis Jeſuiticæ complexo, hanc propoſitionem excerpſit, & cenſuræ ſubjecit: *Furtum triginta Regalium, majus peccatum eſt quàm Sodomia.*

XLI. Monſtro, quam homini Chriſtiano ſimilior eſt, qui ab *ἀσελγεία τῶν ἀθέσμων nefandorum luxuria* illa, quæ viſa

Quin peccata Sodoma Iohanna

Caſa, Archiepiſcopus Beneventanus & Legatus Papæ laudavit; nequicquam ab Hardingo, objiciente Iuello, defenſus;

viſa tantopere animam Lothi excruciavit, 2 Pet. II. 7. non abhorruerit. Repertus eſt tamen, ne quid ad ſcelerum complementum deeſſet, haud poſtremus inter Hierarchicos, ejus encomiaſtes perditiſſimus. Extat enim Venetiis editus apud Trajanum Nævum A. M. D. L. liber *de laudibus Sodomiæ*; Italicis verſibus, authore Johanne de la Caſa, in quo ſcribit, *Sodomiam* eſſe *artem ſingularem, opus bonum, imò Divinum, ſéque hoc propriâ experientiâ compertum habere, & non aliâ magis Venere delectari.* Fuit ille de la Caſa, Archiepiſcopus Beneventanus, Papalis Cameræ Decanus, & Legatus Pontificis à latere ad Sereniſſimam Rempublicam Venetam. Hæc tam fœda, tam horrenda à Carolo Molinæo Jc. in Oratione habitâ Tubingæ A. MDLIV. objecta, cùm in Apologia Eccleſiæ Anglicanæ Johannes Juellus, Epiſcopus Anglus commemoraſſet; Thomas Hardingus, qui Lovanii Apologiæ confutationem ſuſcepit, factum negare auſus non eſt, ſed illud, quantum potuit, elevare conatus, ſic *ad caput.* 2. *diviſ.* I. ſcripſit: *Si Johannes Caſa, juvenis adhuc & imberbis, priuſquam ſe ad clerum contulerat, adeòque multò priùs, quàm vel Archiepiſcopatu & Legatione Papæ fungeretur, amatoria quædam Poëmata Italicis numeris, ad imitationem Petrachæ compoſuit, (quo genere, exercitationis cauſa, admodum capiuntur, ſi qui ex Italica juventute ingenioſiores ſunt) & deſignato nominatim nemine, nefario facinori aſſentatoriè orationis fuco odium potiùs ademit, quàm laudem attribuit, quâ tamen in re peccatum ab eo eſſe fatemur; & cùm eximiis alioqui dotibus animi eſſet præditus, ob id ipſum nihilominus adoleſcentiæ erratum, Cardinalitii honore per omnem deinde vitam excluſus eſt; hæc omnia ſi concedamus, & ſubductâ ratione ritè penſitemus; quid hinc Chriſti Eccleſiæ honoris perit & ſanctitatis?* Nihil equidem, Hardinge. Nam Chriſti Eccleſia ejuſmodi

di monſtra infernalia ad dignitates Eccleſiaſticas penè ſupremas non promovet; nunquam ſcelera talia excuſare ſatagit, vel expreſſas ſcelerum laudes emollit, diſtinguendo ſcilicet inter *laudare* & *odium adimere*. Sed Pontificia, Archiepiſcopatu & Legatione Papæ dignos cenſet, qui ob Sodomiticum ſcelus & laudatum, & frequenter patratum Cardinalatu excluduntur. Non igitur vera Chriſti Eccleſia, ſed Babylon, abominationum illa mater, in quâ Sodoma & Gomorrha hoſpitium metantur, eſſe clariſſimò hoc indicio cognoſcitur. Objici autem poterant alia etiam ejuſdem fœtoris carmina, & epigrammata, veluti *de Formica, & ſuper Ducem Parmenſem*, quæ eodem authore cuſa, & Sodomiæ lenocinantia, magnus in Italia literator Pontificiæ communionis, pro ſuo candore, noſtris noviſſimè communicavit, quibus magis etiam hominis impietas, & incredibilis devorati pudoris pædor convincitur.

XLII. Quo loco impuritates iſtas Hierarchici habeant, ex pœnis & cenſuris Eccleſiaſticis, quibus clericos alioſque ſcortatores, adulteros, Sodomitas feriendos cenſent, liquet. Si enim ut cohibeantur crimina, pœnæ infliguntur, quis non videt, pœnis ſublatis vel mitigatis, crimina tolli vel mitigari? Scitum enim eſt illud Æſchinis contra Timarchum: Ἐὰν μὲν κολάζητε τοὺς ἀδικοῦντας, ἔσονται ὑμῖν οἱ νόμοι καλοὶ καὶ κύριοι. Ἐὰν δὲ ἀφίητε, καλοὶ μὲν, κύριοι δ᾽ οὐκ ἔτι. *Siquidem injurios homines puniveritis, leges vobis & bonæ & ratæ erunt. Sin abſolveritis, bonæ erunt, ratæ non erunt.* Quàm verò levis pœna iſthæc erit, ſi exiguæ aliquot eleemoſynæ, preculæ quædam certis vicibus repetitæ, ſcalarum crucis in foro mercatorio circuitio, jejunum jejunium, atque ſimilia crepundia compenſatio idonea pro tam fœdis facinoribus in laico homine, bimeſtriſque aut trimeſtris excluſio ab Eccleſia Sacerdoti, quantumvis alligato

Ex pœnis criminum, quid de ipſis criminibus judex ſentiat, colligitur. Hierarchici autem impuritati, fornicationi, adulterio &c. leviſſimas pœnas conſtituunt.

alligato adulterii, & ἐπαυτοφώρῳ depreh
bitur?

XLIII. Quorſum obſecro illud Gloſſa
nem, *Qui admiſit*, *Cauſa* 15. *q.* 6. *Minùs*
propter fornicationem, quàm propter aliu
pauci ſine eo crimine inveniuntur. Und
laxatio conſequi debuit. Non pudet enim
Decreti, ad Canonem *Presbyter. Diſt.* 82.
nicationis cauſa hodie nemo eſt deponendu
Can. Fraternit. tuæ, ubi agitur de promo
nec caſtitatem in priori conjugio ſervavera
functa liberos ex ancilla ſuſceperat, ſic
quamvis multa ſunt, quæ in hujuſmodi ca
canonicæ jubeat ſublimitatis authoritas:
fectus noſtri temporis, quibus non ſolùm m
pora ipſa hominum defecerunt, diſtriction
titur manere cenſuram. Supra quoque A
induximus ſancientem, quòd Epiſcopo de
que criminibus, quæ ſunt minora, poſt
tentiam diſpenſare liceat.

Vetus Eccleſia ſcortatores à miniſterio ſuo amovit.

XLIV. Olim quidem Sacerdotes & D
crimine aliquo, luxuriæ inprimis, obſtrin
rio in perpetuum motos fuiſſe, exceptis
regulam firmantibus, ſatis conſtat. Teſt
Epiſt. Can. 2. *can.* 3. Concilium Aurelian
Johannes II. Papa *Epiſt.* 1. *ad Cæſarium*
Epiſt. lib. iij. ep. 26. *iv. ep.* 16. Nam qu
dem *lib. vij. Ind.* 2. *Ep.* 54. in contrarium
genuina, ſed à falſario ſuppoſita eſſe, Mo
niſtrat. Pœnit. lib. iv. 15. fatetur. Atqu
fuiſſe Iſidorum Mercatorem, impoſtore
Wendrokius *in Epiſt. Prov.* 6. *Not.* 2.
monſtrat; addens *ſs.* 5. ex Spuriis Cali

Iſidori Hiſpalenſis Epiſtolis, antiquæ erga Sacerdotes lapſos diſciplinæ collapſionem fluxiſſe.

Secus longè Hierarchici; quorum Caſuiſtæ, Baunius, Maſcarenhas quoslibet clericos poſt quamvis pollutionem mortaliter peccaminoſam, etiam contra naturam, adeóque à ſcelere recentes, prævia contritione ſola, ſacris defungi poſſe, ſciſcunt.

XLV. Quid ergo hîc recentiores inprimis Hierarchicorum Caſuiſtæ? Baunius Jeſuita *Tract.* 10. *pag.* 474. *Nulla*, inquit, *lex aut canon Parochos obligat ad quotidie ſacrificandum, imò nec poſſe dari talem, ſcripſit cum aliis Poſſevinus; eò quòd haberet lex ejuſmodi peccati mortalis periculum, cui obligatum ad ſacrificandum quotidie haud dubiè objiceret, cùm difficile ſit & arduum, inter æſtus Seculi undáſque fluctuantem aliquando non hærere in vitiorum turpi ſalo.* Hujus verò periculi metum mox demit, rationem oſtendens, quâ poſſint Sacerdotes, etiamſi peccata mortalia ſubinde committant, quotidie tamen ſacrificare, ac proin accepto pretio quotidie ſacrificandi obligationem ſuſcipere. *Quia*, inquit, *Sacerdoti jus eſt omni tempore contritionis exercendæ liberum, poteſtas quolibet momento temporis redeundi per amorem peccatíque odium ad Deum, quo ſi officio non fungitur, imputet ipſe ſibi vitium hoc.* Atque ut eas removeat difficultates, quibus maximè à celebrando quotidie ſacrificio retrahi poſſent, ſic *pag.* 457. loquitur: *Si poſt habitam eo die copulam carnalem cum fœmina, aut pollutionem voluntariam Sacerdos ſit confeſſus, eine liberum erit ſine culpa veniali rei Divinæ incumbere? Negat Villalobos &c. Diſſentit Sancius, cujus opinio mihi & tuta, & ſequenda videtur in praxi.* Quæ verba ſic Montaltius *Epiſt. Provinc.* 6. excipit: *Itáne, ſponſore Baunio, tanto contaminatus piaculo Sacerdos ad tremendum altare ſe ſiſtet? Quantò religioſiùs antiquis Eccleſiæ canonibus obtemperaret, qui Sacerdotes iſtiuſmodi flagitiis pollutos, ſacrificandi munere in perpetuum, vel ad longum certè tempus arcebant, quos à ſcelere recentes eadem nupera ſcriptorum veſtrorum dogmata propellunt?* Idem cum Baunio

Maſcarenhas *Tract.* 4. *Diſput.* 5. *num.* 284. docet; & ne quid ſceleratam ipſius in flagitioſos Sacerdotes & laicos indulgentiam fugeret, aſſerit, id locum habere non in fornicatione tantùm; ſed *generatim in qualicunque pollutione mortaliter peccaminoſa, ſeu habita ſecum, vel cum complice; & hoc ſive habeatur per fornicationem, ſive per adulterium, ſive per peccatum contra naturam, ſeu quocunque alio modo. Et quamvis*, inquit, *P. Vaſquez credat, antiquitus fuiſſe aliquam legem vel univerſalem, vel provincialem, qua per aliquot ſaltem horas poſt pollutionem prohibeatur communio, ut videntur oſtendere loca ſuperiùs dicta: hoc tamen hodie communi & univerſali totius orbis conſuetudine eſt abrogatum.*

Pii demum V. contra Clericos Sodomitas Bullæ, eoſdem clericali dignitate exuens; ne quidem, juxta Eſcobarium, in foro conſcientia obligat.

XLVI. Nulla equidem magis deteſtanda, atque à Chriſtianorum, maximè Sacerdotum Sanctitate magis abhorrentia ſunt crimina, quàm *illæ*, inquit, *libidinum furiæ in corpora, in ſexus, ultra jura naturæ.* Harum reis ne in fine quidem dandam eſſe communionem, Eliberitanum Concilium decernit. Ancyranum, quod cum eis paulò remiſſiùs egit, non breviorum quàm viginti annorum pœnitentiam indicit. Hujus decreta A. DCCLXXXIX. in Concilio Aquiſgranenſi *cap.* 49. & A. DCCCXXIX. in Concilio Pariſienſi renovata ſunt. Poſtremò varii Pontifices, & noviſſimè Pius V. contra Clericos Sodomitas Bullam edidit, in qua inter alia hæc verba legere eſt: *Horrendum illud ſcelus, quo pollutæ fœdatæque civitates à tremendo Dei judicio conflagrârunt, acerbiſſimum nobis dolorem inurit, graviterque animum noſtrum commovet, ut ad illud, quantum fieri poteſt, comprimendum ſtudia noſtra conferamus. Sanè Lateranenſi Concilio cognoſcitur conſtitutum, ut quicunque Clerici illa in continentia, quæ contra naturam eſt, propter quam ira venit in filios diffidentiæ, deprehenſi fuerint laborare, à Clero dejiciantur, vel ad*

agen-

agendam in Monaſteriis pœnitentiam detrudantur. Verùm ne tanti flagitii contagium immunitatis ſpe, quæ maxima peccandi illecebra eſt, fidentiùs invaleſcat, clericos hujus criminis nefarii reos, graviùs ulciſcendos deliberavimus; ut qui animæ interitum non horreſcunt, hos certè deterreat civilium legum vindex gladius Secularis. Itaque quod nos jam in ipſo Pontificatûs noſtri principio hac de re decrevimus, pleniùs nunc fortiùſque perſequi intendentes, omnes & quoſcunque Presbyteros, & alios clericos ſeculares, cujuſcunque gradûs & dignitatis, tam dirum nefas exercentes, omni privilegio clericali, omníque officio, dignitate & beneficio eccleſiaſtico præſentis canonis authoritate privamus. Gravis ſcilicet, Pii Papæ diſtricto judicio, pœna, quam conſtat diſciplina adhuc utcunque vigente vel iis, qui ſimpliciter fornicabantur, dictatam eſſe! Conſtat tamen inde, ex eo tempore, quo vetus illa diſciplina collapſa eſt, ad Pium V. uſque tam frequens ſcelus iſthoc fuiſſe, ut comprimendum ille duxerit; quin & patrantibus illud impune fuiſſe; & licuiſſe iis crimen illud exercentibus eſſe Sacerdotibus, Presbyteris, religioſis. Quo verò ſucceſſu Pius Bullâ ſuâ crimen iſthoc ſuppreſſit? Tali certè, ut ludificari illam Jeſuitæ religioni non duxerint. Eſcobarius enim *Tract. j. Exam.* 8. *num.* 102. quærit: *Num Bulla Pii V. contra Clericos Sodomitas obliget in foro conſcientiæ?* Pulchra ſcilicet quæſtio, ad quam pulchriùs ſic reſpondet: *Henriquez ſentit, uſu non eſſe receptam probabiliter, nec in conſcientiæ foro obligare. Quòd ſi uſu recepta ſit, clericus fœminam in indebito ſubigens vaſe, non committit Sodomiam propriè, quia licet non ſervet debitum vas, ſervat tamen ſexum. Nec incurrit ex Suario pœnas Bullæ intra vas maſculi ſemen non immittens, quia delictum non eſt conſummatum. Nec ex eodem, qui nonniſi bis aut*

ter in Sodomiam ſunt lapſi: quia Pontife
ricis Sodomiam exercentibus infligit.
Suario) ante ſententiam judicis decla
Bullæ in foro conſcientiæ incurrunt: qu
nalis obligat homines ad ſe prodendum.
exercentem Sodomiam, ſi ſit contritus
beneficio, officio, & dignitate, omnino e
Puderet in ſ..rdibus hiſce, caſtis c ram au
camarinam movere, niſi vel inde conſtare
nitate horrendum iſthoc ſcelus, cœleſti
phure expiatum, patrantes etiam clericos
olim, ac nuper etiam donaverint.

Impuritatis ejuſdem pœna per indulgentias & viliſſima pro diſpenſationibus & abſolutionibus pretia, relaxantur.

XLVII. Accedunt his omnibus *indulge*
veniales venaleſque, & viliſſima pretia pro
& *abſolutionibus* à peccatis luxuriæ etia
graviſſimis; quæ authoritate ipſius Summi
ceu infallibilem judicem illi adorant, con
ta, latam ſceleribus his indulgendi pro li
riunt, cùm ſe per *indulgentiſſimum* hunc
menicum, Catholicum Eccleſiæ *Mitio*
tantùm non invitari & animari libidinum
intelligunt. Poſt collapſam equidem Ecc
injuncta à Sacrificulis pœnitentia trifariam
puta *caſtigatione corporis, ſolutione pecu*
tiarum acquiſitione. Caſtigatio corporis
vel in verborum paſſione conſtitit. Solutio
chardus *Decret. lib. xix.* meminit. *Si qu*
non potuerit jejunare, & habuerit, unde
ſi dives fuerit, pro ſeptem hebdomadibu
ginti. Si non habuerit, unde totidem dare
dos decem. Si autem multùm pauper fue
tres. Concilium quoque Lateranenſe *Seſ*
ſphemus, inquit, *ſi nobilis fuerit, pœn*

mulctetur, & pro ſecunda vice 50. *fabricæ Baſilicæ Principis Apoſtolorum de urbe applicandis.* Et Baronius *A. C.* MLV: *§.* 9. *Non ignores, quia cùm à pœnitentibus terras, poſſeſſiones agrorum videlicet accipimus, juxta menſuram muneris eis de quantitate pœnæ relaxamus. Quibus planè oſtendit Damianus, bona eccleſiaſtica ejuſmodi fieri ſolita redemptione aucta creviſſe.* Hæc jam Seculo XI. acta ſunt.

XLVIII. Ex collectis redimendæ pœnitentiæ taxationibus cuſa diuque in Pœnitentiali foro uſitata, tandem Lutetiæ apud Toſſanum Deniſ. in 4. A. MDXX. *Taxa Cameræ*, ſeu *Cancellariæ Apoſtolicæ* dias in luminis auras, futura Babylonicæ Hierarchicorum impuritatis & impietatis perpetuus, omnique exceptione major teſtis, prodiit. De libro eo ſic Claudius Eſpencæus *in Epiſt. ad Tit. cap.* 1. *Oper. pag. m.* 479. ſcribit: *Proſtat & in quæſtu pro meretrice ſedet Liber palam ac publicè hîc* (Lutetiæ, ubi ille docuit & ſcripſit) *impreſſus, & hodiéque, ut olim, venalis, Taxa Cameræ ſeu Cancellariæ Apoſtolicæ, inſcriptus: in quo plus ſcelerum diſcas licet, quàm in omnibus omnium vitiorum Summiſtis & Summariis, & plurimis quidem licentia, omnibus autem abſolutio empturientibus propoſita. Parco nominibus. Nam quod ait neſcio quis,*

Taxa pœnitentiariæ impuritatis quaſvis ſpecies pecuniæ pretio æſtimantis, extrema improbitas, ab ipſo Claudio Eſpencæo depicta.

Nomina ſunt ipſo penè timenda ſono.

Mirum hoc tempore, hoc ſchiſmate non ſuppreſſum tot támque fœdorum, támque horrendorum ſcelerum velut indicem adeò infamem, ut non putem, in Germania, Helvetia, & ubicunque à Romana ſede defectum eſt, opus proſtare majore hujus ſcandalo. Et adeò tamen non ſupprimitur ab Eccleſiæ Romanæ fautoribus, ut tantorum ac talium facinorum licentiæ ac impunitates, in facultatibus legatorum illinc huc venientium bona ex parte immo-

ventur atque confirmentur, adverſus
quæcunque fatalia reſtituendi, ac etiam
rios, Mamſeres, Baſtardos, ex quocu
tu &c. cum his, qui ſe per adulterium po
nubere poſſint, perjuros, Simoniacos, fa
uſurarios, ſchiſmaticos, hæreticos, ſed
non abſolvendi tantùm, ſed & ad ordine
tates & beneficia, quæcunque, quotcunqu
diſpenſandi, homicidas quoque, ſed caſ
tarios; nam nec voluntarios quidem ex
rior, presbytericidas, parricidas, mat
das, ſororicidas, uxoricidas, infanticid
cantatrices, concubinarios, adulteros
affinibus aut conſanguineis, denique con
brutis &c. Habeat jam Roma pudorem
frontis criminum omne genus catalogu
ſinat.

Ex eadem quo pretio olim inceſtus, actus Clericorum libidinoſi qualeſcunque, contra naturam etiam, & beſtialitatis crimen ipſum, taxavi ſueverint, oſtenditur.

XLIX. Feralis hujus libri, Babylon
gniſſimi, exemplaria, ab ipſis Hierarch
diximus, nec non Venetiis in *Oceano J*
nibus noſtris verſantur. Extat etiam *T*
tentiaria, juſſu Procerum Imperii Pr
in cujus titulo *de cauſis matrimonialib*
gere eſt: *In ſecundo conſanguinitatis v*
diſpenſatur tantùm per Signoriam Pa
cante, per Summum Pœnitentiarium
nenſium 50. *duc.* 12. *Karl.* 6. *In prim*
diſpenſatur in foro conſcientiæ tantùm
30. *duc.* 7. *Karl.* 6. *Quando adulter, v*
contrahendo dedit, vel de facto contr
fuerit mortem alterius conjugi cum effe
illo diſpenſatur, ut cum altero contraha
tracto tantùm diſpenſatur (dummodo

tùs occultum) in foro conſcientiæ tantùm, & taxa eſt tur. 36. *duc.* 9. *Cum eo, qui vovit perpetuam caſtitatem, diſpenſatur in foro conſcientiæ tantùm, & taxa eſt* 16. *duc. Karl.* 6. *Si quis in ſacris ordinibus ſit conſtitutus (modò id ſit occultum) uxorem duxerit, diſpenſatur cum illo, ut poſſit in conjugio manere, donec uxor vixerit, poſtea abſtineat à matrimonio, & in illo conſtitutus officium B. Virginis Mariæ ſaltem diebus feſtis dicat per modum ſatisfactionis, & taxatur tur.* 15. *duc.* 4. Titulo *de Lapſu carnis* ejuſmodi diſpenſatio ſancitur: *Abſolutio à lapſu carnis ſuper quocunque actu libidinoſo commiſſo per Clericum, etiam cum Monialibus intra & extra ſepta Monaſterii, aut cum conſanguineis, vel affinibus, aut filia ſpirituali, aut quibuſvis aliis, ſive ab unoquoque de per ſe, ſive ſimul ab omnibus abſolutio petatur, cum diſpenſatione ad ordines & benefieia, cum inhibitione, turon.* 36. *duc.* 3. Titulo proximè ſequenti *de Beſtialitate* diſpenſationes beſtiales ejuſmodi legere eſt: *Si verò cum illis petatur abſolutio, etiam à crimine commiſſo contra naturam, vel cum brutis, cum diſpenſatione, ut ſupra, & cum inhibitione, turon.* 90. *duc.* 12. *Karl.* 6. *Si verò petatur tantùm abſolutio à crimine contra naturam, vel cum brutis, cum diſpenſatione & cum inhibitione turon.* 36. *duc.* 9. *Abſolutio pro Moniali, quæ ſe permiſit à pluribus cognoſci intra & extra ſepta Monaſterii, cum rehabilitate ad dignitates illius ordinis, etiam Abbatialem, tur.* 36. *duc.* 9. *Abſolutio pro concubinario, cum diſpenſatione ad ordines & beneficia, tur.* 21. *duc.* 5. *Karl.* 6. *& cum inhibitione tur.* 36. *duc.* 9. *Pro laico à lapſu carnis ſuper quocunque actu libidinoſo, in foro conſcientiæ, tur.* 6. *duc.* 2. *Ab inceſtu pro laico, in foro conſcientiæ tantùm, tur.* 4. *Si petatur pro utroque, videlicet pro viro & muliere, in utroque foro, tur.* 18. *duc.* 4. *Karl.* 9. *Si cum inhibitione*

pro

pro uno tantùm, tur. 24. *duc.* 6. *Si pro utroque cum inhibitione, tur.* 36. *duc.* 9. *Abſolutio pro laico, in foro conſcientiæ, tur.* 4. *Ab adulterio cum inceſtu, pro una perſona tantùm, tur.* 6. *Pro adultero & adultera ſimul, tur.* 6. *duc.* 2. Quid quæſo, reputa mecum, quiſquis non planè pietatis & frontis expers es, Latialis ille flamen magis pietati, puritati, caſtitati adverſum: quid libidinoſis belluis omnibus ad explendas nefarias libidines opportunius: quid ad ſeducendos eos, quorum nondum animi libidinibus corrupti ſunt, efficacius excogitare potuit? Quando videlicet is, nummo ſolo ſponſore, impunitatem nefandorum ſcelerum, & ſolutionem ſacrarum legum, in ipſo foro Divino, ſordida adeò benignitate, largiri non erubuit.

Indulgentiæ pro futuris peccatis, efficax luxuriandi illecebra, ex libello de ſtationibus Romæ, Romæ & Norimbergæ edito, expoſita.

L. Illud inſuper non eorum duntaxat, qui laxis cœteroquin habenis in omne impuritatis genus præcipites ruerunt; ſed eorum etiam, qui nondum pudorem omnem excuſſerunt, animis facem ad impietatem & luxuriam ſubdere poteſt, quòd non præteritis duntaxat, ſed futuris etiam peccatis indulgentiarum φάρμακον & olim applicari ſuevit, & hodiéque ſolet. Pridem enim eſt, quòd tum in *confeſſionalibus* ſic nuncupatis, & per omnem vitam duraturis: tum in indulgentiarum *diplomatis* peccata deinceps, longo etiam temporis tractu patranda liberaliter, remitti conſueverunt. Unde pœnarum relaxationes non unius duntaxat vel diei, vel anni; ac ne decem quidem: vel etiam trecentorum, (quibus pœnam Purgatorii nonnulli determinabant) ſed plurium chiliadum. Sola Roma, ejúſque ſtationes plura annorum millia numerat, quàm Romanenſibus Theologis caſtioribus probetur. De *ſtationibus Romæ* A. MCCCCLXXV. Romæ Latinâ linguâ: poſt ejuſdem Seculi A. XCI. Norimbergæ editus liber, Eccleſiarum Romanarum principalium inprimis ſeptem, indulgentias prodit. Unius Eccleſiæ Lateranenſis, ſpeciminis

minis gratia, indulgentias pandamus. *In ea*, ſic liber ille recenſet, *quotidie diſtribuuntur 48. anni indulgentiarum, & totidem quadragenæ, ac remiſſio tertiæ partis omnium peccatorum. Unde Bonifacius: Si quis ad ſedem noſtram Lateranenſem, devotionis, orationis, aut peregrinationis cauſa venit, ille abſolvetur ab omnibus peccatis. In capella, quæ vocatur Sanctum Sanctorum, quámque mulieribus non licet ingredi, eſt vera & plenaria remiſſio omnium peccatorum. In eadem capella ſunt gradus 28. qui ſteterunt ante domum Pilati in Hieruſalem; & quicunque hos gradus aſcenderit cum devotione, habet pro quolibet gradu novem annos indulgentiarum, & totidem quadragenas, ac remiſſionem tertiæ partis omnium peccatorum. Qui verò geniculando gradus illos aſcendit, unam animam, pro qua orat, liberat ex purgatorio. In die dedicationis, qui vocatur dies Salvatoris; eſt ibi plena remiſſio omnium peccatorum, à culpa & à pœna. Cúmque Papa primùm indulgentiam ibi largiretur, Angeli, præſente populo, dixerunt Amen. Item quando capita Petri & Pauli ibi oſtenduntur, tunc Romani habent indulgentias 3000. annorum: vicini 6000. qui è longinquo venerunt, 12000. In illa Eccleſia eſt aurea porta, quæ tantùm in anno Jubilæo aperitur. Sunt autem tres portæ, per quarum unam Chriſtus Hieroſolymis ad mortem ſuam ivit. Cúmque non certò conſtet, quæ ex tribus iſtis illa ſit, itur per omnes tres. Et qui devotione per illas tranſit, liber ſit à peccatis non aliter atque homo, cùm primùm baptizatur. Etiam pro animabus itur per illas portas. Cùm Gregorius Eccleſiam illam Lateranenſem denuò dedicaret, dedit tot dierum indulgentias quot guttæ cadunt ſi per tres dies & noctes continuè pluat. Cúmque Gregorius metueret, ne Theſaurus gratiæ profuſione illa evacuaretur, Chriſtus apparuit ei & dixit, ſe concedere ut plures indulgentias det; populum enim his opus*

 habere.

habere. Atque hæ ſolius Eccleſiæ Later
ſæ indulgentiæ ſunt, quæ certâ ſpe remiſ
foro factâ, omnem timorem Numinis ani
in peccatorum quorumvis licentiam præc
natæ ſunt, agnoſcentibus id ipſum Statibu
tificiis & Proteſtantibus, qui inter Grav
MDXXIII. Papæ oblata, *tit. de Indulg.* c
dulgentiarum nundinationibus Chriſtian
tinctam eſſe. Quando quilibet pro pretii,
ces expenderat, modo, peccandi impunita
tur. Hinc *ſtupra, inceſtus, adulteria &c*
lerna ſemel originem traxerunt.

Papales in gradibus Divinitus prohibitis diſpenſationes Romanam Eccleſiam inceſtant.

LI. Neque minore Eccleſiam Rom
poteſtas illa Papæ, quâ in ipſa lege Divin
conſanguinitatis & affinitatis in matrimo
prohibente, diſpenſare audet; inceſtat.
duntaxat, ſed culpam etiam inceſtuoſis e
bus adimere, adeoque ex graviſſimo pe
non peccatum, & matrimonium Deo ſ
facere connixus, veriſſimis inceſtibus p
plet. Quam in rem plura diximus tum
Sect. j. th. 58 tum *Anat. Concil. Trid.* a
nec non *Diſſert. Sel. Tom j. Diſſert. xvi*
hibitiones Moſaicas circa gradus conſang
tatis Levit. XVIII. 6. &c. expreſſos juris
perpetui eſſe, adeóque à nulla poteſtate
ri in iis poſſe, duodecim argumentis neceſ
Non deſinunt ergo conjugia fratrum &
affinium & conſanguineorum in primo g
lis, vel in ſecundo lineæ inæqualis veriſ
ſtus eſſe, licet Papa quandoque quæſtu
ſtabiliendæ gratiâ, quoties ſic ei videtur
ge, vel ejus ſaltem in perſona placita ob

monium etiam in foro Divino ratum firmúmque eſſe jubeat. Conſtat autem ſatis, Gregorium III. permiſiſſe cuidam, ut avunculi defuncti uxorem duceret: Johannis VIII. conceſſione Ethelbaldum Regem Angliæ novercam ſuam duxiſſe: Martinum V. narrante Angelo de Clavaſio, re cum doctoribus ſuis conſultata, cuidam germanæ ducendæ poteſtatem feciſſe: Julium II. Henrico VIII. Angliæ Regi gratiam ducendæ Catharinæ, fratris defuncti Arturi viduæ, feciſſe; atque non ita pridem Regi Poloniæ Caſimiro; quin &, ſuperſtite marito Rege Portugalliæ Alphonſo, Fratri Petro, glotis ducendæ facultatem à Papa permiſſam eſſe. Plura profanæ & impiæ hujus Papalis diſpenſationis exempla in medium afferre ſuperſedeo.

Lupanaria ab ipſo Pontifice erecta. Hierarchia impuritatem quàm maximè inſuper propalant.

LII. Quantam porrò gratiam & exiſtimationem huic Veneris ludo conciliari exiſtimamus, quòd in ipſa Sede & Metropoli Hierarchici Imperii, quod à *lupa* originem habet, à Pontifice Optimo ſcilicet Maximo *lupanaria* permittuntur, imò etiam extruuntur? Nam Sixtum IV. Pontificem Maximum nobile lupanar Romæ extruxiſſe, conſtat. Annon publica hæc ſignificatio eſt, quòd minimè opus ſit hominibus, ut tanta cura & ſolicitudine ſibi ipſis contra importunam libidinum ſuarum obſidionem defendendis inſudent, cùm ipſa *Sanctitas Pontificia* ad faciles hac in re conditiones deſcenderit, patienterque permiſerit, harum *Veneris Monacharum*, per urbis plateas magnifico apparatu ſummarum heroinarum æmulo, ſtipantibus Eccleſiaſticis, ſummi gradûs ordiniſque, incedentium, corporibus abuti, ea tantùm lege, ut lupæ hæ ex quæſtu corporis ſui annuos ſibi reditus penſitent, eademque ratione Sacroſanctum hunc Sacerdotem ſummum, ſupremum civitatis Ganeonem agnoſcant. Hoc verò quid aliud eſt, quàm matrimonium perſequi, Ganearum verò patronum ſe gerere? Ecquod enim patrocinium majus ſcortatores,

 tores,

tores; proſtibula, ganeones exoptare poſ
ſuffragium & approbationem, qui haberi
judex infallibilis, ſaltem in cauſis Religio
juſque ipſe Titulus ſeu inſcriptio eſt, *Sanc*

Prætextus Jeſuitarum, quòd Papa lupanaria non probet, ſed permittit permiſſione facti, & quadam etiam juris, idque hac imprimis ratione, quòd conſtat Papam ex lenonia hac quæſtum facere.

LIII. Neque vel Papam ab objecto cr
tarchiam & populum Romanum à ſcortati
adeoque Babylonicæ, fœdiſſima labe pu
quòd Papa lupanaria non probet, ſed pe
ſione facti, uti Petraſancta, Balzacus, alii
palis hujus luparum patrocinii hyperaſpi
addunt aliqui, atque ipſe etiam Balza
etiam juris, quæ quamvis non auferat culp
men immunitatem meretricibus; & diſſimi
tionem; quæ etiam obliget alios ne impedia
care, quæ permittitur, & efficit, ne punia
tores dum ii malè agunt. Addit, *eſſe a*
princeps permittat mœchari, licet mœc
Hæc Theologia Jeſuitica eſt, impuritatis
giſtra. Quid enim ſibi vult *permiſſio fa*
factum illud non aliud ſit, quàm ſcortatio
nicationem permitti permiſſione facti, n
quàm fornicationem permitti permiſſio
Tum qui factum permittit, à lege is ex
quid leges humanæ ferant, novimus. Sec
tia quærimus. Nos verò cum Hieronym
non cum Jeſuitis, ſentimus, *Cæſarem, n*
Papinianum, non Paulum, viris impudic
re, & lupanaria permittere; indignúmqu
Vicarium Chriſti dicit, & occupare locu
fert, Cæſarem & Papinianum in eo velle
quàm Chriſtum.

LIV. Sed quid multis? Non nudè per
approbari lupanaria, vel inde manifeſtum

lupabus ſeu ſcortis ex uſura corporis quæſtum facientibus, in partem quæſtûs illius venire religioni neutiquam ducit, neque acceptat duntaxat ab iis, ſed extorquet etiam lucri partem. Nam Summo huic Pontifici adeò

—— lucri bonus eſt odor ex re
Qualibet ——

ut ſordidum illud Veſpaſiani *vectigal urinarium* longè ſupergreſſus, lupanarium etiam, nonnunquam excedente 20. millia ducatorum, reditu annuo ſacrum locupletet ærarium, & unà cum Eccleſiarum proventibus, lenociniorum numeret mercedem, *nihil turpe* reputans, *quod ad æs exit*. Cornelius Agrippa *de Vanit. Scient. cap.* 64. ubi de lenonia agit, *Lenon*, inquit, *fuit Pan Deus, atque Mercurius, ipſéque puer Cupido; leno fuit heros ille Ulyſſes, leno fuit legiſlaator Lycurgus, & Sapiens ille Solon, qui primus lupanaria ædificavit, & meretriculas juventuti proſtituit. Sed & recentioribus temporibus Sixtus Pontifex Max. Romæ nobile admodum lupanar extruxit.* Paulò poſt: *Lenones olim fuerunt Corinthii, &c. nonnibil etiam ex meretricio quæſtu ærario ſuo accumulantes emolumenti, quod quidem in Italia non rarum eſt, ubi etiam Romana ſcorta in ſingulas hebdomadas Julium pendunt Pontifici, qui cenſus annuus nonnunquam viginti millia ducatos excedit; adeóque Eccleſiæ Procerum id munus eſt, ut unà cum Eccleſiarum proventibus etiam lenociniorum numerent mercedem. Sic enim ego illos ſupputantes aliquando audivi: habet (inquientes) ille duo beneficia, unum curatum aureorum viginti, alterum prioratum ducatorum quadraginta, & tres putanas in Burdello, quæ reddunt ſingulus hebdomadis Julios viginti.* Plura eandem in rem Eſpencæus, cujus mox verba referam, profert. Verus autem ille *Sanctus* Iſraëlis, diſſimilis lenoni huic, qui *Sanctiſſimus* audire vult, mercedem meretricis acceptare noluit, quantumvis

tumvis oblatio eſſet voluntaria, Deut. xxi... minationi omnem impuritatem eſſe, oſte... verò fieri omnino poteſt, ut quis ſciens & ... pacto, lucri particeps fiat, ſub conditione ... ventiæ; aut quovis modo favendi impr... crum invehit, quin eo ipſo improbitatis ... reddatur. Quod cùm in Summo illo Sace... bet, cauſa dici non poteſt, quò minùs V... tionem illam probare, atque eadem ... mundo habenas libidini ac impuritati laxa... ritò.

Prætextus alter, quòd eadem ad vitanda graviora mala permittat, ceu publica Babylonicæ impuritatis confeßio exploditur.

LV. Lupanaria Hierarchici hâc inſupe... lenonio potiùs fuco incruſtant, quòd pe... diat, ut libidinoſi pejora conari deſiſtant, ... ra mala vitentur. *Tolle*, ſic arguentes eos ... inducit, *è Republica meretrices, cuncta ... adulteriis permiſcentur. Nulla matrona ... bit, nullius viduæ pudicitia incolumis per... nes ac veſtales inviolatæ ſervabuntur. ... publicæ tranquillitas ſine meretricibus co...* ſancta; *Cur permittantur*, inquit, *Rom... quo modo hæ potiſſimùm cauſæ urgent, n... nes lubrici abeant in carnem alteram; Q... eas* (meretrices) *Romæ à Pio V. reſtit... principatûs faceſſere eas juſſiſſet, memor... incontinentes viri fructum carpere tori a... rum florem audeant.* Hoc verò quid aliu... bylonicæ impuritatis, cujus *Mater* illa ... peragitur, publica confeſſio? Niſi enim ... liceat, graviora timenda eſſe ſic ipſi fate... erant facienda mala, ut bona evenirent. ... legi Divinæ ſimpliciter, & eventus relinq... qui incommoda ex lege ſua eventura p...

æquè ac Hierarchici, non iccirco temperavit, quò minùs ſeverè ediceret: *Non ſit meretrix in Iſraëlis filiabus Deut. xxiij. 17.* Quæ Dei verba graviter Claudius Eſpencæus, Doctor Sorbonicus, *de contin. lib. iij. 4.* urget, ubi inter alia: *Sublatis apud Judæos lupanaribus an omnia protinus libidinibus confuſa fuerunt aut etiamnum ſunt? Quò minùs hanc fœditatem lex vetus impunitam tulerit, obeſt etiam in hodiernum uſque diem Judæorum etiam ubivis & inter quoſvis degant, praxis, ſuos meretricium facere non permittentium, dici nequit quàm incredibili Chriſtianorum pudore, tum etiam eorum, qui verè tales ſunt, cordolio, ut Judæi filiæ ſcortari non liceat, Dei filiæ liceat; imò Iſraëlis filia meretricari non aliter poſſit, quàm facta per Sanctum Baptiſmum Chriſti ſoror & filia.*

LVI. Quænam verò illa mala ſunt, quibus illa ſcortandi Papalis licentia medetur? Nam in regionibus & urbibus, ubi lupanaria nulla ſunt, & meretrices ſeverè coërcentur, tutior eſt uxorum pudicitia, rariores ſunt meretrices; cynœdum verò aut catamitum eſſe, res eſt prodigio ſimilis. At in Italia, ubi lupanaria patent, ardet tamen flamma Sodomitica. Uxorum verò pudicitia, quæcunque eſt, ibi non debetur proſtibulis, ſed arctæ cuſtodiæ, quâ detinentur quaſi captivæ. Solæ ibi meretrices aut decrepitæ anus liberæ ſunt. Hoc enim libidinis ingenium eſt, capere ex licentia incrementum, inſtar ignis, qui arctatus ſuffocatur, at ventilatione in aëre libero ſuſcitatur, magiſque inardeſcit. Quomodo Hugo Cardinalis cum Curia Innocentii IV. Lugduno diſceſſurus apud Matthæum Paris in Henrico III. Romanæ curiæ inſatiabilem libidinem confeſſus, dicebat, *multum curiæ R. debere illam urbem Nam quando illuc venerat, ſe reperiſſe tria aut quatuor lupanaria. Tunc autem ad unum omnia redacta fuiſſe, ſed illud à porta occidentali uſque ad orientalem extendi.* Sed & Maria-

Majora mala iis locis, quibus lupanaria in uſu non ſunt, nec timentur, nec patrantur.

Digitized by Google

Mariana ipſe, quamvis Jeſuita, in eo tam
neſtior, *lib. de ſpectac. cap.* 16. ubi eanc
movet; *Neque*, inquit, *ſatis occurritur*
ſcortis permiſſis, cùm ſciamus, in quibus
vitatibus ea labes maximè viget, ibi ma
numerum eſſe; & in utramque partem ab
flammatur, neque ullis reſiſtit finibus.
ubi lupanaria nulla ſunt, multò continen
nes, pauciora exiſtunt adulteria. Sic non
tur, neque maſcula libido, ſed potiùs m
fœdiſſima quæque concitatur. Quod ſi
illa permiſſio adulteriis, aliiſque ſceleribu
aliud tamen longè gravius malum inde e
corruptio & depravatio paſtoralis mur
pacto in lenoniam vertitur. Apex eſt ne
ma Eccleſiæ corruptio, quando inde nal
morum, & peccandi licentia, unde exem
tæ, & incitamenta ad pietatem & caſt
bantur. Romæ enim & in aliis urbibu
quentius eſt, quàm videre Clericos lu
tantes.

Eſpencæi & Pici Mirandulani adverſus lupanaria declamatio.

LVII. Neque nobis duntaxat, ſed r
emunctiorum narium in ipſo Papatu l
Marianam jam laudavimus. Afferam in
Sorbonici Doctoris, cujus ſupra etiam m
plura & aculeata, quibus ſic ille *de Cont*
fœditatem deteſtatur; *Illud ſua etiamnu*
noniæ quantum unaquæque proſtituta, c
in Italia, ibi obſervatum notat Beroald
nienſis, ut proſtitutæ meretrices tributum
giſtratibus, qui vulgò præfecti bulletari
vant. Romæ verò, hoc eſt, in totius Chr
poli, quid aliud hac in re factum aut non fa

Paulo III. delecti pro emendanda Eccleſia Reverendiſſimi Cardinales, aliíque viri graves inter alia conſuluerunt, corrigendum & hunc turpem abuſum, quo illic meretrices ut matronæ incedunt, aut mulâ vehuntur, aſſectantibus eas de media die nobilibus familiaribúſque Cardinalium atque clericis, habitant etiam inſignes ædes. Nulla in urbe hanc, ajunt, corruptionem vidimus, præterquam in hac omnium exemplari. Et hanc tamen turpitudinem corruptelámque unus ex conſiliariis, Paulus poſtea IV. non ſuſtulit, quod, ut mihi bene ſum conſcius, eo quo me colloquio dignatus eſt, quâ potui ac debui modeſtiâ, privatim ſuaſeram. Mirum certè, tales tantóſque viros conſuluiſſe, minuendum modò ſcortorum faſtum & luxum, non etiam ſemel ejicienda. An verò propter tam multos ibi cœlibes retinenda? O rem horrendam! Mihi ſanè ſic eos ſenſiſſe, dicere religio eſt. Nos Gallos, ſtolidos ſcilicet ac ſimplices, non poſſe non graviter offendi tot mille luparum in iiſdem muris, ſub eodem propè, quod ajunt, tecto, quotidiano conſpectu, ac, velimus nolimus, occurſu. Non enim jam, ut olim, ſub mœnibus habitant, aut ſub Mœnianis Circenſibus, Martiali ob id Summœnianæ dictæ. Quærit Q. Fabius lib. vij. 4. An in lupanari cum aliena deprehenſus, adulter ſit? non quæſiturus,, niſi certo tum loco fuiſſent deprehenſæ. Nunc verò ſub Chriſti vicariis, & Petri ſucceſſoribus, ut alius quidam cecinit

—— Urbs eſt jam tota lupanar
Mater & Æneæ regnat in urbe ſui.

Quódque in Solone Plutarchus ſcribit, Athenienſes mitibus nominibus urbanè imminuendo rerum atrocitatem mitigâſſe, meretrices hetæras, ſocias, amicas nuncupantes. Ita Romanenſes ſua NUNDINALIA pudoris PROPUDIA, Curtiſanas vocant. O Italicum acumen!

men! Johannes quoque Franciſcus Pic
Oratione ad Leonem X. pro *morum ref*
comparationem inſtituens inter filios Eli,
ribus dormiebant ad oſtium tabernaculi;
& in ſacras ædes fit irruptio, & ab illis
dor! fœminæ abiguntur ad eorum libidin
meritorii pueri à parentibus commoda
Petraſancta, qui abeunt in carnem altera
tur his, qui ab omni corporis conceſſa eti
immaculatos cuſtodire deberent. Hi po
tiorum gradus promoventur ætatis flo
exoleti.

Lenonia huic Papa neutiquam favet, quòd Lupanaria Papa, ut Epiſcopus, non probet, ſed cenſuris Eccleſiaſticis lupas notet.

LVIII. Sed Papa, uti Romanus Ep
denique ejus lenonia excuſatur) non p
proſtibulis, ut impunè corpus ſuum pro
uſu Sacramentorum ea arcet, & extra
ſepeliri curat, & jure rhedarum prohibe
poſtea? Ipſe Papa dignior pœna hac eſt,
ſimus haberi velit, & extrui curat lupana
ſtum accipit. *Hoc an in populo Chriſtian*
tum, haud facilè dixerim, puta alicubi
fieri, ait Mariana, non auſus apertè dice
noniæ, quod Agrippam, & Eſpencæum
Non impedivit communionis, ſepulturæ
rhedarum ademptus honos, quin talium
tronarum facta recenſione A. MDLXV.
octo & viginti millia reperirentur. Et nu
ejuſmodi reformidabunt, quæ corpus
dæmoni mancipàrunt? Neque proſtibu
ſepulturæ honore carent; ſed diobolaria
honorem eum pecuniâ redimere non p
non ex vivis duntaxat, ſed mortuis et
quæſtum facit. Neque jus rhedarum

cum lupabus illis ſcortantibus; quibus fas eſt ad lupanar rhedâ vehi. Denique quàm illud abſurdum eſt, imò quàm iniquum, afficere opprobrio corpora, quorum ipſe priùs, fœdâ indulgentiâ, & ſceleris vectigalis approbatione, animas corruperis.

LIX. Supereſt poſtremum lemma, cœterorum omnium coronis, & tot occaſionum, cauſarum, illecebrarum effectus, res ipſa, Cleri *omne genus libidinibus indulgentis* hiſtoria. Hìc verò ne per calumniam à me quidquam dici, quiritari Hierarchici poſſint, domeſticis teſtimoniis negotium conficiam. Licet enim ſcelera illa tenebrarum in occulto patrentur, & noviſſimus ac cenſorius ille dies ea clariſſimè omnium in apricum prolaturus ſit; non potuerunt tamen ſic Hierarchici dedecora ſua tegere, & tenebris in hoc etiam mundo involvere, quin à pluribus, iiſque graviſſimis etiam teſtibus prodita, in publicum erumperent.

Hierarchiæ denique omnimoda impuritas experientia & hiſtoria ipſius luce & teſtimoniis liquidò probatur.

LX. Ab Hierarchiæ capite, Papa, ordiamur. Si enim Pontifices, *Sanctiſſimi* nomine inſignes, primi & ſeveriſſimi continentiæ exactores, & *τύποι τοῦ ποιμνίου typi* ſcilicet *gregis*, non defuerunt, qui labem impuritatis ſibi contraherent, de inferioris cleri, cui *Sanctitatis* titulo ſuperbire fas non eſt, puritate quid ſentiendum ſit, conſtabit ultrò. Nihil dicam de fatali eo tempore, quo Meretrix Fœmina Johanna Papatûs thronum occupavit, quæ fama ſi mendax eſt, non à nobis illa, ſed à mendace Papatu manavit. Sed veram eſſe, fidem facere poſſemus. Nihil de deploratiſſimis illis temporibus, quibus, Genebrardo *ad A.* 908. & Baronio *ad A.* 897. *n.* 4. ingenuè confitentibus & deplorantibus non tam homines, quàm hominum monſtra Petri auguſtam illam cathedram inſederunt, à fœdiſſimis proſtibulis, Marozia & Theodora, à matre Theodora, Romæ imperante, Pontificibus proſtitutis, intruſa, uti de

Pontificum ſummorum impuritas.

Jahanne XI. Ravennæ priùs Archiepiſcop
Papa Sergius III. ex Marozia Papam Jo
nuit; quem ipſum quoque in adulterio d
adulteræ marito confoſſum, Platina, L
nenſis *lib. ij. cap.* 15. &c. ubi Theodoræ
nora commemorat; Cranzius *Metrop.* 5
3. *Schiſ. p.* 631. Carriere *Digeſto Chrono*
morant. Lubet exemplis decem Pontific
rè ordine, inde ab A. MCCCCLVIII. ad A
que Seculi unius decurſu, inde à Pio II.
que ſibi ſuccedentium, productis fidem f
rùm caſtè ipſi Supremi Hierarchiæ Princi
ſueverint.

Eadem decem Pontificum, continuo fere ordine, intra Seculi unius decurſum, ſibi ſuccedentium, puta Pii II. Pauli II. Sixti IV. Innocentii VIII. Alexandri VI. Iulii II. Leonis X. Pauli III. Iulii III. Pii IV. infamiâ libidinum laborantium, allato ſpecimine & hiſtoria apertam in lucem profertur.

LXI. Pius II. ſic *Prol. in hiſt. duor.*
bit: *Ego de me facio conjecturam, quem*
ricula miſit. Ago ſuperis gratias; qude
millies fugi, felicior aſtro Martis, que
Venere jacentem ferreo illaqueavit retic
que Diis cæteris oſtentavit. Et *Epiſt.* 15
lium ſe ſuſcepiſſe, non tantùm parenti fa
etiam gloriatùrque. Pium excepit Paulus
mâſſe dicitur, quòd ipſe qui non ſolùm E
continentiæ antiſtes eſſe deberet, filiam
culis civitatis cum ſummo probro verſari
gem Dei ſciret eſſe, qua huic in matrimo
uti pro conjugio Sacerdotum ad Julium
Ruthenus, Staniſlaus Orichovius ſcripſi
tùs IV. lupanaris Romæ nobilis archite
pter hanc aliáſque cauſas ejuſmodi epita
Sapidus exſculpſit:

Sixte jaces tandem, deflent tua buſt
Scortáque, lenones, alea, vina, Ven

De quo etiam Nicolaus Machiavellus in h

na *lib. vij.* ſic ſcribit: *Alebat inter familiares ſuos duos, qui omnium opinione ipſius filii erant, quos tamen magis honeſto nomine palliaverat; Petrum unum, quem utpote Regularem ad Cardinalitiam dignitatem titulo S. Sixti evexit; Hieronymum alterum quem Foro Julio donavit, expulſo inde Antonio Ordelaffio, qui eam urbem unà cum ſuis majoribus aliquot ſeculis in poteſtate habuerat.* Eorundem, ne Machiavelli fidem ſuſpectent Hierarchici, Onuphrius Panvinius in vita Sixti meminit, ubi nominatim de Petro Cardinale memorat, quòd *ampliſſimis Sacerdotiorum reditibus auctus ita ſplendidus fuerit, ut pecuniæ perdendæ* (uni prandio ultra xx. millia florenorum impendiſſe, ſunt qui ſcribunt) *natus eſſe videretur. Nam eo*, inquit Onuphrius, *biennio, quo tantùm poſteà ſupervixit, ducenta aureorum millia in victu abſumpſiſſe; LX. verò millia æris alieni, argenti autem cœlati* CCC. *pondo reliquiſſe traditur. Obiit voluptatibus confectus paulò ante obitum creatus à Sixto totius Italiæ legatus.* Succedit Sixti Datarius, Innocentius VIII. qui, ut Marulli epigramma habet,

Octo nocens pueros genuit, totidémque puellas,
Hunc meritò potuit, dicere Roma patrem.

Nam profectò, uti luſit Sannazarius, quem inter Scriptores Eccleſiaſticos Bellarminus retulit,

Progenie exhauſtam reſtituit patriam.

Fuit is, obſervante *lib. xxij.* Raphaële Volaterrano, *primus Pontificum, qui novus & ipſe exemplum introduceret, palam liberos nothos jactandi, ac ſolutâ omni antiquâ diſciplinâ divitiis omnibus eos cumulandi.* Franciſcum filium, & Theodorinam filiam Onuphrius nominat: illi *patrem oppida nonnulla vicina dediſſe, Laurentiique Medicis filiam Magdalenam, formoſiſſimam puellam matrimonio junxiſſe;* iſtam *Gerardo Uſumari Genuenſi nuptam*

magnis divitiis cumulâſſe, affirmat. Se
VI. monſtrum ex libidine, avaritia & p
veriùs, quàm homo. Is enim, ut Onupl
plicem, *ſi quando negotiis non premeretu*
ditatis genere ſine diſcrimine dedit, mu
addictus, ex quibus quatuor filios & dua
hil autem, ſic iterum Volaterranus, *pri*
Innocentii exemplo ſuos nothos honoribu
majoribus extollere, quando antea res hæ
eſſe cœpit. Quomodo verò id perfecerit
exponit: *Lucretiam filiam*, inquiens,
ficatum Hiſpano cuidam in matrimonium
ablatam, Johanni Sforciæ Piſaurenſi p
deinde abdicatam Aloiſio Arragonio, Al
notho; quo demum interfecto Alphonſo
duci collocavit. Ex filiis verò natu min
Principem Squilatinum fecit; medium
nalem; maximum natu Johannem ducem
nia creari procuravit, cui etiam uxorem
tham Regis Alphonſi. Qui cùm nocte qu
inſidiis Cæſaris Cardinalis fratris inter
berim conjectus eſt, connivente prorſus a
cidii ſcelus Patre Pontifice. In quem pr
pra, Sannazarius hoc epigramma fudit:

Piſcatorem hominum ne te non, Sext
Piſcaris natum retibus ecce tuum

De eodem & filia Lucretia tetriora
rius:

Ergo te ſemper cupiet Lucretia Sex
O fatum diri nominis! hic pater

Idem *ad Martinum Caracciolum* Bo
filium ejus, *Cynædi Patris impudicam*
Et de eodem Johannes Jovius Pontanu

Hoc jacet in tumulo Lucretia nomine, ſed re
Thais, Alexandri filia, ſponſa, nurus.

Epitaphium ejus apud eundem Sannazarium hoc legere eſt:

Fortaſſe neſcis, cujus hic tumulus ſiet,
Adſta viator, ni piget.
Titulum quem Alexandri vides, haud illius
Magni eſt, ſed hujus, qui modò
Libidinoſa ſanguinis captus ſiti
Tot civitates inclytas,
Tot regna vertit, tot duces letho dedit,
Natos ut impleat ſuos.
Humana jura, nec minùs cœleſtia,
Ipſóſque ſuſtulit Deos.
Ut ſcilicet liceret, heu ſcelus! patri
Natæ ſinum permingere,
Nec execrandis abſtinere nuptiis,
Timore ſublato ſemel.
I nunc, Nerones & Caligulas nomina,
Turpeis vel Heliogabalos.
Hoc ſat viator: reliqua NON SINIT PUDOR.
Tu ſuſpicare, & ambula.

Sed miſſâ hâc beluâ, ſive, ut cum Guicciardino *Hiſtor. lib. vj.* loquar, *Dracone hoc, qui immoderata ambitione, & peſtifera perfidia, omnibúſque horrendæ crudelitatis, monſtroſæ libidinis, & inauditæ avaritiæ exemplis univerſum orbem infecit;* miſſo etiam ſucceſſore ejus Pio III. Scenico viginti ſex dierum Pontifice; ad Julium II. Sixti IV. ex fratre nepotem; flectamus, quem Guicciardinus idem *lib. ix.* ait *ebrioſum, deliciis voluptatibúſque innutritum* fuiſſe. Filia ei fuit, Felix nomine, quam Papa factus Johanni Jordani Urſino in matrimonium dedit, Onuphrio teſte. Omitto, quæ de vi nobilibus adoleſcentibus illata

illata ei à Gallis objecta fuerunt, ne hoſtiu
nio inniti videar. Julius ſucceſſorem hal
de quo hæc Jovius *lib. iv. vit. Leon*
Non caruit infamia, quòd parùm honeſtè
culariis (erant enim è tota Italia nobili
& cum his teneriùs atque liberè jocari v
excuſando homini: *Sed quis vel optimu*
mus princeps in hac maledicentiſſima aul
los vitavit? Et quis ex adverſo tam mal
invidiæ tabe conſumptus, ut vera demum
noctium ſecreta ſcrutatus eſt? Ac ſi a
nomine ſugillari inclyta virtus potuit, L
periorem Principum Sixti IV. Innocenti
dri VI. fama comparatus, æſtimatione
nentiæ laudem feret. Sic qui profligatiſſi
mines nondum pudorem omnem decoxi
celat, probus videri poteſt. Hominis co
& atheiſmum Pici Mirandulani, & Sforc
ſtimoniis *Hiſt. Pap. ſſ.* 155. convicimu
drianus VI. Germanus, germana virtute
ſtroſarum libidinum infamia immunis ipſ
men familiam, Onuphrio teſte, non habu
go eo, Clementem VII. ex illegitimo con
P. Jovius *Hiſtor. lib. iij.* deſcribit: *Nen*
rat, cùm neminem adamaret, præterqu
cultiore cauſa conciliatos, his certè unis
ter favit, ut ad ſummos honores, aut ad
tatis locum ſtabilêſque divitias nullo pu
Proximus ei Paulus III. aliquot ſpuriis n
Petrum Alioiſium ad Parmæ & Placent
ctum, horrendæ libidini deditum licet,
pensè amavit, atque exprobrantibus hoc
di vitiorum commonſtratorem filio non f

mediæ

Quaſi verò qui cœlibatum profeſſus & ſimulans, damnato congreſſu filium gignit, genito incontinentiæ œſtrum non affricet, & libidinis exemplum, quoties ille ortûs ſui recordatur, non ſuggerat? De ſtupris ejus & inceſtibus nefandis multa horrida liber Italicè ſcriptus, & à Sleidano *Hiſt. lib. xxj.* contractus, & ipſo quoque Thuano Citatus, commemorat. Atqui hic ille eſt, qui Johanne Caſa, Archiepiſcopo Beneventano, quem *de laudibus Sodomiæ* poëma confeciſſe, ſupra oſtendimus, legato uti non dubitavit. Prodigioſæ inprimis libidinis, qui eum excepit, homo, Julius III. *Cardinalis* adhuc, Onuphrio teſte, *veluti furtim voluptates ſequebatur. Pontifex factus votorum jam omnium compos, abdicatâ rerum curâ, hilaritati & genio ſuo nimiùm indulſit.* De eodem ſic Thuanus *lib. vj. & xxviij. Innocentius Montanus (qui quòd in familia ſimiæ curam gereret, Simiæ etiam poſt adeptam dignitatem, nomen retinuit) ſummâ ampliſſimi ordinis infamiâ à Julio III. in Collegium Cardinalium cooptatus, majore infamia poſtea vitam exegit; accuſatus patrem & filium caupones, ut illius uxore potiretur, interfeciſſe.* Innocentium hunc adoleſcentem, quo tempore Bononiæ legatus fuerat Julius, in deliciis habuiſſe ferebatur. Papa ergo factus, Innocentio huic galerum ſuum largitus, eundem in domeſticam conſuetudinem rurſus admiſit, eíque cognomen & inſignia ſua attribuit. Romæ tum fama fuit, & libellis quoque perſcribebatur, (ſic Sleidanus commemorat) *à Jove Ganymedem foveri, licet deformem. Sed nec ipſe Pontifex hoc ad reliquos Cardinales diſſimulare, & fertur per jocum aliquando commemorare, quàm ſit laſcivus adoleſcens & importunus.* Plura de eo Papirii Maſſoni, quin & ipſius Pallavicini fide *Hiſt. Pap. ff.* 176. tradidimus. Denique Pium IV. Julio huic ſubrogatum fuiſſe *verbis & ſcommatibus acutum, cibi vinique avi-*

dum, in voluptates pronum &c. Onuphri
ſtis eſt. Similia de eo Thuanus *lib. xxxv*
bemus decem Pontifices, Pium II. Paulun
Innocentium VIII. Alexandrum VI. Juli
X. (Clementem VII. ne computem) Pau
III. Pium IV. intra unius Seculi decurſu
ordine ſibi ſuccedentes (ne Succeſſio Pap
juſmodi ſit, lateat ampliùs) infamiæ, impu
num ſtigmatis non à noſtris duntaxat, ſed
authoribus, inuſtos. Quòd ſi in camarina
ter tantummodo commota aures animúm
plet, concutienda, pergere animus eſſet,
nis hujus comperti ſe offerrent. Sed ex ung
quidem, ſed, divinent alii, quales. Quid ve
fiet de ovibus, ſi ſic Paſtores lupi ſunt?

Cleri totius Romani impuritas teſtimoniis ex Scriptoribus Pontificiis octo retro Seculorum repetitis convincitur, ubi teſtes inducuntur ex Seculo Nono S. Huldrici Auguſtani Epiſcopi ad Nicolaum I: epiſtola, cujus germanitas aſſeritur.

LXII. Sed magna inſuper teſtimonio
Hierarchicorum impuritate nubes in pro
ciora ex octo elapſis Seculis excerpere velt
quorum, haud pigebit equidem. Seculo
ruitque Huldricus Auguſtanus Epiſcopu
Nicolaum I. adverſus Sacerdotum conju
inſurgentem Epiſtolam, quâ eum ex Scri
tate Eccleſiaſtica ſic ſatis liberè acerbéque
ter alia ſic ille: *Quid Divinæ maledict*
quàm cùm aliqui vel Epiſcopi videlicet,
ni ita præcipites ſunt in libidinem, ut
neque inceſtus, neque maſculorum (prob
ſimos amplexus ſciant abhorrere, quòd
conjugia ſibi dicant fætere, & ab eis ne
compaſſione clericos, ut conſervos rogent
tinere, ſed ut ſervos jubeant ac cogant a
jus imperii, ne dicam conſilii tam fatuam
addunt ſuggeſtionem, ut dicant: Honeſ

Digitized by Google

occultè implicari, quàm apertè in hominum vultu & conſcientia cum una ligari. Quod profectò non dicerent, ſi ex illo, & in illo eſſent, qui dicit: Væ vobis, Phariſæi, qui omnia faciunt propter homines. Paulò poſt: *Hic eſt autem, ſi diligenter inſpiciatur, totius eorum manipulus zizaniæ, totius conventus inſaniæ, ut dum clerici licita unius mulieris conſortia Phariſaico devicti, quod abſit, furore relinquere coguntur, fornicatores & adulteri, & aliarum pravitatum turpiſſimi miniſtri cum ipſis efficiantur, qui hanc in Eccleſia Dei hæreſin, ſicut cæci duces cæcorum machinantur, ut videlicet illud impleatur, quod Pſaltes eis, utpote eorum præſcius erroris, taliter imprecatur: Obſcurentur oculi eorum, ne videant, & dorſum eorum ſemper incurva.* Epiſtolæ hujus germanitatem *Parthenog. cap. xvij.* 15. 16. teſtimoniis Bertholdi ſeu Bernoldi *Append. ad Chron. Herm. Contracti ad A.* 1079. *Germ. Script. Urſtiſii p.* 349. & Æneæ Sylvii *de moribus Germ. p.* 1053. aliiſque documentis; ipſiúſque Gabr. Vaſquezii confeſſione convicimus, diſcuſſis etiam iis, quæ in contrarium Bellarminus obduxit.

LXIII. Seculi Decimi, *ſui aſperitate ac boni ſterilitate ferrei, malique exundantis deformitate plumbei*, uti Baronius *ad A.* 900. *n.* 1. appellat, quàm fœda facies fuerit, lippis jam tonſoribúſque notum eſt. *Quæ tunc*, ſic idem Baronius *ad A.* 912. *num.* 8. ſcribit ingenuè, *facies ſanctæ Eccleſiæ Romanæ? quàm fœdiſſima, quum Romæ dominarentur potentiſſimæ æquè ac ſordidiſſimæ meretrices? quarum arbitrio mutarentur ſedes, darentur epiſcopi, & quod auditu horrendum & infandum eſt, intruderentur in ſedem Petri earum amaſii Pſeudo-Pontifices, qui non ſunt niſi ad conſignanda tempora in catalogo Romanorum Pontificum ſcripti. Quis enim à ſcortis hujuſmodi intruſos ſine lege legitimos poſſit dicere Pontifices Ro-* *De Seculi Decimi impuritate Baronii confeſſio.*

manos fuiſſe? Quales non reris delectos ab hiſce monſtris presbyteros & diaconos Cardinales fuiſſe putandum, cùm nihil tam naturæ inſitum ſit, quàm unumquemque ſibi ſimilem generare? En Pontifices Summos, Epiſcopos, Cardinales, Presbyteros Romanos, univerſamque adeò Hierarchiam Romanam à meretricibus fœdiſſimis vel prognatam, vel ad dignitates ſuas promotam, & meretricibus illis, judice Baronio, ſimilimam! Si unquam, hoc certè tempore, Roma mater ſcortationum fuit.

Ex Seculo Undecimo teſtes citantur Petrus Damiani, qui librum titulo Gomorrhei ſcripſit, à Leone Papa ſuppreſſum.

LXIV. Seculo *Undecimo* Petrus Damiani, ortu Ravennas, à Stephano IX. Cardinalis & Epiſcopus Oſtienſis creatus, vir pro ratione Seculi non ineruditus, pietate & zelo ſingulari præditus, *hujus temporis magnum ſidus Eccleſiæ* à Baronio nuncupatus, librum ſcripſit, titulo GOMORRHÆI, quo tetram Cleri libidinem, & horrenda flagitia inſectatus, Leonem Papam de remedio compellavit. De libro eo, in Bibliothecæ Vaticanæ ſcriniis recondito, ſic Baronius *ad A.* 1049. *num.* 10. ſcribit: *Frutices illi infeliciſſimi, vepres infauſti, ſpinæ & urticæ agrum Patrisfamilias in immenſum oppleverunt, qui ex putore carnis, corruptionis fimo, turpiter excreverunt. Omnis quippe caro corruperat viam ſuam: ut non tantùm ad eas abluendas ſordes videretur ſatis eſſe diluvium, ſed nefanda ſcelera ignem è Cœlo Gomorrhæum, quo eſt exuſta Pentapolis, poſtularent. Quorum gratia idem Petrus Damiani, tunc Eremita montis Avellani in Umbria conſtituti, de his omnibus novum Pontificem Leonem monendum putavit, ſcribens ad eum librum, quem GOMORRHÆUS inſcripſit, eòque quadripartita vitia carnis, quibus obrueretur eccleſia, uti decuit, quàm potuit, honeſtè inſinuavit, rogans, ut Petri gladio acutiore, quàm Phinees, conficiens turpiſſimos homines illos, eccleſiam Dei non habentem maculam nec rugam, ſerva-*

ſervaret incontaminatam. Quibus auditis Sanctiſsimus Pontifex, cùm Viri Sancti laudavit zelum, tum etiam pro criminum qualitate & quantitate ultor offenſi Numinis, pœnas dignas oppoſuit, quas habet ejuſdem Pontificis Epiſtola, ad eundem Petrum reddita, quæ præfixa legitur Gomorrhæo, quæ unà cum pluribus aliis ejuſdem auctoris lucubrationibus extat in antiquitus ſcripto codice Bibliothecæ Sancti Petri in Vaticano, quo ſumus uſi in his conſcribendis. Leonis Epiſtolam reſponſoriam idem Baronius recitat, in quo ſic ille inter alia: *Clerici verò, de quorum vita ſpurciſſima flebiliter paritérque rationabiliter tua prudentia diſputavit, verè, & omnino verè ad funiculum hæreditatis ejus non pertinent, de quo ipſi voluptuoſis ſe oblectationibus ſubmovent.* Et laudavit ſanè librum Leo ob zelum authoris. Sed Alexander II. ſuppreſſit paulò poſt, ita ut hactenus in pulvere Vaticano jacuerit. Prætexit cauſam Baronius, verborum obſcœnitatem: ſui tamen oblitus, qui *num.* 10. contra teſtatus erat his verbis: *Quadripartita vitia carnis, quibus obrueretur Eccleſia, ut decuit, quàm potuit honeſtè, inſinuavit.* Si tam *honeſtè*, unde nunc tam repentè tanta verborum *obſcœnitas?* Sed ſi vera tamen eſt, unde laus Leonis? Aut cur caſtior Alexander? Aut quæ ſpes fuit, ſuppreſſum iri fœditatem morum, ſuppreſſa obſcœnitate verborum? Scilicet ſoliciti ſunt magis boni illi viri de comprimendis ſatyris, quàm de purgandis moribus. Sanè etiam Petrus Damiani literis ad Cardinales Hildebrandum & Stephanum ſcriptis de Alexandro Gomorrhæum ſuum ſupprimente his verbis, quæ in codice Baſilicæ S. Petri extant, queſtus eſt: *Querelam omnipotenti Deo, & vobis, qui eſtis membra ejus, depono de noſtro Domino Papa, qui cor meum tam acerbo mœrore conturbat, & grandævi jam ſenis animam ad amaritudinem provocat. Tulit enim li-*

brum noſtrum-ſuiſque ſcriniis infarcivi
munditiæ Sacerdotalis indicium, imò Pa
tatis eſt argumentum. In ipſum verò Ale
ſatis mordaci invectus, ſibi cognita innui
infamiam ipſi allatura ſint, *ne coactus,*
querela compellar effluere, quod adhuc ſil
vix poſſum ulteriùs occultare.

Ex Duodecimo Bernhardus, Rupertus Tuitienſis.

LXV. Ex Seculo *Duodecimo* repræſe
ritatis Hierarchicorum plures poſſem. C
ero. Bernhardi inprimis *Serm. de conver*
20. digniſſima memoratu illa ſunt: *Curr*
dines ſacros, & reverenda ipſis quoque S
cis miniſteria homines apprehendunt ſine
conſideratione. Neque eum ſignum regni
aut illius timent imperii geſtare coronam,
tia regnat, ambitio imperat, dominatur
iniquitas, & luxuria etiam principatur:
ſima fortè appareat intra parietes abom
Ezechielis prophetiam, parietem fodian
Dei videamus horrendum. Siquidem po
poſt adulteria, poſt inceſtus, nec ipſæ quie
ignominioſæ paſſiones, & turpitudinis o
nam non fierent, quæ uſque adeò non co
Apoſtolum hæc ſcribere, nec nos dicere
dicentibus crederetur, quòd humanum
verit animum tam abominanda cupido. N
civitates illæ ſpurcitiæ hujus matres Di
judicio, & incendio ſunt deletæ? Num
lus flamma moram non ſuſtinens, execrat
nit tollere nationem, quòd ipſius ſpecial
manifeſta præcedentia ad judicium? Nu
pſam utpote conſciam tantæ confuſionis te
ignis, ſulphur & Spiritus procellarum?

locum horribilem ſolum omne redactum eſt? Amputata ſunt hydræ capita quinque, ſed heu! innumera reſurrexerunt. Quis reædificavit urbes flagitii, quis turpitudinis mœnia dilatavit, quis extendit propagines virulentas? Væ, væ, inimicus hominum ſulphurei illius incendii reliquias infelices circumquaque diſperſit, execrabili illo cinere eccleſiæ corpus aſperſit, & ipſorum quoque miniſtrorum ejus nonnullos ſanie fœtidiſſima ſpurciſſimáque reſperſit. Heu genus electum, regale ſacerdotium, gens ſancta, populus acquiſitionis; quis inter tua illa primordia tam Divina, & ſpiritualibus affluentem chariſmatibus Chriſtianæ religionis ortum credere poſſet, poſſe talia in te aliquando reperiri? Utinam magis turrim inchoaturi, ſedentes computarent: ne fortè ſumptus non habeant ad perficiendum. Utinam qui continere non valent, perfectionem temerarie profiteri, aut cœlibatui dare nomina vererentur. Sumptuoſa quippe turris, & verbum grande, quod non omnes capere poſſunt. Eſſet autem ſine dubio meliùs nubere, quàm uri, & ſalvari in humili gradu fidelis populi, quam in cleri ſublimitate & deteriùs vivere, & diſtrictiùs judicari. Multi enim, non quidem omnes, ſed tamen multi; certum eſt, neque latere queunt præ multitudine, nec præ impudentia quærunt; multi utique libertatem, in qua vocati ſunt, in occaſionem Carnis dediſſe videntur, abſtinentes remedio nuptiali, & in omne deinceps flagitium effluentes. Vel unum hoc Divi Pontificii teſtimonium omni exceptione majus ad Hierarchiam Babylonicæ impuritatis convincendam efficax ſatis eſt. Sed eodem Seculo etiam Rupertus, Ordinis Benedictini, Abbas Tuitienſis, commentans in Apocalypſin, ubi in mentionem Nicolaitarum incidit, eorum de promiſcuò fœminarum uſu doctrinam ſuæ ætatis Clericis *lib. viij* ſic accommodavit: *Annon illi doctrinæ vicinum hoc eſt, quòd iſti legitimum non volentes habere conju-*

conjugium, utpote legibus eccleſiaſticis int
ſancti & mandentur, quia portant vaſa
minus incontinentes ſunt? imò deteriùs e
tantes connubia, quoties volunt, & qui n
rum licitum dum ſic evagantur, nullum
conjugii vinculum. Fornicantur autem c
tantur Beelphegor, quicunque exemplo t
vel adulteria audaciores fiunt. Et tunc q
fuit, quòd aperuit Dominus os ſubjuga
XXIII. 14. Apoc. II. 14.) *& animal hom*
redarguit Prophetæ inſipientiam, qui hu
dedit: ſed & nunc penè illi ſimile fit, q
beja rectores eccleſiæ clamoribus ſuis coa
gat. Sic clericos matrimonio abſtinentes
nibus ſeſe polluentes, ſuóque exemplo c
lia ſcelera invitantes; quin & eos, qui Cle
jungunt, at de cætero vagas eidem libid
cum Nicolaitis paria facere, meritò ille p

Ex Decimo tertio Guilhelmus Durandus, Hugo Cardinalis.

LXVI. Neque Seculum *Decimum*
ejuſmodi deſtituitur. Vixit eo Seculo fl
mus Durandus, Epiſcopus Mimatenſis,
lum juris, unde ei *Speculatoris* nomen
tionale Divinorum officiorum, & Tracta
neralis Concilii celebrandi ſcripſit. In eo
rubr. 10. hunc in modum verba facit: *C*
cæno, & multis aliis Conciliis familiari
extraneis ſit interdicta, nec id tamen ſer
multa ſcandala ſequantur, & contra c
populus, videretur utile pro conſervatio
& honoris, quòd mandaretur ſervari,
quòd proſtibula publica non teneantur pr
in Romana curia propè palatium Domi
alibi propè domos Prælatorum, & ne ma

Papæ & conſimiles aliquid recipiant à meretricibus & lenonibus earundem. En canones de arcendis mulieribus extraneis prorſus extinctos, & jam tum publica proſtibula proximè palatium papæ! Quæ *Apoſtolica* jam dici debebunt eo jure, quo ea, quæ quoquo modo ad Pontificem ſpectant, velut Sedem, Cameram, Curiam, Nuntios, Bullas &c. *Apoſtolicas* vocare conſueverunt. Subjungit *rubrica* 46. idem: *Cùm penè in omnibus Conciliis, & à pleriſque Romanis Pontificibus ſuper cohibenda & punienda Clericorum incontinentia, & eorum honeſtate ſervanda multa hactenus emanaverint conſtituta; & nullatenus eorum reformari quiverit correctio morum &c. videretur penſandum, an expediret & poſſet provideri, quòd in Eccleſia occidentali, quantum ad votum continentiæ, ſervaretur conſuetudo Eccleſiæ Orientalis, quantum ad promovendos, potiſſimè, cùm tempore Apoſtolorum conſuetudo Eccleſiæ Orientalis ſervaretur.* Eodem Seculo A. MCCLI. Pontifice Innocentio IV. Concilio Lugduni habito, ſic ejus & Curiæ nomine Hugo Cardinalis, narrante, uti ſupra etiam *Theſi* LVI. attigimus, Matthæo Paris *in Henrico III. ad A.* 1251. urbi Lugdunenſi valedixit: *Amici, magnam fecimus, poſtquam in hanc urbem venimus, utilitatem & eleemoſynam: Quando enim primò huc venimus, tria vel quatuor proſtibula invenimus. Sed nunc recedentes unum ſolùm relinquimus. Verùm ipſum durat continuatum ab Orientali porta civitatis uſque ad Occidentalem. Et erat*, inquit Paris, *verbum offenſionis in auribus omnium mulierum, quarum infinita multitudo ſermoni aſſidebat. Hæc autem ironia in ore multorum verſabatur, quia Cynicè momordit univerſos.*

LXVII. In Seculum *Decimum quartum* Alvarus Pelagius, Sylvenſis in Portugallia Epiſcopus, incidit, & Opus *de Planctu Eccleſiæ* Avenione in Curia Papæ Johannis

Ex Decimo quarto Alvarus Pelagius, Robertus Holkot.

Digitized by Google

hannis XXII. perſcripſit. In opere iſthoc
nalium, Epiſcoporum & Presbyterorum
lib. ij. art. 27. quartum crimen deſignat,
ter vivant. Enormitatibus ſe immiſcen
crapulæ & ebrietati, & incontinentiæ
eorum commune) & plerique vitio conti
tra ſanctam caſtitatem, quam Domino
offendunt continuè etiam publicè: præte
DISSIMA *quæ in occultis perpetran*
tæ reciperent, nec calamus poſſet exar
uam, inquit, *continentiam nunquam pro*
Hiſpani & Regnicolæ, in quibus Provin
jori numero ſunt filii laicorum, quàm
quod ſceleratiùs eſt, per plurimos anno
binæ qualibet die ſurgunt non præmiſſ
hypocritali cum propoſito redeundi, &
tare ad terrificam hoſtiam conſecranda
tum, quantum in eis eſt, Domino cordib
ſtis offerentes. VI. Libentiùs dant jocu
ci, quàm pauperi. XIV. Sæpe cum Par
bus, quæ ad confeſſionem admittuntur,
nicantur. XXXII. Cùm ſint notorii for
conſequens ſuſpenſi quantum ad ſe, & qu
& Simoniaci etſi occulti, vel aliàs ſuſpe
nihilominus celebrant omni die. XLV
ſerviri in altari, & in Eccleſia per ſuos
XLIX. De bonis Eccleſiæ paſcunt conc
& filios, & de pecunia Eccleſiæ emunt
LIII. Multi Presbyteri, & alii conſ
maximè in Hiſpania, Aſturia & Gallicia
blicè, & aliquoties per publicum inſtru
tunt & jurant quibuſdam, maximè nobi
nunquam eas dimittere; & dant eis arr

cleſiæ, & poſſeſſionibus Eccleſiæ; & publicè eas ducunt cum conſanguineis & amicis & ſolenni convivio, ac ſi eſſent uxores legitimæ. Sed & *art.* 2. *fol.* 83. ad verba illa Thren. v. 13. *Adoleſcentibus impunè abuſi ſunt*, ſic commentatus idem eſt: *Heu, heu intra Sanctam Eccleſiam* MULTI RELIGIOSI ET CLERICI *in ſuis latebris & conventiculis, & laici jam in pleriſque civitatibus, maximè in Italia publicè, quodammodo publicum Gymnaſium conſtituunt & palæſtram, in illius flagitii abominatione ſe exercentes, & OPTIMI quique EPHEBORUM in lupanari ponuntur. Quod flagitium, utinam leges; aliàs enim timor Dei eos à tanto malo non revocat, &c. Tantam enim delectationem abominabilem in illo flagitio immundus Spiritus ſubminiſtrat, ut multò majorem ibi ſentiant, quàm in fœtore libidinis mulierum, qui iſto morbo laborant, ſicut audivi à talibus, hoc non erubeſcentibus confiteri.* Addit verſa pagina: *In tantum totus mundus, maximè Italia, iſtius ſceleris ſpeciebus obrutus eſt, quòd remedium non ſupereſt, nec prædicationem, nec timoris pœnæ temporalis, niſi ignis de Cælo ſulphureus in ira Dei ad correctionem aliorum, iterum ſuper iſtos ſceleratiſſimos utraque morte digniſſimos, deſcendat velociter & conſumat, ſicut conſumpſit & exterminavit peſſimos Sodomitas.* Eodem Seculo Robertus Holkot, Dominicanus, *lect.* 193. *in Sapientiam* hanc querelam conſignavit: *Sacerdotes moderni ſunt Angeli incubi per luxuriam. Incubi vel incubones, ſecundum Iſidorum, à Romanis dicuntur Fauni. Sunt etiam, ut creditur, dæmones corpora aſſumentes, vel ſibi jungentes, & ſic mulieribus ſe immiſcentes. Et dæmones incubi dicuntur nonnunquam generare gigantes. Ita Sacerdotes per vehementiam voluptatis gignunt communiter pingues, groſſos & corpulentos.*

 Hi poſ-

Hi poſſunt dici Sacerdotes Priapi
gor.

Ex Decimo quinto Iohannes Gerſon, Nicolaus Clemangis, Epiſcopus Chemenſis, author libri de Onere Eccleſiæ, Petrus de Aliaco Cardinalis Cameracenſis, Stanislaus Orichovius, Nicolaus Tudeſcus, Polydorus Vergilius, Æneas Sylvius, Platina, Felix Malleolus.

LXVIII. Luculentos inprimis Secu
quintum, Reformationi proximum, teſte
ditat, ex quibus, concubinatum vagáſqu
magis tum, quàm unquam invaluiſſe, c
ſub Seculi hujus principium floruit, Johan
riſienſis Cancellarius *de vita Spirit. lect.*
quam memorâſſet Thomam & alios dicen
qui à Sacerdotibus fornicariis Miſſam aud
Inexperti fortè erant hi doctores, quàm g
radicatum ſit hoc malum, & quomodo deter
ca uxores aut filias Parochianorum & ab
rendæ in aliis proveniret apud multos pat
tibus ut ſtant, ſi quærerentur per tales
Scandalum certè magnum eſt, apud Paroc
concubinam ingreſſus, ſed longè deteriùs
chianas ſuas non ſervent caſtitatem. Ex N
gis, Archidiacono Bajocenſi, eodem ten
corrupto Eccleſiæ ſtatu, qui inter opera
ſub titulo, *de vitiis Miniſtrorum Eccle*
vulgante, nec non Chemenſis Epiſcopi l
eſt, *Onus Eccleſiæ* nonnulla ſuperiùs *theſ*
dotum concubinatu & impuritate allegav
mangis *cap.* 16. *ſſ.* 3. Sanctimonialium cl
Veneris poſtibula vocat; addens etiam, a
ſe Sacerdotes, ut Parochiani pati niſi c
eos ampliùs noluerint, quò uxorem & fili
pudicitia, quanquam ne ſic quidem ſatis
cap. 23. ſic loquitur: *Quid obſecro aliud*
puellarum monaſteria, niſi quædam non d
ria, ſed Veneris execranda proſtibula? S
impudicorum juvenum ad libidines explen

ut idem hodie ſit puellam velare, quod & publicè ad ſcortandum exponere. Petrus ab Alliaco, Cardinalis Cameracenſis, *Tract. de Reform. Eccl.* inter alia ſic conſulit: *Adhibenda eſſet correctio circa mores Eccleſiaſticorum, qui jam nimis, proh dolor! ſunt corrupti irâ, gulâ, luxuriâ, pompâ, prodigalitate, otio & aliis generibus, quod cedit in grave ſcandalum laicorum. Et maximè obviandum eſſet illi ſcandaliſſimæ conſuetudini, ſeu potiùs corruptelæ, quâ plures hodie non verentur tenere etiam publicè concubinas.* Stanislaus Orichovius Ruthenus in ſupplicatione ad Julium III. *Non ſolùm bipedum*, inquit, *ſed etiam quadrupedum nequiſſimi facti ſumus. Multæ enim pecudes nôrunt genus, nôrunt ſexum ſuum. At hæc inter nos confuſa multis, adeóque incerta ſunt, ut etiam Romæ libellos publicè circumferri videas, quaſi quaſdam fornicationum iſagogas, in quibus*, &c. Qui eodem Seculo circa A. MCDXXXV. vixit claruitque Nicolaus Tudeſcus Siculus, primùm auditor Romæ, dein Abbas Monacenſis, tandem Archiepiſcopus Panormitanus, quin Cardinalis à Trithemio *lucerna juris* inſignitus, *C. Cùm olim de Cler. Conjug.* propoſita quæſtione; *Numquid hodie Eccleſia poſſit ſtatuere, ut Clericus poſſit contrahere matrimonium, ſicut Græci*; reſpondet: *Credo quòd ſic &c. & non ſolùm credo, poteſtatem ineſſe Eccleſiæ hoc condendi, ſed credo pro bono & ſalute animarum, quòd eſſet ſalubre ſtatutum, ut volentes continere & magis mereri, relinquerentur voluntati eorum; non volentes autem continere, poſſint matrimonium contrahere: quia, experientia docente, cùm hodie non vivant ſpiritualiter, nec ſint mundi, ſed maculentur illicito coitu, cum eorum graviſſimo peccato, ubi cum propria uxore eſſet caſtitas, ut dicitur Cap. Nicæna; unde deberet Eccleſia facere, ſicut bonus Medicus, ut ſi medicina, experientia docente, potiùs officit, quàm proſit, eam tollat.* Conſentien-

tia planè Polydorus Vergilius *de Rer. In*
didit his verbis: *Illud dixerim, tantum a*
acta caſtitas illam conjugalem vicerit, u
licti crimen majus ordini dedecus, plus m
doloris omnibus bonis impreſſerit, inuſſeri
Sacerdotum libidinis labes. Proinde forſ
blica Chriſtiana, quàm ex ordinis uſu eſ
liquando jus publici matrimonii Sacerdoti
quod illi ſine infamia ſanctè potiùs coleren
eiſſimè ejuſcemodi naturæ vitio turpifice
pſum etiam viſum eſt Pio II. ante Papatu
cujus varia inter apophtegmata Platina
quoque referunt, *fuiſſe cauſas, cur Sac*
retur conjugium, ſed multò majores eſſe,
Sub aliena proin perſona propriam ſenten
exprompſit, quando res in Concilio Baſi
rans, cuidam pro Amedæo Sabaudiæ d
gendo peroranti hæc verba *lib ij. in fine*
fortaſſe pejus Sacerdotes quàm plures u
multi ſalvarentur in Sacerdotio conjuga
Presbyteratu damnantur. Platina in vita
ri impietatem deplorat: *Quid futurum no*
tia noſtra eò crevêre, ut vix apud Deur
cum nobis reliquerint? Quanta ſit avar
& eorum maximè, qui rerum potiuntur,
dique conquiſita, quanta ambitio &c. n
cùm ipſi ita apertè & palam peccent, ac ſi
rant. Unum ex hoc Seculo adhuc addam
lum, Tigurinum & Solodurenſem Cano
empt. & vendit. unius pro 20. pag. 37, a
ſum quempiam contra clericos concubin
collegiſſe, & in Brixienſi Diœceſi, præſ
um Attaſim, contra clerum publicè præ

eos contra ſuos Curatos concubinarios adeò concitâſſe, ut niſi nobiles & ipſe Epiſcopus ſe interpoſuiſſent, clerum ii deſtructuri fuerint. Agnoſcit & deteſtatur idem Malleolus in ſequentibus enormitatem ſceleris ex Scriptura & decretis; *ſilendum* tamen ajens *privato doctori vel clerico per ſermones publicos, quia tota* (NB) *ſileat Eccleſia.* Alibi *de Matrim. p.* 40. *Non eſt rarum*, inquit, *in Diœceſi Conſtantienſi, & cæteris vicinis mulierum & clericorum cohabitationis concubinatus contubernium.*

LXIX. In Seculum *Decimum Sextum* Eccleſiaſtica Reformatio incidit, quam inter alias cauſas etiam Cleri cœlibis incontinentia flagitaverat. Et ſtatus quidem Romani imperii A. MDXXII. Legato Pontificio Cardinali Campegio centum Gravamina obtulerunt; quorum ſeptuageſimo quinto & nonageſimo primo de cleri impuritate & concubinatu promiſcuo querelæ graves conſignatæ ſunt. Verba ipſa ſuperiùs *theſi xxvij.* repræſentavimus. Cúmque circa eadem tempora Argentinæ ſacerdotes nonnulli uxores duxiſſent, & in eos Epiſcopus animadvertere ſtatuiſſet, Senatum renitentem expertus ad Campegium eundem, Norinbergæ in Comitiis tum agentem, rem detulit. Aderant è Senatu, qui factum excuſarent, monentes inter alia, Sleidano *lib. iv.* narrante, *Eccleſiaſticos Argentoratenſes magna ſui parte turpiter vivere cum meretricibus, quas domi foveant, magna quidem cum offenſione populi, peſſimóque exemplo, ſed tamen ſumma cum impunitate, nec eo nomine quenquam adhuc eſſe mulctatum ab Epiſcopo.* Regeſſit Cardinalis: *Quòd Sacerdotes mariti fiant, multò eſſe gravius peccatum, quàm ſi plurimas domi meretrices alant. Nec enim omnes eâ eſſe, quâ Johannes Baptiſta continentiâ.* Egregiam ſcilicet dignámque themate probationem! Antoninus Cornelius Lynnichanus oratione habita coram frequenti clero Coloniæ in Synodo V. Eid. Mart. A. MDXXVII.

Ex Decimo Sexto ſtatus Imperii Romani, Cardinalis Campegius, Antoninus Cornelius Lynnichanus, Ferdinandus I. Maximilianus II. Dux Bavariæ, Eraſmus, Caſſander &c.

MDXXVII. in hæc verba os ſuum reſolvit
cerdos es, quique totus Divinis rebus es
ta, quàm indignum ſit facinus, eo ore ſ
illud corpus, quo putidam ſcorti carnem
manibus abominandas ſordes contrectare;
tibus Angelis ineffabile illud myſterium
quàm non conveniat idem corpus, eunde
tum fieri, & unum corpus fieri cum mer
multa de his dicere, quæ tamen multos m
re. Vellem mentirer, vellem mendacii ar
vereor, veriora ſunt, quàm ut redargu
aliis datur ſcandalum populo, præbetur
go, cui hac tempeſtate vilet & contempt.
ſacer. Vilis plebs te Sacerdotem nunc ca
briis inceſſit & odit, qui calumniandi an
rus. Dicit namque (NB) *Tot hic au*
ſuæ ex patrimonio Crucifixi nutrit, quo
ta, ſed pauperes Chriſti ſuſtentandi for
xxxv. commemorante Maximilianus I
adhuc, Tridentini Concilii tempore, int
di Clero matrimonii argumenta iſthoc r
multos clericos vix unus caſtum cœlibat
Ferdinandus I. & Gener Dux Bavariæ I
ad Pium IV. exaratis, quibus matrimon
clero petierunt, *libellum Memorialem* à
logis conſcriptum, eidemque Papæ offe
runt, quo inter alia comprehendebatur,
ta Sacerdotes vix unum non notorium ſc
ri. Neque Sacerdotes tantùm matrimon
etiam Seculares, ne illam vitæ turpitudi
deant, imò ob hanc cauſam Eccleſiarum
ſua nonniſi conjugatis conferre. &c. Vie
non admittere cleros uxoratos, & tole

utroſque verò amovere, eſſe Miniſtris carere velle. Teſtimonia plura Guilhelmi Budæi, Eraſmi, Feri, Caſſandri, Wicelii, alibi *Partenogam. cap. xiv.* 16. &c. nec non Cardinalium Pauli III. & Claudii Eſpencæi ſuperiùs producta, ad compendium pono.

Adeò frequens paulò ante Reformationem Cleri ſcortatio & concubinatus fuit, ut in ludum & jocum abiverit, quod ex quodlibetari diſputatione Heidelbergæ ſolenniter ventilata, probatur.

LXX. Commemoratu fortè haud indignum eſt, paulò ante Reformationem adeò frequentem fuiſſe Cleri ſcortationem, & concubinatum, ut jam in ludum jocúmque abire cœperit. Cujus rei evidens teſtimonium Celeb. Calixtus *de Conjug. Cleric. pag.* 437. 438. ex libello Heidelbergæ in confinio Seculi decimi quinti & ſexti edito affert. Titulus libelli eſt *de fide concubinarum in Sacerdotes*, ſeu *Quæſtio acceſſoria cauſa joci & urbanitatis in Quodlibeto Heidelbergenſi determinata à M. Paulo Oleario Heidelbergenſi:* in fine ſcilicet Quodlibetaris diſputationis, laxandi animi, jocíque ſuſcitandi cauſa; uti in adjuncta Cratonis Udenhemii epiſtola dicitur. Quæſtio ſic habet: *An aures aſininæ Sacerdoti concubinario imponendæ ſint?* Sacerdotis vocabulo quomodo in facetiis his utendum ſit, ſic primò determinat; *quòd non loquatur de hoc vocabulo Sacerdos, quod eſt nomen vel terminus communis generis & tertiæ declinationis; ſed de re ipſa per hunc terminum ſignificata, & de viro ſacris initiato, ſive ſit ruralis plebanus, præmiſſarius aut capellanus, ſive urbanus, canonicus aut vicarius.* Tum concubinam ſic diſputator definit: *Concubina eſt vas omnium vitiorum, mulier ſine pudore, beſtia ſine honore, appetens primos recubitus in menſa, primam ſedem in Eccleſia, primatum in balneo & chorea, ſemper pigra, ſemper plena, rixoſa, criminoſa, ſcabioſa, omnibus odioſa, ſoli Cerbero cara, in fallaciis tam in dictione, quàm extra dictionem optimè inſtituta.* Subjiciuntur diverſæ conditiones Sacerdotum concubinariorum, quas ibidem expreſſas repetere piget. Saltem inde

conſtat, profligata veterũ de extraneis fœminis non admittendis canonum ſeveritate, fornicationes & concubinatum Cleri paſſim jam pro ludo & deridiculo haberi conſuêſſe.

Hierarchiam impuritate & luxuriâ carnis multis modis ſe polluere, adeóque Babylonem M. eſſe, concluditur.

LXXI. Cùm ergo Hierarchia, quod jam abundè probatum confectúmque dedimus, non tantùm luxuriæ & impuritati carnis anſam multiplicem præbeat, dum videlicet luxuriæ inſtrumenta avidè nimis conquirit; otium religioſum cum inefficaci cultu & debacchationibus conjunctum ſectatur; legem de Sacerdotum Cœlibatu figit, & pertinaciter tuetur; votum cœlibatûs perpetui laudat & commendat; opportunitatem impuritatis concipiendæ & fovendæ in ipſa functione ſacra ſuppeditat; Muſicæ voluptuariæ amore & ſtudio nimio tenetur: ſed etiam de fornicatione, adulterio, aliiſque impuritatibus tenuiter nimis ſentiat, eáſque levioribus pœnis afficiat, & diſpenſationum indulgentiarúmque beneficio pœnis exſolvat; contra leges Divinas de inceſtu diſpenſet; lupanaria permittat; denique omnis generis libidinibus, quibus gignendis ipſa Hierarchiæ conſtitutio ſic lenocinatur; nefariè indulgeat, dum ubique ferè pro caſti amoris tœda ſtupri libido fervet, in Cœnobiis paſſim obſcœnæ Veneris ſpurcities graſſatur, in Præſulum, Summorum etiam, Flaminúmque cæterorum Romanorum vita penè omni non aliud quàm turpiſſimarum voluptatum illecebræ, ſtuprorumganeæque cupiditas, cum alienis fœminis adulterii conſuetudo, cum cognato ſanguine flagitioſi inceſtus, per omnes obſcœnitatum gradus, & cupidinum ſceleratarum monſtra uſurpata Venus regnat; concludere jam proclive eſt, *Hierarchiam* illam *luxuriâ & impuritate carnis ſe multis modis polluere*, adeóque, cœteris paribus, Babylonem Magnam, Meretricem Magnam, & Matrem fornicationum ac abominationum terræ eſſe, quo demonſtrationis capite *ἐν τῷ νυνὶ* defungendum nobis fuerat.

DIS-

Digitized by Google

DISSERTATIO
DECIMA QUINTA
QUA

Hierarchiam, ſeu Clerum Eccleſiæ Romanæ dominantem eſſe Babylonem Magnam probatur Decimò, *quia ſe Magicâ impietate graviter polluit.*

BREVIARIUM.

I. *Babyloni M. Spiritus Dei Magicam impietatem tribuit.*

II. *Voces* מכשף *&* φαρμακεία *ex Scripturæ uſu impietatem Magicam quamvis ſignificant. Definitio impietatis Magicæ.*

III. *Duplex Magia, explicita & implicita diſtinguitur.*

IV. *Cognoſcendæ Magiæ characteres tum generales, tum ſpeciales exponuntur.*

V. *Hierarchia Magicæ impietatis rea Syllogiſmo apodictico peragitur. Propoſitionis utriuſque membra ſigillatim probantur.*

VI. *&c. Idololatria cum impietate Magica individuo nexu conjuncta eſt. Fileſaci de idololatria Magica liber laudatus. Hierarchia proin idololatriæ rea, etiam Magiæ rea peragitur.*

VII. *Magicæ impietatis reus eſt, quiſquis eam extenuat.*

Digitized by Google

Extenuant autem Hierarchici, Valentia, Prierias, Navarrus, alii, negantes, ſuperſtitionem eſſe, ſi quis curioſa à Sathana ſciſcitetur; Victoria, Verracrucius, qui Enſalmatores Hiſpanos excuſant; Cajetanus, figurarum efficaciam aſſerens;

VIII. *Valeſius, incantationis vim in univerſum tollens.*

IX. *Delrio, Magiam implicitam inter venalia peccata numerans.*

X. *Hierarchicorum religio omnis magicâ impietate aſperſa eſt. In Papa, ceu Delphico quodam oraculo, divinant omnes.*

XI. *Doctrinis dæmoniorum Hierarchici attendunt; in cultu Dei rebus & actibus humanis Divinam virtutem ſine Dei verbo tribuunt;*

XII. *Sacramentis efficaciam ex opere operato tribuentes, eadem in φαρμακείαν convertunt.*

XIII. *Familiare cum dæmoniis & mortuis hominibus commercium, impietate magica non caret. Hierarchici autem familiare commercium colunt cum dæmoniis,*

XIV. *& mortuis hominibus, qui cùm in terram non redeant,*

XV. *vel apparere finguntur, vel perſonati dæmones ſunt. Unde Hierarchicorum necromantia manifeſta efficitur.*

XVI. *Frequentia obſeſſorum,*

XVII. *nec non ſpectrorum in Papatu, ejuſdem cum dæmonibus familiaritatis teſtis eſt.*

XVIII. *Cauſa eruitur, ob quam obſeſſi & ſpectra in Papatu plurima, apud Euangelicos pauciſſima compareant.*

XIX. *Prætextus familiaritatis cum dæmonibus, ut*

eoſdem

Digitized by Google

eoſdem imperio ſuo exorciſtico coërceant, diſcutiatur.

XX. *Dæmonia veteres fideles unico verbo ejecerunt, ſine arte exorciſtica. Neque Chriſtus ordinem exorciſtarum inſtituit, ſed donum ejiciendi dæmonem liberè diſpenſavit. Expirante eo dono, exorciſmi in preces converſi ſunt, & catecheſis, exorciſmi apud veteres nomine venit.*

XXI. *Exorciſmi Hierarchicorum & exorciſmi veterum immane diſcrimen panditur.*

XXII. XXIII. *Magica exorciſmorum impietas aſſeritur.*

XXIV. *Magos inter profeſſos ac notorios, & exorciſtas Pontificios affinitas ſumma demonſtratur.*

XXV. *Impietatem exorciſtarum Magicam auget, quòd teſtimonio Diaboli ſuperſtitiones ſuas commendant. Franciſci ſtigmata Diabolo teſte probata ſunt.*

XXVI. *Exorciſmus Maleficiatorum magica impietate laborat totus.*

XXVII. *Impietas exorciſmi, quo Hierarchici Diabolum ad reſtituendum chirographum & Euchariſtiam cogunt.*

XXVIII. *Exorciſmi animalium maleficiis infectorum, lactis, butyri, caſei, ovorum, elementorum, tempeſtatum, tonitruum, nubium impietas ſumma.*

XXIX. *Exorciſmi animalium noxiorum ab Epiſcopis pluribus peracti exempla à Malleolo prodita, exhibentur.*

XXX. *Delrionis adverſus Malleolum exorciſmos eos commendantem; nec non Suarezii & Gretſeri exceptio, ventilatur.*

XXXI. *Inter muliercularum & agricolarum, nec non Epiſcoporum adjurationes ejuſmodi differentiam nullam eſſe, oſtenditur.*

XXXII. *Exorciſmorum Magicorum impietas nequicquam à Delrione contra Godelmannum defenditur, quoad exorciſmorum ſive perſonas, puta obſeſſos & exorciſtas;*

XXXIII. *ſive res in iis adhiberi ſolitas;*

XXXIV. *ubi aſylum rerum & mediorum ab Eccleſia approbatorum vel improbatum tutum neutiquam eſſe oſtenditur;*

XXXV. XXXVI. *ſive quoad verba, ſeu ſacra illa, ſeu profana ſint, ſeu ad Deum ipſum & Sanctos dirigantur;*

XXXVII. *ubi formulas exorcizandi ſuperſtitioſas in Papatu adhiberi, ipſorum Hierarchicorum confeſſione evincitur.*

XXXVIII. *Seu dirigantur ad dæmonem, quò pertinent verba imperantia, in quibus exorciſmi prora & puppis collocatur,*

XXXIX. *quæ Magicæ impietatis convincuntur.*

XL. *Caviſii Jeſuitæ imperare dæmoni non per Chriſtum, ſed per Mariam ſoliti; Cotoni, aliorum dæmoni imperantium, ut de controverſiis fidei reſpondeat, vanitas.*

XLI. *Sive denique quoad intentionem exorciſtæ, quam cum Magorum intentione convenire probatur.*

XLII. *Benedictionum licitarum & Magicarum diſcrimen explicatur.*

XLIII. *Benedictionibus Magicis ſcatet Papatus. Formulæ benedicendi aquam, Sal, Agnos Dei, incenſum, ſulphur, myrrham, aloë, radices, flores, herbas, campanas, ex Ritualibus Hierarchicorum depromuntur.*

XLIV. *Benedictiones interpoſito ſigno crucis perficiuntur. Verbum, quo creaturas ſanctificari S. Paulus*

1. *Tim.*

Digitized by Google

1. *Tim. iv. 5. ait, ſignum illud crucis notare, perperam Bellarminus ex Theophylacto* & *Chryſoſtomo contendit.*

XLV. *Rebus benedictis effectus ſupernaturales tres, puta delendi peccata venialia, dæmonem fugandi,* & *morbos curandi; Hierarchici deputant.*

XLVI. *Syllogiſmo probatur, nil diſtare eos, qui effectus tales rebus benedictis tribuunt, à Magis v. 9. iis, qui nomine Abracadabra chartæ inſcripto hemitritæum curare olim conati ſunt.*

XLVII. *Eoſdem contra primum* & *tertium Decalogi præceptum peccantes, magiam exercere,* & *nomen Dei in vanum ſumere, probatur ulteriùs,*

XLVIII. & *Bellarmini exceptio eliditur.*

XLIX. *Baptiſmi Sacramentum exorciſmis Magicis Hierarchici polluunt. Benedictionis ſalis in Baptiſmo adhibiti formula, ejúſque impietas.*

L. *Exorciſmorum, quibus in eodem Baptiſmo dæmones ex baptizando ejiciuntur, vanitas.*

LI. *Eoſdem ſupplentes poſt baptiſmum non ſolennem, compellunt dæmonem ubi non eſt, adeòque evocant.*

LII. *Baptiſmalium exorciſmorum impietas Magica,*

LIII. *quæ nullum in veteris Eccleſiæ Exorciſmo in baptiſmo utentis praxi præſidium habet.*

LIV. *Benedictio olei in baptiſmo;* & *vis aquæ exorcizatæ* & *chriſmate exorcizato conditæ tributa conferendi gratiam ex opere operato magiam ſapit.*

LV. *In Euchariſtia corpus Chriſti certorum verborum murmure ex Cœlo Hierarchici excantant.*

LVI. *Excantationem eam Magicis exemplis ſagarum, lac vaccarum de manubriis ſecurium extrahentium, Jovis Elicii* &c. *Gabr. Biel, Cœlius Rhodiginus* &c. *illuſtrant.*

LVII.

Digitized by Google

LVII. *Unctiones in Sacramentis ſpuriis adhibitæ magicam impietatem ſpirant.*

LVIII. *Chriſmatis exorciſmi, effectus & myſteria.*

LIX. *Interveniente eo Sacramentum Confirmationis certâ verborum formulâ adminiſtratur, eique effectus ſpirituales tribuuntur.*

LX. *Papa, nullâ præviâ Divinâ Sacramenti inſtitutione, chriſma in* φαρμακεῖαν *convertit.*

LXI. *Par ratio eſt olei infirmorum in extremæ unctionis Sacramento.*

LXII. *Hierarchici amuletis utuntur,*

LXIII. *non ſine præſentiſſima impietate Magica; quod amuletis inſcripta contra morbum comitialem, peſtilentiam &c. verba, comprobant*

LXIV. *nequicquam Delrione ad Eccleſiæ Catholicæ inveteratum morem provocante.*

LXV. *Iidem verbis certis, notis & ignotis, ſacris & profanis, quà talibus; nec non preculis certâ verborum, ad uſum ejuſmodi nuſpiam inſtitutorum formulâ conſtantibus, ſingularem efficaciam tribuunt.*

LXVI. *Speciminis loco Oratio ſeu Reſponſorium Bonaventuræ ad Antonium de Padua affertur.*

LXVII. *Iidem numeris definitis in miſſa, exorciſmis, benedictionibus, preculis efficaciam tribuunt,*

LXVIII. *nec non figuris & characteribus; neque ſolius crucis, ſed etiam literæ* ψ *& alphabethi Græci;*

LXIX. *Inter Magos verbis, numeris, figuris &c. & Hierarchicos iiſdem utentes, differentia oſtendi nulla poteſt.*

LXX. *Iidem fortuitis ſignificationem affingunt, qui magiæ character eſt,*

LXXI. *& magiam per remedia magica depellere conantur,*

LXXII. *remedia vocantes, quæ ſcelera & morbus ipſe ſunt.*

LXXIII. *Magos notorios in ſinu ſuo iidem fovent,*

LXXIII.

Digitized by Google

LXXIII. *quales inprimis fuêre Pontifices Romani, Sylveſter II. teſtibus Cardinale Bennone, Inſcriptione in Templo S. Cruce S. Hieruſalem, Martino Polono, Authore faſciculi temporum, Platina &c.*

LXXIV. *Benedictus IX.*

LXXV. *Gregorius VII.*

LXXVI. *nequicquam repugnantibus Naudæo, Baronio &c.*

LXXVII. *Johannes XXI. Felix V. Alexander VI. Paulus III.*

LXXVIII. *ex Clero reliquo innumeri, Delrione, aliiſque prodentibus.*

LXXIX. *Miriones & Thaumaturgi plurimi, qui, teſtibus Hierarchicis ipſis, à Diabolo Angeli boni ſpeciem mentito revelationes captârunt.*

LXXX. *Quibus etiam nullis hactenus cautionibus, reguliſque, per quas apparitiones veræ à falſis diſcerni queant, Hierarchici ipſi proſpicere potuerunt.*

LXXXI. *Magiæ doctores publicos & ſcripta,*

LXXXII. *nec non conſuetudines notoriè Magicas iidem, nullâ Eccleſiæ cenſurâ notatas, tolerant.*

LXXXIII. *Quo loco Magicam Impietatem Hierarchici habeant, ex pœnis, quas Concilium Lateranenſe Magis notoriis, religioſis inprimis, leviſſimas decrevit, colligitur.*

LXXXIV. *Impietatem eandem in Papatu incurabilem eſſe demonſtratur, quia Eccleſia actiones, ritus &c. Magicos longa conſuetudine receptos à non magicis diſcernere auſa hactenus non eſt; & Delrioni id privatim tentanti ſuccenſuit; neque ſpes ulla eſt fore, ut aliquando diſcernat.*

LXXXV. *Romam eſſe veneficiorum officinam, adeóque Babylonem Magnam, concluditur.*

Babyloni M. Spiritus Dei Magicam impietatem tribuit.

I. Babyloni Magnæ Spiritus Dei Magicam impietatem inter alia maleficia tribuit. Nam Apoc. XVIII. 23. judicii Babylonis decretorii hanc inter plures alias cauſam perhibet: ὅτι ἐν τῇ φαρμακείᾳ σου ἐπλανήθησαν πάντα τὰ ἔθνη. *Quia in incantatione tua omnes gentes ſeductæ ſunt.* Planè ſicut Eſaj. XLVII. 9. judicii adverſus Babylonem cauſa ſimilis his verbis indicatur: *Venient tibi duo hæc momento, die uno orbitas & viduitas. Ad quam toti venerunt* ברב כשפיך בעצמת חבריך מאד *in multitudine præſtigiarum tuarum, dum valuerunt incantationes tuæ admodum.* Huc etiam Circæum illud abominationum poculum Babyloni Apoc. XVII. 4. tributum pertinet.

Voces מכשף *& φαρμακεία ex Scripturæ uſu impietatem Magicam quamvis ſignificant. Definitio impietatis Magicæ.*

II. Vocem מכשף Græci Interpretes paſſim φαρμακὸν reddiderunt. Eſt autem propriè φαρμακὸς *veneficus* (unde φαρμακεία, qua voce Spiritus S. hîc utitur Hebraicæ כשפים reſpondente) qui pharmacum venenatum propinat. Cæterum & vox Hebræa כשף propriè nomen generale eſt, omnes artes Diabolicas reſpiciens; eorum videlicet, qui habent aut venditant ſocietatem cum impuris ſpiritibus, per quos vel occulta indicent, vel opera humanis majora, naturam ſive immutando, ſive, ceu immutatam repræſentando, procurant: & φαρμακεία non quidem vi etymi, ſed uſûs apud Scriptores Sacros & profanos recepti, non ſolùm veneficium, ſed quamvis artem Magicam, quæ ſive divinando, ſive operando illicita, Diabolo ſcilicet authore & magiſtro, exercetur, ſignificat. Sanè etiam Apoc. IX. 21. ubi Babylonica etiam hæc impietas notatur, φόνοι *cædes* à φαρμακείαις diſtinguuntur; cùm tamen in veneficio propriè dicto cædes etiam contineatur. Sed de ſignificatu vocis utriuſque Hebraicæ & Græcæ alibi *de Artibus Mag. Diſſert. IV. 4. 5. &c.* fuſiùs ex Hebræis & Græcis authoribus

ribus dicta heic repetere nihil attinet. Sufficit ad inſtitutum præſens, quòd *Φαρμακεία* Babyloni attributa quamvis *κακοτεχνίαν* & impietatem Magicam ſignificat, in eo videlicet conſiſtentem, quòd homines profani & impii, Diaboli, Divinum honorem affectantis & humanum genus ſub jugum ſuum mittere molientis ope, & fœdere ſeu expreſſo, ſeu tacito cum eodem interveniente, mira loquuntur faciúntque, quatenus id Divina juſtitia & voluntas permittit. Quam Magicæ impietatis definitionem *loc. cit. Diſſert. j.* uberiùs expoſuimus.

Duplex Magia, explicita & implicita diſtinguitur.

III. Sicut duplex eſt cum Diabolo pactum, expreſſum & tacitum: ita duplex Magia, explicita una, altera implicita eſt. Illa, qua homines profani Diabolo in vota ſua vocato & fœderi innexo, mira dicunt faciúntque. Hæc, quâ ſine expreſſa ejuſdem invocatione ejuſmodi mediis ad rem quampiam vel cognoſcendam, vel patrandam utuntur, quæ, vel ipſorum quandoque conſcientia judice, nullam in ſeſe rem eam efficiendi vim habent. Qualia ſunt, quæ neque ex creationis ordine, neque ex revelatione, vel ratione etiam ſana, adeóque neque ex natura, neque ex gratia virtutem ſive inhærentem, ſive adhærentem habent producendi, ſignificandi, vel obſignandi eos effectus, qui iis tribuuntur. Eſtque iterum implicita illa duobus modis; priore, cùm Magus ſciens prudénſque ſuperſtitioſis mediis utitur, ſuperſtitionis tamen ipſius ignarus; perſuaſus quippe, virtutem tale quid efficiendi mediis iis vel à natura, vel à gratia ineſſe. In quo poſteriore Magiæ genere periculoſiſſimè equidem Diaboli fraudes regnare, & incautos ac nec opinantes haud rarò pervertere ſolent.

Cognoſcendæ Magiæ characteres tum generales, tum ſpeciales, exponuntur.

IV. Cognoſcendæ cùm omnis, tum implicitæ inprimis illius Magiæ generalis nota eſt, ut ei operam dare cenſeantur, quotquot deſertâ eâ viâ, quæ verbo Dei rectâque ratione præſcripta eſt, alia via incedunt, aliiſque felicitatis

mediis utuntur, adeóque vel ſcire vel facere geſtiunt id, quod naturæ vires revera ſuperat, & nec in verbo Dei revelatur, nec Divinæ συνεργίας promiſſionem in eodem, certáque & explorata τεκμήρια habet; ita ut nulla vel naturæ ordinaria, vel Dei extraordinaria operatio ex fide expectari poſſit; operationiſque omnis vera origo non ad alium quam Diabolum referri poſſit; licet qui rei illi incumbunt, ſe cum Sathana commercium ullum habere, vel in vota eundem vocaſſe unquam, proteſtentur ſeriò, perſuaſique adeo ſint, piè licitéque ſe facere id, cujus vel falſas cauſas animo concipiunt, vel veraſſe ignorare ultrò profitentur. Speciales magicæ impietatis ejuſdem cognoſcendæ notæ & characteres ſunt, ſi opus aliquod vel à fide, nec naturali, nec ſupernaturali Divina; vel à ſola imaginatione in disjuncta; vel à verbis, carminibus, preculis; vel à figuris, characteribus, vel ab amuletis & periaptis, quæ verbis & characteribus conſtant; vel à ſympathiis & antipathiis non naturalibus; vel à numeris, vel à tempore, quà talibus; vel à fortuitis caſibus, ceu veris cauſis ſuſpenditur; vel occultarum rerum cognitio illegitimè tentatur, vel opus productum naturæ vires ſuperat, vel apparet etiam id, quod non eſt. Ubi vel unum ex indiciis his apparuerit, vel plura etiam concurrerint, antiqui ſerpentis veſtigia patent, atque operatione è dæmonis ſchola veriùs, quàm ex naturæ vel gratiæ phrontiſterio deducta cenſebitur meritò. Licétque tum Poëtæ verbis præſentiſſimi periculi indiciũ facere:

Callidus, ô pueri, fugite hinc, latet anguis in herba.

Utramque illam tum generalem, tum ſpecialem & characteriſticam cognoſcendæ Magicæ impietatis rationem *de Artib. Mag. Diſſert. ÿ.* ex profeſſo demonſtravimus.

Hierarchia Magica impietatis rea Syllogiſmo

V. Ita præfati propius ad inſtitutum venimus, & Hierarchiam Magicæ impietatis Syllogiſmo expreſſo ream peragimus:

Ille

apodictice peragitur. Propoſitionis utriuſque membra ſigillatim probantur.

Ille cœtus impietate Magica graviter ſe polluit, adeòque, cæteris paribus, Babylon Magna eſt, qui idololatriam propalam exercet; Magicam impietatem extenuat; religionem univerſam ejuſdem impietatis labe attaminat; cum dæmonibus & mortuis hominibus, ad veritatem ex iis expiſcandam, familiare commercium colit; verbum Dei in exorciſmis & benedictionibus profanat; Baptiſmum exorciſmis contaminat; in Euchariſtia certorum verborum murmure corpus Chriſti excantat; unctionibus certis, chriſmati inprimis in Sacramentis ſpuriis, effectus tribuit, quos nec à natura, nec à Deo ſupra naturam operante habent; amuletis benedictis, verbis, figuris & numeris efficaciam tribuit; fortuitis ſignificationem affingit; Magiam per remedia magica depellere conatur; Magos profeſſos, & ſcripta conſuetudinéſque notoriè Magicas in ſinu ſuo fovet; Magos levibus pœnis afficit; denique nullam criminis hujus emendationem patitur.

Atqui Hierarchia, ſeu Clerus Eccleſiæ Romanæ dominans idololatriam propalam exercet; Magicam impietatem extenuat: religionem univerſam impietatis ejuſdem labe attaminat; cum dæmonibus & hominibus mortuis, ad veritatem ex iis expiſcandam, familiare commercium colit; Verbum Dei in exorciſmis & benedictionibus profanat; Baptiſmum exorciſmis variis contaminat; in Euchariſtia certorum verborum murmure corpus Chriſti excantat; unctionibus certis, chriſmati inprimis, in Sacramentis ſpuriis eos effectus tribuit, quos nec à natura, nec à Deo ſupra naturam operante habent; amuletis benedictis, verbis, figuris & numeris efficaciam tribuit; fortuitis ſignificationem affingit; Magiam per remedia magica depellere conatur; Magos profeſſos, & ſcripta conſuetudinéſque notoriè Magicas in ſinu fovet;

Magos levibus pœnis afficit; denique nullam hujus criminis emendationem patitur,

Ergo Hierarchia, ſeu Clerus Eccleſiæ Romanæ dominans, impietate Magica graviter ſe polluit, adeóque, cæteris paribus, Babylon Magna eſt.

Utriuſque propoſitionis, pluribus quippe membris conſtantis, probationem ſolidam ordine & ſigillatim molimur.

Art. Idololatria cum impietate Magica individuo nexu conjuncta eſt. Fileſaci de idololatria Magica liber laudatus. Hierarchia proin idololatria rea, etiam Magia rea peragitur.

VI. Hierarchiam idololatriæ multiplicis jam ſupra ream peregimus. Omnem porrò *idololatriam cum Magica impietate* conjunctiſſimam eſſe, ipſimet Hierarchici nulli diffitentur; & S. Paulus 1. Cor. x, 20. idololatriam per κοινωνίαν τ͂ δαιμονίων, *communionem cum dæmoniis* explicans, docet; & Johannes Fileſacus, Pariſienſis Theologus, Diſſertatione doctiſſima *de Idololatria Magica* edita, pluribus liquidò probavit. Jam olim Originem, Magicis artibus patrocinantem, ſic Theophilus Alexandrinus *Epiſt.* 2. *ad Paſchal.* perſtrinxit: *Reſponde ut novæ impietatis adſertor, imò apertè audiat: Si non eſt malum ars Magica, non erit malum etiam idololatria, quæ artis Magicæ viribus innititur. Quòd ſi malum eſt idololatria, malum & erit ars Magica, ex qua ſubſiſtit idololatria.* Tertullianus etiam *lib. de Anima* Magiam *ſecundam idololatriam* appellat. Hinc veteres idololatriæ authores Magos eoſdem extitiſſe, conſtat. Orpheum primum omnium nomina Deorum gentilium inveniſſe, nativitates & fata expoſuiſſe, & Theologiam iſtam, Ethnicorum judicio, ſinceriùs attigiſſe, Athenagoras *Apolog. j. pro Chriſtianis*, & Juſtinus Martyr *Orat. ad gentes* confirmant. At Orpheum eundem Magum fuiſſe, authores plurimi, Plinius inprimis lib. xxx. 1. memorant. Idololatriæ Romanæ Sacerdos præcipuus fuit Numa Pompilius, *inſtitutor ineptarum religionum* idcirco à Lactantio dictus. Atqui Magus idem, idolo-

Digitized by Google

idololatriam didicit ab Ægeriâ Nympha, quæ famoſa incantatrix, vel potiùs dæmon ſuccubus ejuſdem fuit. Nam cùm Diva ea conſuevíſſe illum, Romani ſcriptores prodidêre. Quin & Varro libro *de cultu Deorum* apud S. Auguſtinum *de Civit. D. lib. vij* 33. Numam uſum eſſe genere divinationis, quod hydromantia vocatur, & libros ejus, Magicos ſcilicet, Senatus Romani authoritate combuſtos eſſe, non diffitetur. Cereris Eleuſiniæ, Serapidis, Iſidis ſacra idololatrica Magiam redoluiſſe, Varro idem & Apulejus haud diſſimulant. Pſellus quoque libro *de Dæmonibus* ſcribit, putâſſe Ethnicos, Magiam eſſe ſummum apicem Sacerdotii, ſeu ſacrorum, & ſacrificandi diſciplinæ, ita ut nemo inſtructus ſatis Sacerdos ſit, quin Magiam non delibâſſet modò, ſed hauſiſſet etiam. Plura eam in rem idem Fileſacus, Sorbonicus doctor tradidit. Sed inſuper res ipſa illam Magiæ cum idololatria conjunctionem intimam & neceſſariam loquitur, cùm conſtet planè, in idololatria quavis creaturæ tribui virtutem ſupernaturalem ad producendos effectus creatis majores, quam vel à natura, vel à Divina revelatione & gratia eam habere, cognoſci nequit, qua in re Magiæ eſſentia conſiſtit.

VII. Magicam impietatem, quæ, ſi quia alia, horrenda maximè eſt, Hierarchici *extenuare*, atque neſcio quibus coloribus ſceleris fœditatem gravitatémque ab ea removere, religioni non ducunt. Quod conſcientia ſceleris hujus anxios eos diſcruciari, palam arguit. Cùm duplex ſit Magia, explicita & implicita; utramque ſubinde Pontificii Doctores à culpæ ſaltem gravioris reatu liberare conantur, conniventibus cæteris, non repugnante ſaltem Eccleſia. Gregorius de Valentia *in* 2. 2. *tract.* 10. *cap.* 7. *dub.* 4. referente Maldero, *curioſas veritatis interrogationes & communicationes cum Diabolo*, adeóque Divinationem, explicitæ Magiæ ſpeciem, *ſuperſtitionem eſſe*, negat. Sylveſter

Magica impietatis reus eſt, quiſquis eam extenuat. Extenuant autem Hierarchici, Valentia, Prierias, Navarrus, alii, negantes, ſuperſtitionem eſſe, ſi quis curioſa à Sathana ſciſcitetur.

Victoria, Veracrucius, qui Enſalmatores Hiſpanos excuſant; Cajetanus, figurarum efficaciam aſſerens;

veſter Prierias *in Summa Sylveſtrina* ſuſtinet: *Non eſſe peccatum Mortale, ſi Sacerdos levitate & curioſitate ductus, imperet dæmoni, ut curioſa dicat, & nihil ad expulſionem facientia.* Navarrus *Manual. cap.* 2. *num.* 27. 36. definit diſertè, *Dæmones alloqui in ſurreptitiis ob vanitatem & curioſitatem, eſſe peccatum tantùm veniale.* Idem contendit, *Homines illos perditiſſimos, qui Salutatores* (in Hiſpania *Saludadores* dicti, eò quòd vi orationum ſanent) *vocantur, poſſe licitè ſuo munere fungi; quoniam gratia illa gratis data iis conceditur à ſolo Deo, in utilitatem aliorum.* Id ipſum quoque apud Delrionem *Diſquiſit. Mag. lib. 1. cap.* 3. *q.* 4. Victoria & Veracrucius aſſirmant, quibus ipſe Delrio calculum ſuum addit. Cajetanus *in* 2. 2. *quæſt.* 96. *art.* 2. figuris vim quandam ineſſe tuetur, quando eæ ſub tali vel tali ſidere imaginibus aſtronomicis hominum artificio imprimuntur. In quam ſententiam etiam Thomam *contra gent. q.* 105. pro ſe citat; neque eum diſſentire, ejus ad locum illum commentator Ferrarienſis planè abnuit. Pluribus eandem ſententiam Gaffarellus in *curioſitatibus* ſuis *inauditis* defendit.

Valeſius, incantationis vim in univerſum tollens.

VIII. Facit huc, quòd Franciſcus Valeſius *Philoſ. S. cap.* 3. incantationis vim in univerſum tollens, verbis, ſive ut cauſis, ſive ut ſignis curari morbos, incantari angues, ut rumpant, aliáque ejuſmodi effici pernegat. *Incantationes*, inquit, *vanæ ſunt & ſuperſtitioſæ; quæque de illis narrantur, falſa & maligna. Falſum cantando rumpi angues, falſum quoque eos ſibi obthurare aures, ne audiant, quod vel Plinius per deriſum narrat, dicens: Non pauci etiam (credunt ſcilicet) ſerpentes ipſos incantari, & hunc illis unum eſſe intellectum, contrahique Magorum cantu.* Si quæ verò ejuſmodi in ſacris & profanis literis occurrunt, cuncta illa ad fabulas morales & apologos refert, ex quibus non intellectis vulgus exiſtimet, morbos per in-

Digitized by Google

per incantationem fugari, feras & ſerpentes necari; atque quidam etiam impoſtores utentes in ſua commoda incredulitate vulgi, multa ſe facere hujuſmodi profiteantur. Addit, doctos quoſdam Medicos, Trallianum ſcilicet, Marcellum Empiricum, atque Galenum ipſum, rigidum alioqui Philoſophum, ex ignorantia & vana perſuaſione idololatriæ eſſe lapſos. Atque poſtremò credulitatem aliquid facere, ut curari videantur, qui re ipſa tamen non curentur. Eò haud dubiè Valeſii ſententia, nullâ unquam Eccleſiæ cenſurâ notata, pertinet, ne ſimilitudo, quæ facta inter Pontificiorum, verbis, uti præ ſe illi ferunt, ſacris dæmones expellentium, morbóſque curantium, & facta Magorum, incantationibus ſuis ſimilia patrantium, intercedit, agnoſci poſſit.

Delrio, Magiam implicitam inter venialia peccata numerant.

IX. A Magia implicita Magicarum artium συζητητὴς Martinus Delrio *Diſquiſit. Magic. q.* 4. omnem ferè peccati labem abſtergit. Poſtquam enim ſic eam definivit. *Secundum pacti taciti genus eſt*, (ex quo Magia implicita oritur) *quando quis ignorans utitur Magicis ſignis, quia neſcit eſſe mala à dæmone inſtituta; quod illis accidere ſolet, qui bona fide legere ſolent libros ſuperſtitioſos, putantes, eos eſſe Philoſophorum aut Medicorum probatorum: item qui accipiunt ea ab hominibus, vulgò habitis bonis & fidelibus*; eandem mox extenuat his verbis: *Hoc in idiotis vel nullum, vel leviſſimum peccatum eſt, ſi duæ conditiones accedant. Prima eſt, ſi ignorantia ſit probabilis, v. g. eorum, qui hoc ſcire tenentur, ut Eccleſiæ Paſtores, Confeſſarii, concionatores & doctores: ii ut plurimùm ſupinâ & craſſâ laborant ignorantiâ. Secunda conditio eſt, ut ignorans iſta, ſit paratus, quando admonitus fuerit, hujuſmodi ſuperſtitionem relinquere, quia poſt agnitionem deficit ignorantia, & oritur contumacia, pro cujus gravitate, delicti magnitudo creſcit*. Idem *lib. iij. p.* 2. *q.* 2. agens de vana obſervantia,

quam *Magiam ſuperſtitioſam, quâ commodum aliquod ſperatur ex re, quæ neque ſupernaturaliter eò pertinet, neque naturaliter id præſtare poteſt*, definit, eandem aſſerit peccatum eſſe *veniale*, quandiu quis ignorat tale pactum cum dæmone, ſi tamen nec ipſe teneatur ſcire nec fuerit admonitus; vel *nullum*, veluti cùm quis vel joco duntaxat facit, ſine præjudicio vel periculo ſui, vel alterius, vel ignorantia vincibili, uſus inſuper mediis bonis vel indifferentibus.

Hierarchicorum religio omnis magica impietate aſperſa eſt. In Papa, ceu Delphico quodam oraculo, divinant omnes.

X. Univerſa porrò Hierarchicorum *religio Magica impietate infecta & contaminata* eſt. Etenim principium ejus eſt Papæ, ceu Delphici cujuſdam oraculi, decretoria vox, à qua eos religionem univerſam ſuſpendere, non ſemel jam probavimus. In Papa ergo divinant omnes; ab eo myſteria, ſacra, fas omne & nefas arceſſunt; & ſententiam & vocem ejus, ſive demonſtratam ex Divina quapiam revelatione, ſive non demonſtratam examini cujuſquam ſubjacere pernegant. Quam divinationem impiam & verè Magicam eſſe, eo argumento liquidò conſtat, quia Papa revelationem rerum occultarum infallibilem promittens, non ex Dei Spiritu, ſed aliunde loquitur; ſaltem ſe ex Dei Spiritu loqui, non probat; neque probandum ſibi incumbere, aſſerit. Non loqui ex Spiritu Dei, neque Spiritum Dei loqui per ipſum, manifeſtum eſt. Etenim Spiritus Dei ἐλέγχει *arguit* Joh. xvi. 7. Arguens utitur ἀποδείξει, *demonſtratione*, unde ipſi *demonſtratio* tribuitur, 1. Cor. 11.4. Non enim eſt Spiritus enthuſiaſticus. Atqui Spiritus Papæ non arguit demonſtrando, adeóque eſt πνεῦμα ἐνθυσιασμοῦ *Spiritus enthuſiaſmi*. Quod Papa non didicit, ſed tamen dicit, verum ſcilicet eſt, quia errare non poteſt. Quod Papa non docet, ſed præcipit, recipiendum eſt. Non poteſt enim fallere. Qui Papæ credunt, non poſſunt falli, quia is non poteſt fallere. Papæ obediendum eſt; non eſt judicandum de ipſo.

de ipſo. Non convenit quibuſvis fidelibus dijudicare Spiritus. Spiritus bonus eſt, qui inclinat ad parendum Papæ, quia eò inclinat. Non ergo eo modo arguit, quo Spiritus Dei; atque ſic ex Spiritu Dei non loquitur. Et qui eum hâc fiduciâ, quòd ei affixus ſit Spiritus Dei ad immunitatem erroris, conſulunt, perinde illi agunt, ac ſi conſulerent engaſtrimuthos & hariolos, eos qui pipiunt & muſſitant. A quo graviter ſic Spiritus Dei Eſaj. VIII. 19. 20. dehortatur: *Et quomodo dicunt ad vos* דרשו אל האבות ואל הידענים המצפצפים והמהגים *conſulite engaſtrimuthos & hariolos? qui pipiunt & muſſitant? Annon populus Deum ſuum conſulet? ſuper vivis mortuos? Ad legem & teſtimonium. Si non dicent ſecundum verbum hoc quiſque, cui non eſt aurora!*

Doctrinis dæmoniorum Hierarchici attendunt; in cultu Dei rebus & actibus humanis Divinam virtutem ſine Dei verbo tribuunt;

XI. Ipſa quoque religionis Hierarchicorum dogmata non pauca impietatem eandem redolent. Nam S. Paulus 1. Tim. IV. 1. 3. eos, *qui vetant nubere, & jubent abſtinere cibis à Deo conditis, ut aſſumantur cum gratiarum actione*, ait docere διδασκαλίαις τῶν δαιμονίων, *doctrinas dæmoniorum*, & eos, qui talibus doctrinis attendunt, πνεύμασι πλάνοις *Spiritibus ſeductoribus, & doctrinis dæmoniorum* attendere monet. Atqui Hierarchici & vetant nubere quoſdam, & præcipiunt abſtinere à certis cibis. Retinent ergo & tuentur *doctrinas dæmoniorum*; & Spiritibus ſeductoribus attendunt; adeóque Magicæ impietati propalam litant. Eodem referimus, quòd in cultu Dei pluribus rebus virtutem quandam Divinam & ſupernaturalem tribuunt, quam nec à natura, nec à gratia habent; velut ſcriptis quibuſdam humanâ induſtriâ exaratis Divinam & canonicam authoritatem; juſtitiæ & operibus humanis virtutem juſtificandi peccatorem, & promerendi vitam; libero hominis arbitrio ante converſionem & regenerationem hominis facultatem ſe convertendi ad Deum; attri-

Digitized by Google

tioni cum abſolutione junctæ, & à charitate Dei omni ſejunctæ poteſtatem peccata remittendi; aliáque ejuſmodi innumera, quorum efficacia ex Divina revelatione vel operatione nulla probari poteſt; arrogant; atque ſic כחו לאלוהיו *vim ſuam Deum ſuum* faciunt (Habac. 1. 11.) quod ſine φαρμακείᾳ *incantatione* quadam fieri nequit.

Sacramentis efficaciam ex opere operato tribuentes, eadem in φαρμακείαν convertunt.

XII. Facit huc apprimè Hierarchicorum in *opere operato* fiducia, qua ſignis, aliiſque rebus efficaciam Divinam inhærentem & inſitam tribuunt. Cùm enim Sacramenta, ceu ſigilla juſtitiæ fidei non aliam quàm moralem & objectivam, uti loquuntur, efficaciam habeant, hoc eſt, vim ſignificandi, commemorandi, certiorandi, &, propter veritatem Dei, bona ſpiritualia promiſſa credentibus ſiſtendi; illi contra *Concil. Trid. Seſſ. vij. Can.* 8. anathema iis dixerunt, *qui ſtatuunt per novæ legis Sacramenta ex opere operato non conferri gratiam.* Quæ quidem Concilii verba ſic Gropperus interpretatus eſt, quaſi non aliud innuant, quàm *quòd Sacramenti veritas non ex Miniſtri dignitate, ſed ex operatione Dei æſtimanda ſit.* Puduit enim Gropperum, pudet alios veri & germani ſenſûs barbararum vocum, quem Synodus intendit. Revera enim ſic Synodus ſignis Divinam virtutem ſive inhærentem, ſive ex pacto aſſiſtentem tribuit, ut ab eorundem operatione non tantùm Miniſtri dignitatem, ſed etiam accipientis fidem & devotionem excluſerit. Ita enim intellexerunt Scholaſtici ante Synodum; nominatim Albertus *in cap.* 6. *Joh.* Petrus de Palude *in* 4. *Sent. diſt.* 1. *q.* 1. Ita intellexit ipſa Synodus, cujus Patres inter eas actiones, quibus pietas excitatur, quáſque gratiam parere *ex opere operantis*, hoc eſt, non ipſius operis, ſed ipſius operantis viribus & devotione docebant; & eas, quæ gratiam procurant *ex opere operato*, hoc eſt, uti ipſimet, Hiſtorico teſte, explicârunt, non ex operantis, vel opus recipientis devotione, ſed

ſed operis ipſius virtute, diſtinxerunt; & poſterioris generis eſſe Sacramenta Chriſtiana declarârunt. Unde peculiari *Canone xij*. Miniſtri dignitatem ab efficacia Sacramenti Synodus excluſit. Atque eodem Can. VI. anathema dixit negantibus, quòd Sacramenta gratiam, quam ſignificant, contineant. Quo verò modo contineant, Scotiſtas inter, Thomiſtas & alios acriter certatum eſt, quorum certamina Celeb. Forbeſius *Inſtruct. lib. ix.* 2. fuſiùs deſcribit. Sed quocunque modo gratiam contineant, juxta illos continent certè; atque ſic continent, ut eandem in utente ex opere operato, etiam non interveniente fide & devotione, exerant. Hoc verò quid aliud eſt, quàm gratiam Dei, quam Spiritus S. offert, Sacramenta jam præſentem utenti ſignificant & obſignant, atque vera fides apprehendit, in terreſtria illa elementa derivare; adeóque φαρμακείαν in religionem Chriſtianam introducere, ut ſic ſacrificuli θαυματουργοὶ, miraculorum authores patratoréſque cenſeantur. Ita planè Sathanas olim Evæ perſuadere conatus, fore, ut veſcens arboris vetitæ fructu, vivat & fiat ſimilis Deo, Geneſ. III. 4. 5. eandem inducere voluit, ut crederet, Deum per opus iſthoc operatum obligari ad dandam vitam beatam & ſimilitudinem ſuam voluiſſe; adeóque arborem *continere gratiam*, & *ex opere operato eam conferre*, uti de Sacramentis Tridentini loquuntur. Sic Sathanas pro πανουργίᾳ ſua agit cum Magis & ſagis omni tempore. Illis enim ſe ad opera humanis majora efficienda, certorum verborum, rituum, ſignorum interventu ſe obſtringit, quorum verborum, rituum, ſignorum uſurpatio reapſe & in effectu eſt Diaboli adoratio, quam à Servatore ſtipulatus eſt, cùm ei Regnum pacificum in omnia terræ Regna Matth. IV. 9. promitteret.

XIII. Cum *dæmoniis* & *mortuis hominibus*; ad expiſcanda ex iis arcana, *familiaritas*, impietatem Magicam vel *Familiaritas cum dæmoniis & mortuis*

tuis hominibus commercium impietate Magica non caret. Hierarchici autem familiare commercium colunt cum dæmoniis,

vel ſupponit, vel efficit, atque poſt ſe trahit. Quid autem *Hierarchicorum* cum utriſque *familiaritate* frequentius? Nam commercium cum dæmoniis quod attinet, conſtat ſatis, Sacrificulos, artem ſcilicet exorciſticam, nulla vocatione & ordinatione Divina legitimè inſtructos, nulla miraculorum patrandorum poteſtate præditos, adeóque inermes planè exercituros, cum Diabolo commercium ſubire, colloquia miſcere, iiſdem mandare multa, comminari, vim intentare, ex dictis & factis ejus methodum & rationem ſpiritualem curandi inſtituere, eos adjurationibus conſtringere, ſigna ab iis petere, abſolutam ab iis obedientiam ſtipulari, deſtructionem maleficii imperare; exeuntibus injungere, ut ſecum ſocios trahant; adjurare Diabolos ſuperiores, ut inferiores expellant; arcana multa, quæ vel ex naturali, vel ex ſupernaturali revelatione ſcire non poſſunt, ex iis ſciſſitari; denique teſtimonio eorum citato dubias res plures confirmare, qua de re plura inferiùs prodemus.

& mortuis hominibus, qui cùm in terram non redeant,

XIV. Cum *mortuis hominibus* eorúmque manibus (haud veris equidem, ſed à Diabolo confictis) crebrò eosdem converſari, & ex iiſdem ſecreta expiſcari, notius eſt, quàm ut pluribus aſſeri debeat. Equidem hominem defunctum non reverti in terram, fides antiquiſſima fuit Jobi, ſic cap. VII. 7. 8. 9. loquentis: *Memento quòd halitus ſit vita mea, non iterum videbit oculus meus bonum. Non luſtrabit me oculus ejus, qui videt me. Si tuus oculus ad me ſit, non ero. Conſumitur nubes & abit. Sic eſt qui deſcendit ad inferna;* לא יעלה *non aſcendet. Non redit inpoſterum domum ſuam, neque agnoſcet eum ampliùs locus ſuus.* Eodem ſenſu Hieropſaltes Pſal. LXXVIII. 39. *Recordatus eſt Deus, quòd caro eſſent,* רוח הולך ולא ישוב *Spiritus vadens & non revertens;* vel, vento ſimilis, qui vadit & non revertitur. Id ipſum Salvator noſter in parabola,

bola, cujus argumentum eſt Lazarus & helluo, clariſſimè nos docuit. Helluone enim inſtanter orante, ut dignetur is in paternam domum ex ſinu ſuo Lazarum amandare, qui fratribus ſuis miſerrimæ ſortis teſtis exiſteret, non tantùm ab Abrahamo id deſideriis helluonis negatum, ſed addita etiam prægnans ratio eſt: *Habent Moſen & Prophetas. Hos ſi non audiverint, non perſuadebuntur, etiamſi ex mortuis quis reſuſcitabitur*, Luc. XVI. 29. 30. 31. En, Abrahamus Divino Spiritu negat helluoni Lazari defuncti reditum ad viventes: negat allata ratione graviſſima, quia Moſes & Prophetæ, ſeu doctrina eorum, non mortui, non recentia mortuorum oracula doctores noſtri, monitores noſtri irrefragabiles deſignati ſint. Denique Deus diſertè prohibuit, ne quiſquam mortuos in conſilium adhibeat, qui finis eſt manium apparentium. Deut. XVIII. 11. Lex Dei ita ſonat: N*e ſit inter vos* דורש אל המתים *quærens à mortuis*. Et Eſaj. VIII. 19. 20. *Et quomodo dicent ad vos: Conſulite engaſtrimythos & hariolos &c.? Annon populus Deum ſuum conſulet?* בעד החיים אל המתים *vivorum cauſa mortuos? Ad legem & teſtimonium!* q. d. Cùm lex & teſtimonium extet, num quid populus inſuper conſulet mortuos de vivis? Hæc aliáque etiam ex antiquitate adverſus apparitiones Spirituum *Diſſert. Sel. Tom. j. Diſſ. vj.* producta, & à Delrionis exceptionibus vindicata, prolixiùs heic repetere nihil attinet.

XV. Hierarchici ergo Spirituum apparitiones fingentes, vel à Diabolo hominum defunctorum ſchema mentito, deluſi, & ab iis, quos pro hominibus mortuis reputant, arcana ſciſſitantes, adeóque mortuos conſulentes; num quid non apertæ necromantiæ rei ſunt? Nam, ſi fides illis eſt, Conſtantienſe Concilium apparitionem quandam Decani poſt obitum ſuum Epiſcopo apparentis, & de rebus occultis eum edocentis, comprobavit, atque ſic animas defun-

vel apparere finguntur, vel perſonati dæmones ſunt. Unde Hierarchicorum necromantia manifeſta efficitur.

defunctorum apparere, & ex iiſdem occulta inveſtigari poſſe, Conciliari definitione conſtat, fideíque articulus cenſetur. Revelationem etiam ejuſmodi exempla quàm plurima Gregorius Turonenſis retulit, ex quo nonnullas Bellarminus & Becanus collegerunt, licet Baronius *ad A. C.* 109. *num.* 49. fateatur ingenuè, *parcendum eſſe ſimplicitati viri religioſi* (Gregorii) *qui multa aliter, quàm veritas ſe habet, æſtimans, non calliditatis aſtu, ſed benignitatis & ſimplicitatis voto, literis commendaverit.* Sed nihil apparitionum & revelationum ejuſmodi originem infauſtam arguit fortiùs, quàm quòd animæ ex Purgatorio, hoc eſt, Utopia, reduces, apparentes, & arcana aperientes, non verum & ſalutarem, ſed falſum ferè, culinarem, & verbo Dei repugnantem cultum, Miſſas, orationes pro defunctis, invocationem Sanctorum, purgatorium, impoſturarum clericalium, arcem &c. ſtabilire conantur. De quo jam olim Cornelius Agrippa *de Vanit. Scient. cap.* 52. his verbis conqueſtus eſt: *Nihil unquam ſolidæ veritatis, aut abditæ ſcientiæ, quæ veram charitatem, & animarum noſtrarum ſalutem ædificarent, ab his animarum apparitionibus revelatum eſt; ſed duntaxat eleemoſynæ* (pro clero) *peregrinationes, orationes* (pro mortuis) *jejunia* (Papiſtica) *& reliqua popularis pietatis opera perſuaſa ſunt.*

Frequentia obſeſſorum. XVI. Atque hæc etiam cum dæmoniis & mortuis familiaritas cauſa eſt, quòd in Papatu obſeſſi & ſpectra à dæmone tantâ frequentiâ viſuntur. Trahitur enim Diabolus dulci eo conſortio, & nidulatur promptiùs. De *obſeſſis* non tantùm experientiam authorem damus, ſed exorciſticam etiam artem, quæ paſſim & ingenti cum ſtudio erga eos ſive verè, ſive per inſtitutum fraudulenter drama obſeſſos exercetur; cedente in ſpeciem Sathana, ut ſuperſtitionem alat, & majori ac duraturo cum ſucceſſu graſſetur.

Ipſe

Digitized by Google

Ipſe enim, ut Johannis de Haſſia, ab ipſo Delrione *Diſquiſit. Mag. lib. ij. q. 27. ſſ. j.* repetita aurea verba mea faciam, *ſimulat ſe captum, ut te capiat: ſe vinctum, ut te vinciat: ſe tuo imperio ſubditum, ut te ſibi ſubdat: à te incluſum, ut contra te finaliter includat: fingit ſe tua arte vel imagini vel lapidi alligatum, ut funibus peccatorum religatum ad infernum te perducat.* Apud nos contra, pura in cœtibus noſtris Euangelii doctrina ſonante, vel rara, vel nulla planè energumenorum copia eſt. Horret enim Diabolus concilia, in quibus verbum Dei purè prædicatur: & impoſtores, qui obſeſſos ſe fingunt, faceſſunt, quia detegi ſe nôrunt, neque præter virgindemias & ſtigmata, aliud operæ ſuæ pretium ullum expectare audent.

XVII. Par ratio eſt *ſpectrorum*, quæ Papatum ac in eo Hierarchicos, Clericos, Monachos & Moniales potiſſimùm frequentiſſima exercent & infeſtant. De Anglia ſua ſic Jacobus I. Rex, *Dæmonol. lib. iij. 7.* ſcribit: *Hoc nobis in Britannia uſu venit, quibus ſub Papiſmi tenebris plura cernebantur ſpectra, plures genii, quàm quis fando expedire poſſit: nunc ita rari, ut vix toto Seculo quicquam ejuſmodi inaudias.* Et mox: *Patribus noſtris temporum & Papatûs vitio craſſè errantibus, familiariter nobiſcum verſabantur dæmones, ignorantiæ noſtræ nube ſepti, veluti Lemures aut Manduci infantibus illudentes. Ejuſmodi nempe terriculamentis puerilem eorum temporum ridebant inſcitiam.* Et *lib. iij.* 2. recitata gentilium perſuaſione illa, quòd unicuique homini duo hæreant vitæ individui comites, *εὐδαίμων* & *κακοδαίμων*, genius bonus & genius malus; ille virtutis, hic vitii ſuaſor, ſubjicit: *Diabolus, ut inveteratum illum errorem gentium in imperitorum animis confirmaret, durante Papatûs cæcitate, multorum ædes ſine maleficio frequentavit, ſedulus*

nec non ſpectrorum in Papatu, ejuſdem cum dæmonibus familiaritatis teſtis eſt.

(uti videbatur) in iis, quæ uſus domeſticus requirebat, hunc; antiquorum Larem, noſtri Brunium appellabant, hominis hirſuti effigie; quo hoſpites ædes ſuas credebant fortunatiores. Eò ſuperſtitionis devenerat inſcitia. Sed & *cap.* 5. idem Spirituum, quibus *Phariorum* nomen erat, quoddam agmen memorans, negat ullam ſub Papatu crebriorem Sathanæ impoſturam fuiſſe. *Quanquam enim*, inquit, *Diaboli ope futura prædicere etiam tum nefas erat, qui tamen ab his avecti erant, fortunatiſſimi probiſſimique Mortalium habebantur.* Sed frequentiam illam in Papatu clauſtris maximè religioſis, ſpectrorum denuò experientia, & exorciſticæ artis exercitium luculenter confirmant; cùm apud nos lux verbi Divini pellat Spiritus illos, qui ſuas res in tenebris libenter expediunt. Accedente clara luce, umbræ & tenebræ evaneſcunt protinus.

Cauſa eruitur, ob quam obſeſſi & ſpectra in Papatu plurima, apud Evangelicos pauciſſima compareant.

XVIII. Sed fortè Diabolus Hierarchicorum cœtus frequentiùs obit & infeſtat, quia elapſuros ſibi metuit: noſtros deſerit, quia jam ſibi mancipatos novit. Sic planè occurrere ſolent, quibus illam cum Diabolo familiaritatem & neceſſitudinem objicimus. Et figmento huic quadrat, quod Æneas Sylvius in hiſtoria Concilii Baſileenſis ex vita Benedicti, Monachorum parentis recitat: nempe Benedictum monaſterium quoddam virorum Sanctorum viſitantem, infinitas dæmonum catervas vidiſſe, qui cum Sanctis Patribus confligantes, bona, quæ illi patrabant opera, perturbare conabantur. Mox ad nundinas multis mercibus, multiſque contractibus frequentes ſe conferentem, unicum duntaxat dæmonem, eúmque triſtem & otioſum in quadam ſpecula conſtitutum aſpexiſſe, miratúmque, quòd locum Sanctum & orationibus deditum, dæmonibus plenum, locum autem profanum, & perjuriis aliiſque delictis occupatum, ab uno tantùm dæmone cuſtoditum offendiſſet, adjuràſſe dæmonem, ut ſibi cauſam ejus rei proderet.

Digitized by Google

deret. Reſpondiſſe dæmonem, *locum Sanctum expugnatione dæmonum indigere; qui autem ſua ſponte peccarent, his fraude Diabolica opus non eſſe.* Egregium ſanè, & Diabolo authore dignum oraculum! Quæro enim, quiſquis es, Papiſta, annon vetuſtis temporibus idem Gentiles reſpondere potuiſſent Chriſtianis interrogantibus, cur oracula illorum, poſtquam Chriſto nomen datum eſt, conticuerint? cur raræ adeò apud Chriſtianos viſantur apparitiones? Alia ergo longè veriórque frequentiorum apud illos, rariorum apud nos apparitionum cauſa eſt. Delectatur Sathanas ſuo regno, regníque ſui ſubditis, quos fraudibus ſuis opportunos, & jam probè circumſcriptos novit: nos verò, qui ejus νοήματα novimus, dolos & verſutiam intelligimus, averſatur. Sicut cùm nocte digitos pedis alicujus reſte vis conſtringere eúmque trahere (uti per jocum ſolent quandoque iter facientes) ſi videas, eum, dolum ſentire, actutum eo relicto te ad alium, altùm ſtertentem, & dolum non ſentientem confers.

Prætextus familiaritatis cum dæmonibus, ut eoſdem imperio ſuo exorciſtico coërceant, diſcutitur.

XIX. Haud validior, qua familiaritatem illam cum dæmoniis excuſare ſolent, ratio eſt, quòd ſic cum iis converſentur, ut per exorciſmos eadem ex hominibus obſeſſis, aliíſque etiam expellant. Non enim ſic omni arte ſua dæmones expellunt, ut efficere poſſint, ne frequentiſſimè contubernio ſuo utantur, & expulſus unus cum aliis ſeptem pejoribus vel ad antiquos, vel ad novos etiam lares redeat. Tum *exorciſmi* ipſi, quibus vel ex hominibus obſeſſis dæmones, vel ex agris & fluminibus inſecta aliáque animalia pellere conantur, Magica ſuperſtitione neutiquam carent, quod jam nunc demonſtrandum nobis eſt.

Dæmonia veteres fideles unico verbo ejecerunt, ſine arte exorci-

XX. Dæmonia veteres precibus & jejuniis præviis unico verbo ejecerunt, pro imperio & poteſtate in Spiritus immundos Divinitus conceſſa. Fuit illis data poteſtas calcandi Serpentes & Scorpiones, & ſupra omnem vim inimi-

 ci, ut

ſtica. Neque Chriſtus ordinem exorciſtarum inſtituit, ſed donum ejiciendi dæmonem liberè diſpenſavit. Expirante eo dono exorciſmi, in preces converſi ſunt, & catecheſis, exorciſmi apud veteres nomine venit.

ci, ut nihil eis noceret; Luc. x. 19. quod ad miraculoſa Dei dona pertinebat. Tales, *exorciſtas* haud equidem Chriſtus & Apoſtoli, ſed vetus Eccleſia nuncupavit; non quòd adjurationis formulâ quâdam dæmonem pellerent; ſed quòd pellerent verbo imperante, per poteſtatem Chriſti. Neque ad hoc munus ordinari ſueverunt, ſed ſufficiebat iis donum Dei. Unde Clemens *Conſtit. lib. viij.* 27. ἐξορκιστὴς, inquit, οὐ χειροτονεῖται &c. *Exorciſta non fit ordinatione. Eſt enim liberæ voluntatis præmium, & gratiæ Divinæ per Chriſtum & adventum Spiritus S. Siquidem qui donum acceperit ſanitatum, per revelationem declaratur à Deo, cùm gratia, quæ in eo eſt, ſit omnibus manifeſta.* Et primitus quidem ſi non omnibus, ſaltem pleriſque fidelibus donum iſthoc exercendum videlicet, quoties Dei gloria poſtularet; Divinitus indultum eſt, uti ex Tertulliano *de Corona Mil. cap.* 2. & *ad Scapul. c.* 2. & *Apolog. cap.* 5. Juſtino Martyre *in Apolog. ſub finem;* Cypriano *ad Demetriadem;* Euſebio *Hiſtor. Eccleſ. lib. j. cap.* 12. 13. Auguſtino *de Civit. D. lib. x.* 22. aliiſque pluribus liquet; neque ex Pontificiis ipſis Raphaël de la Torre *Diſput.* 5. Maldonatus *in Marc. ix.* 38. alii dubitant; denique ex noſtratibus Juſtellus Notis ad Tertullianum *de Corona Mil. cap.* 11. aliſque comprobant. Ceſſante miraculorum in Eccleſia dono, ſic equidem exorciſmi in preces piè converſi ſunt, ut ipſum tamen Exorciſtarum nomen, ἄγραφον licet, non ilicò ceſſaverit, ſed deinceps hæſerit Catechiſtis. Ita enim Doctiſſimus Juſtellus *Not. ad Can. Eccl. Univ. pag.* 168. ſcitè obſervat, Scholiaſten Græcum Harmenopuli in Epitome Canonum *ſect. j. tit.* 9. ἐξορκιστὰς *Exorciſtas* interpretari κατηχητὰς *Catechetas;* & Theodorum Balſamorum *in Concil. Laod. can.* 26. ſtatuere, quòd eò loci ἐξορκίζειν *exorcizare* idem ſit quod κατηχεῖν ἀπίστους *catechizare*, ſeu inſtituere *infideles*. Quibus addi poteſt

locus

locus diſertiſſimus Cyrilli in Procatecheſi, ubi exorciſmi & catecheſes promiſcuè ponuntur. *Feſtinent*, ait, *pedes tui ad Catecheſes audiendas. Exorciſmos ſtudiosè ſuſcipe, etiamſi inſpiratus jam ſis, & exorciſatus. Salubris enim eſt tibi res iſta.* Quod de dæmoniacis intelligi nequit. Sicut enim vigente miraculorum dono, per exorciſmos Diabolus pellebatur: ita catechiſtæ inſtituentes Catechumenos ſuos, eoſdem ex poteſtate tenebrarum in Regnum lucis transferebant.

Exorciſmi Hierarchicorum & exorciſmi veterum, immane diſcrimen panditur.

XXI. Atque huic veterum exorciſmo Hierarchicorum exorciſmus è diametro oppoſitus eſt. Nam *primò*, Exorciſtæ eorum ordinantur, novo & in Eccleſia Chriſtiana veteri prorſus inaudito exemplo, uti vel ſolum Clementis teſtimonium à nobis allegatum comprobat. Extat equidem in Concilii Carthaginenſis IV. canone VII. ritus & formula exorciſtarum ordinandorum, qualis ferme in Pontificiali deſcribitur. Cæterùm & Concilium illud, & Canones ſpurii ſunt, utpote qui in Codice Canonum Africanorum non extant; & primùm à Mercatore, impoſtore inſigni, in orbem Chriſtianum invecti ſunt, quo nomine Mercator ille cum ſuo hyperaſpiſta Turriano, meritò Blondello vapulat. *Secundò*, adjuratur ab exorciſtis novis dæmon. Olim autem Chriſtus, Apoſtoli, fideles ſolo verbo dæmonia ejecerunt, citra adjurationem ullam, quæ apud Exorciſtas Judæos equidem recepta erat, Act. XIX. 13. apud Chriſtianos non item, quod fuſiùs probârunt alii. *Tertiò*, adjuratur ab Exorciſtis novis dæmon, non corporaliter duntaxat obſidens homines, ſed etiam ſpiritualiter; uti exemplum infantum, quos in baptiſmo exorcizant, fidem facit. Imò adjuratur obſidens quaſvis alias creaturas irrationales, elementa, ventos, pluvias, tempeſtates, fulmina, domos, inſecta, aliáque animalia nocentia; denique ubicunque apparet, vel apparere videtur. *Quartò*, adjurant per Angelos,

los, Sanctos, Sacerdotes quoſcunque, reliquias, crucem. Chriſtus autem juſſit dæmonia ejicere *in nomine ſuo*, non alterius cujuſquam, Marc. XVI. 17. *Quintò*, modus exorcizandi apud recentiores non ſimpliciter in imperio, ſed etiam in exprobratione, convitiis, contumeliis, verbis juxta factiſque dæmoni illatis; quin etiam contractu, compromiſſo, ad docenda & præſtanda omnia, quæ ad ſalutem obſeſſi, aliorúmque hominum pertinere putantur. Qui ſanè modus nec rationi, nec verbo Dei, nec praxi primitivæ Eccleſiæ conſentaneus eſt. *Sextò*, exorcizant per media, quæ Magica impietate tota laborant, veluti per Diabolos, ex quibus conſtituitur princeps, qui alios ejiciat; quod fas eſſe Mengus *in Fuſte Dæmon. pag.* 21. tuetur; per res inanimatas, thus, panem & ſalem benedictum, aquam incenſam, ramos palmarum, campanas, agnos cereos, lucem, ignem, oleum, ſuffumigationes &c. trinam exſufflationem in aquam, flagellationem, colaphorum inflictionem; aurium & capillorum vellicationem; figuras, cruces inprimis multiplicatas; verba tum ſacra, puta tmemata quædam Scripturæ, liturgiæ, Euangelii inprimis S. Johannis, nomina Dei etiam ignota &c. tum profana, partim acerbè exprobrantia, partim ſarcaſticè dæmonem ridentia, partim examinantia &c.

Magica exorciſmorum impietas aſſeritur.

XXII. Hæc omnia Magicam *exorciſmorum* impietatem abundè propalant. Quis enim Magus demum cenſebitur, ſi cenſeri non poteſt Exorciſta, qui omni vocatione Divina deſtitutus congreditur cum Sathana; atque licet prima fronte ſeverè, comminatoriè & cum dignitate agere videatur, tamen, ſi penitiùs omnia conſideres, ad callidi Serpentis dicta & facta ſe accommodat, ad quæ verba ſe contremiſcere ſimulat, ea ſæpiùs repetit; cauſam ingreſſûs petit, ut à ſimilibus peccatis alii caveant, & eo vitato vel expiato faciliùs ſanetur energumenus, quaſi hæc perfido

curæ

curæ eſſent; & ſignum egreſſionis percontatur, ut conſtet jam verè liberatum ægrum, perinde ac ſi fallendi artem dedidiciſſet: qui ad expellendum eum res, actiones, figuras, verba, numeros adhibet, quibus nec natura, nec revelatio Divina pretium ullum ea in re ſtatuit, vel virtutem ad operandum tale quid contulit: qui Diabolum per creaturas adjurat: qui cum eodem contrahit, ut veritatem vel invitus pandat; atque poſt contractum eum Sathanam, Pythonem ſuum examinat, anquirit, quædam etiam curioſa expiſcatur, uti Cotonum feciſſe cum dæmone Hadrianæ Fraxineæ Thuanus *Hiſt. lib.* CXXXII. memorat.

XXIII. In hoc enim Exorciſtico dramate & directæ & indirectæ Magiæ impietatem nullo negotio cernere eſt. *Directa* enim eſt, quia Exorciſta per certa verba, characteres, ceremonias, nuſpiam inſtitutas, nihil ex revelatione Divina vel naturali ſignificantes operantéſve, mira facit, aut facere præſumit, idque ope Diaboli, ex pacto non implicito duntaxat, ſed explicito etiam. Nam expellit dæmonem per ſuperiorem dæmonem; & ex ejus revelatione rei occultæ notitiam venatur. Pactum cum eodem init, cùm illum hac vel illa conditione emittit, dimittit, promiſſum ἀμειβαῖον ſeu mutuum, & quidem in forma ab illo recipit; ſocietatem cum eo, ſaltem imperfectam, init colítque. *Indirecta* eadem eſt, quia ex pacto implicito Exorciſta utitur illis mediis, quibus Magi uti ſolent ad effectus ſimiles. Sic enim Toletus *lib. iv. cap.* 14. *n.* 10. indirectam, ſeu interpretativam Magiam ipſe deſcribit.

XXIV. Et ſanè Magos inter & Exorciſtas tanta γειτνίασις, affinitas tanta intercedit, ut ovum ovo ſimilius non ſit. Etenim *primò*, apud Magos omnia ſuis præciſe conſtant formulis & verbis, quibus ex præſcripto artis utuntur, & vim atque efficaciam ad opera, quæ intendunt, peragenda, ineſſe perſuaſiſſimum habent.

Magos inter profeſſos ac notorios, & exorciſtas Pontificios, affinitas ſumma demonſtratur.

Carmina

Carmina vel Cœlo poſſunt deducere lunam.
Sic planè Exorciſtæ verbis & ritibus præſcriptis contra dæmonem & maleficia ejus ſingularem efficaciam tribuunt. Efficacia illa vel naturalis, vel ſupernaturalis, vel magica eſt. Non eſt naturalis, quia verba habere vim naturalem vel morbos ſanandi, vel noxas depellendi, meritò ipſe Delrio *Diſquiſit. Mag. lib. j. cap.* 4. *q.* 3. negat. Supernaturalis dici nequit, quia, quæ ſic operantur, vim ſuam immediatè conſequuntur à Deo, & ſpeciali ipſius inſtitutione ac promiſſione nituntur. Atqui Deus nuſpiam ritus & formulas exorciſticas præſcripſit, neque iiſdem eventum talem promiſit; neque Eccleſiæ, à qua inſtitutæ dicuntur, recepit, ſe ejuſmodi formulis ab illa inſtitutis pondus & virtutem ſupernaturalem additurum. Tum quæcunque ſupernaturali vi prædita ſunt, eventum ſuum infallibiliter ſortiuntur, quomodo Hierarchici eandem ob cauſam Sacramentis virtutem conferendi gratiam ex opere operato decernunt. Denique formulæ ejuſmodi virtutem ſupernaturalem habent vel ex opere operantis, vel operato, uti Hierarchici loqui amant. Non prius, quia fidem, devotionem &c. ad validitatem exorciſmi neque in Exorciſta, neque in energumeno requirunt. Non poſterius, quia ſic nullum diſcrimen inter Sacramenta, quæ Divinæ, & Sacramentalia, ad quæ exorciſmum illi referunt, quæ humanæ inſtitutionis ſunt, intercederet. Æqualem quippe ex opere operato efficaciam haberent, quod ipſimet adverſarii negant. *Secundò*, Exorciſtæ maledictis & convitiis dæmonem inſectantur, quorum magnos ſubinde catalogos conficiunt, uti in Manuali Exorciſmorum videre eſt. Id verò ortum eſt ex diſciplina Apollonii Thyanæi, ſtatuentis, convitia & maledicta eſſe præſentiſſimum contra dæmonum inſultus remedium. Non ſic profectò Michaël Archangelus Jud. ℣. 9. Neque extricant ſe

cant ſe

cant ſe dicentes, maledicere ſe Diabolo propter culpam, quia id ipſum Michaël prætexere potuiſſet. *Tertiò*, Exorciſtæ ſuffumigationibus, Delrione, Valeſio, Mengo teſtibus, utuntur. Iiſdem uſi Magi ſunt, Ethnici & Judæi Exorciſtæ, Delrione *Diſquiſit. Mag. lib. vj. cap. 2. ſſ. 2. q. 2.* teſte; nec non Hermes, Porphyrius, Proclus, Cornelius Agrippa *de Philoſ. Occ. lib. j. cap.* 43. ubi multa ille de ſuffitibus ad convocandos fugandóſque dæmones philoſophatur. Neque fortè aliunde, quàm ex Kabala Magica Judæorum perſonatus ille Tobiæ Raphaël ſuum ex piſcis corde & extis ſuffitum ad Aſmodæum fugandum hauſit. *Quartò*, Magicæ diſciplinæ conſulti Judæi & Gentiles contra dæmonum inſultus & maleficia ſua amuleta & phylacteria adhibebant; ab ipſo Delrione *lib. 1. cap. 4. q. 4.* eo nomine damnati. Idem hodierni Exorciſtæ factitant. Nam ædes exorcizandorum palmis benedictis exornant, cereum benedictum accendunt, eorum collis reliquias, agnos Dei, ſacra amuleta, ſchedulas appendunt; ſtolas iiſdem, imagines, cruces applicant, de quibus Manuale Exorciſticum *part. 1. inſtit. 6.* videre eſt. *Quintò*, anxiè multa ex energumenis Magi ſciſſitari ſolebant, uti ex Act. XVI. 6. nec non Apulejo *Apol.* 1. liquet. Ita planè Exorciſtæ moderni cum Sathana in colloquium deſcendunt, & abſtruſiſſima quæque ex eo percontantur. *Sextò*, Exorciſtæ Novenas ſuas ex antiqua ſuperſtitione in exorciſmis ſuis adhibent. Quamvis enim *Novenam* ſervare potiùs quàm *Septenam*, à ſuperſtitione Breſſerus *de Conſc. lib. vj. cap. 21. num.* 293. excuſatum eat; tamen numerum formalem aliquid occultare, quod dæmonis ex pacto operationem ſpectat, Delrio *lib. 1. cap. 4. q. 2.* ſtatuit. Novemdialia tanquam ſuperſtitioſa Auguſtus, teſte Petro Bungo Bergomate *Myſter. Num. de Num. ix.* abrogavit; & novem vicibus oraſſe Ethnicos, cùm lemures placare vellent, idem ex Alexandri

Genialibus *lib. iij.* 12. refert. Multa quinetiam de numero Novenario, & ejus ſcala Cornelius Agrippa, quem Magorum Patriarcham Hierarchici faciunt, *de occulta Philoſ. lib. ij.* 12. tradidit. *Septimò*, Magi olim à Diabolo corporis poſt peractos exorciſmos deſerti ſigna flagitàrunt. Cujus rei nobile exemplum Eleazarum, qui extracto dæmoni imperavit, poculum aquâ plenum, quod illic poſuerat, everteret, in ſignum, quòd Energumenum reliquiſſet, Joſephus *Antiquit. Jud. lib. viij.* 2. recitat. Similia digreſſionis ſuæ ſigna à dæmone petere exorciſtas, ex Manuali Exorciſtico *part.* 1. *Inſtruct.* 9. conſtat; & Delrio *lib. vj. cap.* 2. *ſſ.* 3. 7. 9. agnoſcit; neque aliud exemplum antiquitatis profert, quàm illud Eleazari, quem ipſemet priùs *lib. ij. q.* 30. *ſſ.* 3. tanquam Magum traduxerat. Quàm verò enorme facinus ſit, ſigna petere à Diabolo, quotuſquiſque ignorat?

Impietatem exorciſtarum Magicam auget, quòd teſtimonio Diaboli ſuperſtitiones ſuas commendant. Franciſci ſtigmata Diabolo teſte probata ſunt.

XXV. Grave certè etiam illud eſt, quòd dæmonis, cui ſic expellendo Exorciſtæ deſudant, teſtimonio ſuperſtitiones ſuas commendare non verentur, à qua inſania ipſi fortè gentiles abhorruerunt. Exempla quædam Delrio *lib. iij. parte j. quæſt. 7. ſect. j.* profert. Neque poſſum hìc ſtigmatum Franciſci commendationem ſimilem, extantem *Conformit. lib. iij. parte 2. pag.* 309. præterire. *Sextò*, inquit Conformitatum author, *authentizatur ſtigmatizatio beati Franciſci teſtimonio malignorum ſpirituum, de quibus ſupra dictum eſt. Dæmon enim per os cujuſdam mulieris cuidam Baroni habitanti in montibus juxta Eugubium dixit, loquendo inter alia de ſtigmatibus beati Franciſci, quòd Chriſtus videns beatum Franciſcum ſibi datum à Deo Patre pro ſignifero, ipſi ſua vulnera impreſſit, & clavos in manibus & pedibus, & in latere dextro vulnus: ſicut jam patet in corpore ſuo, & multi jam viderunt. Alius dæmon cuidam domino Bartholomæo, de tertio or-* dine

Digitized by Google

dine beati Franciſci, loquens de ſanctitate beati Franciſci inter alia ante ſtigmatizationem B. F. bene per biennium, prædixit, ipſum beatum Franciſcum ſtigmatizandum à Deo. Inquit enim dæmon: Adhuc notum eſt toti mundo, qualiter Chriſti paſſio in hoc homine beato Franciſco renovetur. Alius dæmon per os mulieris Zanteſſæ dixit Fratri Jacobo de Bononia de tertio ordine B. F. coram 18. *teſtibus: Duo tantummodo ſunt in Cœlo ſignati, ſcilicet Crucifixus, & ſtomachoſus ille Franciſcus. Sciens enim Chriſtus, ſe illi daturum ſtomachoſo bullam ſuorum ſtigmatum, non permiſit ipſum aliud de indulgentia Portiunculæ privilegium accipere, vel bullam manu hominis fabricatam. Nam ſicut Rex non committit annuli ſui bullam alicui, niſi propter aliquod magnum factum: ita crucifixus, quando voluit ſalvare populum ſuum, noluit illi ſtomachoſo concedere aliud ſignum, niſi bullam ſuorum ſtigmatum.* Hactenus dæmones de ſtigmatibus Franciſci. An ſic, qui teſtimonium dæmonis in re dubia admittunt, producunt, laudant, pacto expreſſo ad veritatem dicendam eum priùs non obligàrunt? Et an Magi ſceleſti quique majora attentàrunt?

XXVI. Non energumenos duntaxat Exorciſtæ, ſed *Maleficiatos* etiam, hoc eſt, per ſortilegium & veneficium quoddam morbo extraordinario vexatos & effaſcinatos, exorciſmis ſuis liberare ſe profitentur. Exorciſmi illius formulas tertia pars Manualis Exorciſmorum repræſentat. Quòd ſi pertinacior Sathanas cedere nolit, (rarò quippe, ſi res peragatur ſeriò, ad optatum finem pervenitur) tum verò Exorciſta exulceratus comicam actionem ſuam claudit proteſtatione ſimili, qualis etiam locum habet in Exorciſmis Energumenorum finiendis; quæ *Manual. Exorc. par.* 2. *pag.* 205. ejuſmodi recitatur: *Quandoquidem ſuperbi ac maledicti dæmones ad Divini nominis invocationem*

Exorciſmus Maleficiatorum magica impietate laborat totus.

nem ab hujus creaturæ ejus vexatione non deſiſtitis, ne illud vobis impune futurum exiſtimetis, quoniam ignis, grando, nix, glacies & ſpiritus procellarum pars erit calicis veſtri. Adeò ſcilicet impotentes etiam fuerunt Chriſtus & Apoſtoli, quorum exemplo & authoritate novi Exorciſtæ ſe tuentur! Sed de hoc quicquid ſit, quomodo à Magiæ crimine Exorciſmos ejuſmodi abſolvent? Veluti cùm per eos Maleficos etiam abſentes dirè torquent quâdam, ſi Diis placet, dæmonum in illos reactione. Quòd ſi, uti Grillandus *quæſt.* 2. *de Sortil. num.* 4. argutatur, maleficia non niſi arte dæmonis tolli poſſunt; quia juxta regulam juris *nihil tam naturale eſt, quàm eodem genere quodque diſſolvi, quo colligatum eſſe reperitur*; ſequetur, ideo in Maleficiis Exorciſmos exerceri, ut Satan cogatur diſſolvere, quæ ipſe colligaverit; quod annon ſit indirectè ejus opem invocare, *ut prodeſſe putetur, cùm deſinit nocere*, uti Lactantius *Inſtit. lib. ij.* 16. loquitur, ipſi certè viderint. Denique cùm Adverſarii ipſimet ſtatuant, illicitum eſſe non tantùm *maleficia maleficiis curare*, apud Delrionem *lib. vj. cap.* 2. *ſſ* 1. *q.* 2. ſed etiam, *tentare id rebus ſuperſtitioſis & vanis;* licet id Delrione agnoſcente, multi Canoniſtæ & Theologi Pontificii haud nefas duxerint: *petere à Malefico parato, ut maleficium maleficio tollat;* quamvis Aureolus *in* 2. *diſt.* 34. *q.* 2. & Angelus de Clavaſio *v. Maleficium n.* 13. id licitum eſſe pertendant: *vi & verberibus à maleficis, aut etiam precibus opem implorare;* uti fuſiùs contra Remigium diſputat Delrio, *niſi probabiliter credat*, inquit hic, *illud poſſe fieri modo aliquo licito:* denique juxta Johannem Heſſelium à Lovanio, reclamante licet Delrione, *Maleficii ſigna deſtruere, ut Diabolus nocere deſinat;* quomodo Exorciſtæ ſuis exorciſmis licitè & citra Magiæ ſaltem participatæ crimen vel perſuadere, vel cogere Diabolum ad ſanandos Maleficiatos

tos poſſunt, cùm nulla probabili ratione ſibi perſuadere auſint, Sathanam maleficium modo licito remoturum; aut id non facturum deſtructione ſigni, ex cujus pacto operatus fuerat?

XXVII. Affinis huic eſt exorciſmus, quo Diabolum Exorciſtæ compellunt ad reſtituendum chirographum, quo ab eo ſeducti eidem ſe obligàrunt; nec non Euchariſtiam ipſam à ſuis clientibus acceptam. Extat Exorciſmus pro chirographo *Manual. parte* 2. *pag.* 206. & pro Euchariſtia *ibid. pag.* 210. Non poteſt autem Diabolus ad reſtitutionem vel chirographi, vel Euchariſtiæ adigi, quin exorciſmis evocetur eò, ubi priùs non erat, quod Magicum planè & necromanticum eſt. Et mirum planè eſt, Hoſtiam conſecratam, hoc eſt, ex hypotheſi Hierarchicorum, Chriſtum ipſum ſic tradi Diabolo poſſe, ut nonniſi ægrè & exorciſmorum tormentis atque baliſtis ab eo recipi poſſit. Siccine ergo Chriſtus Rex ille invictus gloriæ, in poteſtatem Diaboli venire, & ad inferos deportari poteſt? Quid ergo de eo fieret, niſi per exorciſmos Sathanas ad reſtitutionem compelleretur? Quo jure vel Manuale *Inſt.* 2. *par.* 1. inter Energumenorum notas refert, *quòd rerum ſacrarum præſentiam, Miſſæ ſacrificium præſertim, ferre nequeant:* vel Delrio *lib. vj. cap.* 2. *ſſ.* 3. *q.* 2. remediis ſpiritualibus contra dæmonem certiſſimis accenſet *Euchariſtiam venerabilem*, ſi non ſolùm illam præſentem ferre, ſed etiam auferre, & ablatam mordicus retinere, ſola exorciſmorum vi ſibi extorquendam poteſt? Annon ſic quiritari cum Labane Hierarchici, & cum Diabolo expoſtulare poſſunt: *Quare furatus es Deos meos*, Geneſ. xxxi. 30. *Stultitia eſt*, inquit ad eum locum à Lapide, *quod Deos dicit, qui ſe à furibus cuſtodire nequeunt.* Et Deus verus Iſraëlis erit, qui ſe à Diabolo ſartum tectúmque cuſtodire nequit?

Impietas exorciſmi, quo Hierarchici Diabolum ad reſtituendum chirographum & Euchariſtiam cogunt.

Exorciſmi animalium maleficiis infectorum, lactis, butyri, caſei, ovorum, elementorum, tempeſtatum, tonitruum, nubium impietas ſumma.

XXVIII. Sicut autem pro hominibus ex maleficio ægris Exorciſta eſt Medicus: ita veterinariam idem exercet pro jumentis & beſtiis per maleficia afflictis; purgat ædes malis ſpiritibus vexatas; parat remedia contra inviſibilem lactis, butyri, aliarúmque rerum per incantationes abalienationem: exorcizat lac, butyrum, caſeum, ova; denique Exorciſta eſt DEUS Averruncus, qui omnia mala ſuis conjurationibus propulſare poteſt. Aqua, terra, aër, ignis, omniáque ex quatuor elementis mixta; tempeſtates etiam, nubes, tonitrua, fulmina, grandines, quæque peculiares ſuas conjurationes habent, quas in *flagello Dæmonum*, Hieronymo Mengo authore ſcripto, legere eſt, ne videlicet Hierarchicis *Nepheladioctæ*, *Guteutæ*, *& Phylacterii* in Synodo Trullana *can.* 61. damnati deſint. Sic planè nomen Dei ſumitur in vanum, verbum ejus profanatur, commercium & familiaritas cum Diabolo initur, ſuperſtitio alitur; Sathanæ occaſio illudendi hominibus ſubminiſtratur, fiduciæ Chriſtianæ vis & efficacia extinguitur, multa dæmoni tribuuntur, quæ vel immediatè à Deo homines exercente fiunt, vel cauſas naturales habent, denique ea homines tum aggrediuntur, tum per media planè illicita exequuntur, quæ nec mandato & promiſſione Dei ulla, nec exemplo Sanctorum nituntur. Ipſe Delrio *lib. vj. Anaceph. monit. ij.* contra nubium, aliarúmque ejuſmodi rerum inſectatores fusè diſputat, eo argumento, quòd nubes & tempeſtetes ſint vel à Deo, vel à Diabolo. Si à Deo, exorciſmus inſtituetur ſacrilegè contra authorem naturæ. Si à Diabolo, ejúſque maleficio, tum Exorciſtis pactum cum Diabolo intercedat oportet.

Exorciſmi animalium noxiorum ab Epiſcopis pluribus peracti ex-

XXIX. In Manuali eodem Exorciſmorum *pag.* 295. præſcribitur etiam Exorciſmi formula contra quæcunque animalia noxia, vermes, mures, ſerpentes, & alia quæcunque agros vel aquas inſigniter efficientia & corrumpentia. Ubi

Ubi non ſolùm Exorciſta dæmones, ut mala iſta amoveant, adjurat, ſed ipſos quoque vermes exorcizat & adjurat, ut confeſtim abeant; imò imperat ſeverè, ut decreſcant deficiántque. Exempla memoratu digna adducit Felix Malleolus Canoniſta, Præpoſitus Solodurenſis, & Cantor Tigurinus, in tractatibus *de Exorciſmis*; quæ Majorum noſtrorum miſerè ſeductorum praxin ob oculos ponunt. Ita, narrante eo, S. Wilhelmus, Epiſcopus Lauſannenſis, ab anguillis læſus, omnes anguillas è ditione ſuâ exorciſmis expulit & relegavit: B. Pruminius inſulam S. Marci prope Conſtantiam, venenatis inquinatam vermibus, adjurationibus mundavit: Georgius de Salutiis, Epiſcopus Lauſannenſis, tum vivens, contra ſanguiſugas, Salmonibus & aliis piſcibus infeſtas, proceſſum judiciarium inſtituit, ſicut contra facinoroſos fit. Publico igitur judicio damnatas, adjurationibus ex ſacra Scriptura depromptis, ex lacu ejecit: Ejuſdem Epiſcopi officialis Plebano Bernenſi adverſus eaſdem peſtes ſimilem procedendi formulam, d. 24. Martii A. C. MCCCCLI. tradidit: Benedictus à Monteferrat, Lauſannenſis etiam Epiſcopus actione adverſus bruchos ex agro Bernenſi ad Eccleſiaſticum tribunal Lauſannenſe citatos, inſtituit. Hæc de Lauſannenſibus duntaxat & Conſtantienſibus Epiſcopis Malleolus. Addit ſimilia de Curienſibus, proceſſum geminum inſtituere adverſus animalia ſuetis. Solemnia tot in mundo Epiſcopos, prævia inprimis & recepta publica Exorciſmi talis formula, in illa errorum & ſuperſtitionis nocte deliràſſe, cui dubium eſſe poteſt?

Exempla à Malleolo prodita, exhibentur.

XXX. Ad hæc Delrio *lib. iij. p. 2. q. 4. ſ. 8.* cum Malleolo hoc confligens primò in genere reſpondet, *Exorciſmos & Eccleſiaſticas depulſiones animalium probari, quas publicus Eccleſiæ uſus recepit* &c. *In Ritualibus Romanis expreſſas haberi formulas legitimas*, &c. Deinde

Delrionis adverſus Malleolum exorciſmos eos commendantem; nec non Suare-

zii & Gretſeri exceptio ventilatur.

de in ſpecie de formula Exorciſmi ab Epiſcopo Lauſanenſi dictati, regerit, ***nihil in ea contineri, quod improbari poſſit, niſi fortè actus judiciarios vanos & ſuperfluos, quod ipſum quoque de publica praxi Conſtantienſi & Curienſi ſentiendum ſit.*** Nos univerſum hoc drama exorciſticum Magicæ vanitatis accuſamus meritò, quia præceptum & promiſſionem Dei nullam habet; nomen Dei in vanum ſumit, Scripturæ verbis temerè abutitur, torquens ea in finem alienum, cujus gratia edita non ſunt; & imperio coërcere creaturas inanimatas & irrationales, nullius hominis dicto audientes, præſumit. Nam quod Suarez *Tom. ij. de Relig. lib. iv. 2.* & ex eodem Gretſerus *de Benedict. lib. ij. 7.* contendunt, adjurationes per imperium directè etiam verſari circa creaturas irrationales, ***non quoad intelligentiam, ſed quoad efficaciam & effectum, cujus finis ſit obedientia non moralis, ſed quaſi phyſica, quomodo Chriſtus mari & ventis imperâſſe legitur;*** frivolum planè eſt, tum quia abſoluta ejuſmodi Dei potentia & virtus thaumaturgica æquè in creaturas non cadit, ac non potentia creandi. Si, quod Navarrus *Manual. cap. 27. num. 13.* verè aſſerit, ***ſuperſtitionis eſt credere, quòd poſſit excommunicari locuſta, bruchus, aut alιud genus vermium & animalium irrationalium;*** quidni adjuratio etiam creaturarum irrationalium, nedum cum excommunicatione conjuncta, ſuperſtitionem ſapiet? Denique nulla ratione adjurationes ejuſmodi excuſari poſſunt, ſive dicantur tendere in Deum, ſive in creaturas, interveniente deprecatione ad Deum. Si ad creaturas, ſtolidæ ſunt, quia creaturæ ejuſmodi non intelligunt. Si interveniente deprecatione ad Deum, adeóque ad Deum referuntur, temeritate haud vacant, quia juxta ipſum Thomam *22. q. 95. art. 2.* adjuratio per modum deprecationis pertinet ad eos, qui Divina invocatione miracula faciunt. Neque etiam modus depreca-

deprecationis & imperii in eodem numero exorciſmo jungi poſſunt, ut qui dicit: *Exorcizo te creatura per Deum vivum;* ſimul & Deum deprecatur, ut creaturis iis, expulſis inde dæmoniis benedicat; & Diabolo imperet, ut per illas damnum facere deſinat.

XXXI. Deinde cùm Delrio approbet Exorciſmos, quos vocat Eccleſiaſticos, qua fronte damnat ibidem, agricolarum & mulierculارum adjurationes, quibus hominum vel beſtiarum morbos ſanent, pro quibus Malleolus propugnat? Utrinque enim verba adhibentur optima, ex Scripturis petita, ad uſus verò tales neque à Deo, neque à natura inſtituta. Pari etiam ſucceſſu exercentur. Alexander Macedo, cùm pirata captus ad ipſum deductus eſſet, interrogavit, qua ille re fretus auderet maria infeſtare? Reſpondit pirata intrepidè: *Ego*, inquiens, *quoniam id unico navigio facio, vocor pirata. Tu, cùm idem facias magna claſſe, Rex appellaris*. Idem certè agricolæ & mulierculæ Delrioni reſpondere poſſent: Nos, cùm vel febrim, vel vaccæ aut equi læſionem, optimis etiam verbis & preculis exorcizamus, vocamur incantatores & incantatrices. Tibi autem Epiſcopi, cùm idem in exorcizandis anguillis, ſanguiſugis & bruchis fecerint, Sancti & venerandi Patres cluent.

Inter muliercularum & agricolarum, nec non Epiſcoporum adjurationes ejuſmodi differentiam nullam eſſe, oſtenditur.

XXXII. Idem Delrio *lib. vj. cap.* 3. adverſus Godelmannum Exorciſmos Hierarchicorum à Magica impietate purgare conatur. Qua ratione purget, operæ pretium erit paucis diſcutere. *In exorciſmo*, inquit, *perſonæ, res, verba & intentio reperiuntur*. Singula ille expiare conatur. Preſſe ſequamur. *Perſonæ*, inquit, *culpa nulla. Non obſeſſi, cui licet ab Eccleſia remedium petere, quam novit pharmacopœam à Chriſto morbis ſpiritualibus inſtitutam. Non exorciſtæ. Nam inſtitutus hic ordo jam ab Apoſtolorum fermè temporibus. Non eorum ornatus.*

Exorciſmorum Magicorum impietas nequicquam à Delrione contra Godelmannum defenditur, quoad exorciſmorum ſive perſonas, puta obſeſſos & exorciſtas;

Nam ſtolâ cinguntur, eámque energumenis injiciunt; quæ meminêre feliciter ſic uſum Pontium Bonævallenſem Abbatem. Sciunt hac dæmonem quaſi ligari, & memorem fieri, eum eſſe Chriſti captivum, & à Chriſto ſubjugatum. Superpelliceum induunt, quia hoc officii & ordinis eorum ſignum eſt: ſicque ſignificant, ſe in pugnam non privata temeritate, ſed ab Eccleſia auctoratos procedere. Non ſic perſonas Delrio expiat. *Obſeſſus* enim à Deo & piis omnibus remedia petere poteſt legitima, in verbo Dei definita. Ubi verò ab Exorciſtis adhibita remedia verbum Dei definivit? Neque media illicita vera Eccleſia adhibet: & quæ talia adhibet, vera Eccleſia, pharmacopœa Chriſti non eſt. Qui proin talia à quocunque requirit, haud levius peccat, quàm Saul pythoniſſam in conſilium adhibens. *Exorciſta* vel ordinatus eſt, vel non eſt ordinatus. Ille verus exorciſta non eſt, quia, uti Clementem ſupra dicentem audivimus, ἐξορκιστὴς οὐ χειροτονεῖται, *Exorciſta non fit ordinatione, ſed libera voluntate Dei.* Chriſtus ſanè initio Euangelicæ prædicationis, & aliquot poſt ſeculis, haud equidem ordinaria & perpetua vocatione Exorciſtas inſtituit, ſed quibuſdam ſervis ſuis in nomine ſuo dæmones ejiciendi poteſtatem conceſſit. Apoſtoli, Epiſcopi, Presbyteri, purique ſæpiùs laici, hoc dono, ſecundùm Spiritus S. inſtinctum utebantur, ita ut Tertullianus *de corona Mil. cap.* 11. ſuo tempore quoſdam Chriſtianos milites, non certum utique ordinem, Diabolos per exorciſmos fugandi dono præditos fuiſſe, teſtetur. Neque ſanè donum extraordinarium perpetuum in Eccleſia ordinem conſtituere poteſt. Exorciſta porrò non ordinatus, ipſo Delrione *lib. vj. Anaceph. mon.* 10. judice, extraordinarii juris, ſeu privilegii documenta oſtendere debet talia, ut judicio Eccleſiæ idonea cenſeantur. Nulla verò non ordinati Hierarchicorum Exorciſtæ ejuſmodi documenta verbo Dei conformia

formia producunt, quæ veræ Eccleſiæ judicio approbari queant. Neutri proin veri Exorciſtæ ſunt, utpote vocatione Divina legitima deſtituti æquè ac quivis Exorciſtæ alii Judæi & gentiles, cum Diabolo congredientes, & quæſtûs ſui gratia cum eodem colludentes. Ipſæ ſubtiles eorum impoſturæ, quibus infirmas mulierculas, quæ ſe obſeſſas fingunt, ad fabulam ſubornant, ut Exorciſtis fidem concilient, nimis evidentia malæ fidei argumenta præbent. Nota eſt hiſtoria Martæ Broſſeriæ, à Thuano *lib.* CXXXIII. fusè narrata, quam, detecta Lutetiæ fraude, auſi ſunt Romam deducere, ut de Senatu conquererentur. Inter alia, remedia miſeræ applicata, Clerus Aurelianenſis ſuffitum quendam, ex libro, *Flagellum dæmonum* dicto, adhibebat, quem inſeram, ut quales Exorciſtæ ſint, appareat. *Recipe*, inquiunt, *Galbani, ſulphuris, Aſſæ fœtidæ, Ariſtolochiæ, Hypericonis, rutæ, uncias tres. Et omnia ſimul conjurata ac benedicta ſequenti benedictione projice in ignem, & vexatum, velit nolit, diu fac ſuper ignem ſuffumigari.* Huic addunt *benedictionem horribilem contra Spiritus malignos.* Hoſcine Exorciſtas cum exorciſmis ſuis, quales in Theſauro Exorciſmorum A. M. DCVIII. Coloniæ impreſſo, cujus titulus ad fugandum vel audaciſſimum dæmonem idoneus eſt: *Theſaurus Exorciſmorum & conjurationum terribilium, cum practica probatiſſima diverſorum authorum;* Chriſtus inſtituit? Tales Apoſtoli fuêre? Hanc artem pii veteres exercuêre? Hic ordo ab Apoſtolorũ *fermè* (cautè ſic Delrio loquitur, quia à Chriſto vel Apoſtolis inſtitutum aſſeverare non potuit) temporibus inſtitutus eſt? Si ergo, juxta ipſum Delrionem *loc. cit.* pacti dæmoniaci ſuſpecti ſunt *laici & Clerici non præditi ordine exorciſtarum: qui hoc munus quaſi ex officio, aut peculiari gratia, donóve Dei uſurpant: illi quoque Clerici & religioſi, qui quaſi proprium ſibi vindicant;* ſuſpecti, imò comperti e-

runt Exorciſtæ Hierarchicorum omnes, qui idem factitant. Neque intereſt, quas formulas uſurpent, ab Eccleſia (quam pro vera nequicquam venditant) probatas an improbatas; cùm ex verbo Dei probare eas nequeant; & ipſi Exorciſtæ in Papatu haud rarò formulas ritúſque ab Eccleſia non probatos uſurpent; adeò ut ſæpè Maleficiatus idem ab uno Exorciſta ad potentiorem tranſeat. Denique habitus à Delrione deſcriptus, Exorciſtas eoſdem prodit. Stolâ enim Exorciſtæ dæmoni injectâ, eundem ligari Delrio ait, planè ſicut Magi Ethnici *veſtitu, lineis, coronis, &c. quaſi vinculis quibuſdam Diabolum ligare* ſolebant, Euſebio *Præpar. Ev. lib. v.* 6. narrante. Unde verò hæc ſtolæ vis? A natura? Negabit. A Deo ſupra naturam operante? Ubi revelatio, quæ rei fidem faciat? Ubi inſtitutio Divina, quæ ſtolæ hanc efficaciam largiatur? A dæmone ergo omnis eſt, qui ſe ligatum ſimulat, ut te liget.

ſive res in iis adhiberi ſolitas; XXXIII. Pergit Delrio à perſonis ad res. *Rerum*, inquit, *quæ adhibentur, vitium nullum invenias. Si adſunt accenſi cerei, teſtantur, lucis adventum expectari à vera luce Chriſto, & fugam poteſtatis tenebrarum. Si flagella & alapæ accedunt, moderatè fit, non ut corpus obſeſſi lædatur, ſed ut contumeliæ impatiens obſeſſor, diffugiat. Manum exorcizandis imponere docuére Apoſtoli & B. Martinus. Euchariſtiam in hunc finem energumenis & oſtendere, & ſumendum præbere, efficax & frequens ſemper fuit.* An ſic, Delrio, res omnes, quibus, ceu remediis, Exorciſtæ veſtri utuntur, bona fide recitâſti? Atqui inter res illas etiam eſt ipſe *Diabolus*, ex quibus conſtituitur princeps, qui alios ejiciat; quod licitum eſſe, Hieronymus Mengus *in Flagello dæmonum* tuetur: ſunt *amuleta, thus, panis, ſal benedictum, rami palmarum, campanæ, agni cerei, oleum, aqua incenſa, galbanum, ſulphur, hypericum, ruta* &c. à quibus Diabolum affici, vexari,

vexari, cruciari, pelli Mengus, aliique defendunt. Etiam ſanguine humano poſtibus illito fugari dæmonia Ludovicus Banairolus à Serario *Comment. in Tob. cap.* 8. citatus ſtatuit. Taceo ceremonias plures, nec non figuras, quas inter cruces multiplicatæ eminent. Hæc aliáque vim afficiendi & pellendi dæmonem habent vel à natura; vel ab inſtitutione Divina. Non ab illa, quia res ejuſmodi corporeæ nîl valent in dæmonem, quod ipſe etiam Raphaël de la Torre, Doctor Pontificius *Diſput.* 17. adverſus Delrionem, Serarium, Mengum demonſtrat. Non ab hac, quia Divinâ ad efficaciam ejuſmodi in dæmonem exerendam inſtitutione deſtituuntur. Euchariſtia maximè obſignat gratiam ſpiritualem, non demum dæmonem fugat, ad quam etiam ſumendam Energumenus, quandiu talis eſt, diſpoſitus neutiquam eſt. Horribilis proin hæc Sacramenti profanatio eſt, quando ceu pharmacum quoddam in φαρμακείαι convertitur. Neque etiam quid ſignificent ejuſmodi media; ſed quid operentur, & unde operentur, ediſſerere nobis Delrio, ſimulque, cur ſimilibus mediis utentes incantatores aperti Magiæ crimine arceſſendi, at Exorciſtæ ab eodem abſolvendi ſint, exponere debuit.

ubi: aſylum rerum & mediorum ab Eccleſia approbatorum vel improbatorum tutum neutiquam eſſe oſtenditur;

XXXIV. Neque hîc tutum eſt confugere ad aſylum approbationis & improbationis Eccleſiæ, ut licita videlicet judicentur media, quæ probavit Eccleſia Papalis, illicita, quæ improbavit; tum quia Pontificiæ Eccleſiæ autoritas apud alias Eccleſias, quæ impietatis Magicæ mediorum ejuſmodi uſum inſimulant, nullo in numero eſt: tum quia approbationis ſuæ veritatem nullo certo principio demonſtrat: tum quia nullius Eccleſiæ Hierarchicorum conclavis, nullius Papæ judicio determinatum eſt, quæ media, qui ritus, quæ formulæ, quibus caſibus, quæ ars & methodus exorcizandi tantùm adhibenda ſit: tum quia media plurima ante ullam Eccleſiæ diſcuſſionem vel

approbationem, nullo diſcrimine, uſurpata ſunt: tum denique quia fatentur celebres Doctores, ſibi hactenus certa ſigna, quibus ante dæmoniaca legitima à ſuperſtitioſis diſcernant, comperta non fuiſſe, uti ex Raphaële de la Torre *Diſp.* 37. *ſſ.* 30. & Gregorio de Valentia *ad* 2. 2. *diſp.* 6. *quæſt.* 13. *puncto* 3. aliiſque abundè colligitur. Valentia enim ipſe fluctuans miriones ſuos Exorciſtos in bivio miſeros relinquit, generalibus legis cuncta involvit, & pauca licet, ac vix centeſimam Exorciſticæ praxeos partem attingens, nihil tamen determinat, neque ullam Eccleſiæ determinationem indicat. Et quicquid ſalvi conductus ſignis diacriticis & ceremoniis aut ex permiſſione aut conſenſu Eccleſiæ, Epiſcopi, aut Theologicæ facultatis huc accerſunt, nihil aliud hinc confici poteſt, quàm quòd Magia hic & nunc licita ſit, quia non peragatur ſine permiſſione ſeu conniventia Eccleſiæ, Epiſcopi cujuſpiam vel Papæ. Nos verò ipſam Eccleſiam, Papam ipſum ſic permittentem, conniventem impietatis ejuſdem accuſamus meritò.

ſive quoad verba, ſeu ſacra illa, ſeu profana ſint, ſeu ad Deum ipſum & Sanctos dirigantur;

XXXV. De *verbis* rem expeditam eſſe, ait Delrio. Ex Thyræo enim monet, illa vel ad Deum, vel ad Sanctos, vel ad dæmonem dirigi. Ad Deum dirigi, *ut peccata remittat, miſereatur obſeſſi, potentiâ ſuâ dæmonem comprimat, ut exire compellat. Hoccine*, inquit, *Magicum dicent? Tollant igitur orationem omnem, ut jejunia ſuſtulêre. Negent fidem hiſtoriarum omnium, quibus efficacitas orationis in expulſione dæmonum conteſtata, reſpuant Chriſti Domini authoritatem, id Lucæ cap. ix. aſſerentis.* Ad Sanctos dirigi, *ut Dei amicos, gratiâ valentes, ut nobis impetrent, quæ petimus; eorúmque adjungi interdum merita, ut primò & præcipuè Deus filii merita aſpiciens, & oculos ultra porrigens ad iis tincta & imbuta merita Sanctorum, citiùs moveatur.* Ad dæmonem

nem denique dirigi, *increpando eum ſeverè, comminatoriè & per modum imperii, ſicut habet authoritatem à Deo: quo modo loquendi & ejiciendi dæmonem Apoſtoli utebantur, ſecuti exemplum Chriſti, & Sanctorum Eccleſiæ primitivæ. Nec Chriſti Jeſu, inquit, nomen ſolum inculcatur, ſed & alia Dei nomina, & cuncta Chriſti miracula, juxta illud Prudentii:*

—— torquetur Apollo
Nomine percuſſus Chriſti, nec fulmina verbi
Ferre poteſt: agitant miſerum tot verbera linguæ,
Quod laudata Dei reſonant miracula Chriſti.

Addunt alia nonnulla: petunt nomen dæmonis, exemplo Chriſti Marc. III. ut ſciamus, cum quibus confligendum: petunt cauſam ingreſſûs, ut à ſimilibus peccatis alii caveant, & eo vitato faciliùs ſanetur energumenus: ſignum egreſſûs petunt, ut conſtet jam verè liberatum ægrum. Mendax quidem Diabolus eſt; ſed exorciſmi verum invito extorquent. Denique jubent illum proficiſci in infernum, vel deſertum aliquod, ſub ſpe Divinæ ratificationis. Hactenus Delrio.

XXXVI. Sicut licita ſunt bella, quæ leges & neceſſitas tuendæ publicæ honeſtatis & tranquillitatis exigit: ita preces Eccleſiæ ſunt haud dubiè utiles & neceſſariæ. Magnam enim vim habet deprecatio juſti efficax, Jac. v. 16. Sed quemadmodum bella, quæ præter legitimam neceſſitatem geruntur, nihil à latrocinio differunt, & ſunt coram Deo tantò deteſtabiliora, quantò ſpecioſiori Regiæ Majeſtatis prætextu geruntur: ita Exorciſmi, qui præter verbum & vocationem Dei, verbis quantumvis ſacris, & Divinitùs inſpiratis, exercentur, tantò ſunt abominabiliores coram Deo incantationes, quantò majori ſanctitatis ſpecie geruntur. Tales ſunt Exorciſmi Hierarchicorum, prætextu verborum ad Deum, Sanctos (qui per merita ſua

ſua invocari ſine idololatriæ crimine nequeunt) & dæmonem, velati. Quomodo Judæi etiam exorciſtæ tam impii non fuerunt, ut dæmonem pulſuri ad Deum verba nulla dirigerent; ſed Magi tamen iidem veriſſimi, quia deſtituti dono & vocatione, verbis ſuis ad Deum directis ſingularem efficaciam tribuerunt. Sic planè Exorciſtæ Hierarchicorum in formulis ſuis adhibent verba concepta, quibus ſingularem efficaciam adſcribunt, puta Nomina Dei, Angelorum & Sanctorum, etiam vulgò ignota, cujuſmodi ſunt *Hel, Heloym, Heloah, Sabaoth, Eſerchereh, Adonai, Jehova, Jah, Tetragrammaton, Saday, Meſſias, Hagios, Iſchyros, Ho Theus, Athanatos, Soter, Emanuel, Agla, Alpha & Omega* &c. quæ nomina ordine iſthoc interjectis crucibus ita collocata invenire eſt in conjuratione apud Mengum, in Flagello *pag.* 225. & alibi paſſim. Quarum etiam vocum ſingularem vim & efficaciam idem Mengus *Prolegom. cap.* 8. aſſerit, quamvis, fatente eodem, Paulus Grillandus ſuſtineat, *nomina ejuſmodi vana eſſe & Magis uſitata.* Ejuſdem farinæ ſunt brevia & ſchedulæ, continentes ſancta verba Dei, aut nomina Dei, quæ clam obſeſſo alligari, eíque ad tollendam dæmonis vexationem applicari poſſe, idem Mengus *Proleg. cap.* 2. & 11. docet. Sed & verbis contumelioſis adverſus dæmonem, perpetuíſque mycteriſmis & ſcommatibus haud vulgarem efficaciam Mengus tribuit, & cœteris omnibus conclamatis, ad hanc veluti ſacram anchoram confugit, *pag.* 37. *ut Sacerdos imponat Spiritibus* (qui præ metu ſuperioris dæmonis veritatem revelare non audent) *nomina irriſiva, puta dicendo: Primus poſt principalem vocetur Fachinus, ſecundus piſtor, tertius coquus Acherontis, & hujuſmodi.* An ſic Chriſtus, ſic Apoſtoli dæmones pepulêre? An verba ejuſmodi ad Deum directa, cum opinione ſingularis efficaciæ eorundem, fidelis precationis nomine venire

Digitized by Google

nire poſſunt? Planè uti jejunia piſcaria veri jejunii nomine hypocritæ venditant.

XXXVII. Non diffitentur Hierarchici ipſi, extare in Papatu varias exorcizandi formulas periculoſas & ſuperſtitioſas, quibus prævertendis editum eſt Manuale Exorciſmorum, cujus *parte* 1. *Inſt. j.* Exorciſtis edicitur, ſeriò caveant *omnes alias preces & ceremonias, quantumcunque bonæ & piæ appareant, quàm quæ in approbato Manuali præſcribuntur, adhibere, niſi obtentâ veniâ, & conſulto Ordinario.* Ante expurgationem igitur illam, formulas ſuperſtitioſas & Magicas obtinuiſſe, inficias ire nequeunt. Sed & Delrio ipſe *lib. vj. Anaceph. num.* 10. fatetur, plures Clericos & Religioſos *peculiares exorcizandi formulas, & ritus habere diverſos à communis Eccleſiæ ritibus & formulis.* Quin Index Expurgatorius A. M. DCXII. Madriti excuſus authoritate ſolenni, præſcribit, ut ex libro, qui inſcribitur *Ordo baptizandi cum modo viſitandi*, Venetiis A. M. DLXXV. impreſſo, *fol.* 314. deleatur *tota Exorciſmus Luciferina* (licuit ſcilicet Hiſpanis Inquiſitoribus Exorciſmum facere generis fœminini) *cujus initium eſt: Adeſto Domine tui famuli, &c. Deleatur item*, inquiunt, *alia Exorciſmus Cypriani, cujus initium eſt: Ego Cyprianus, &c. uſque ad Euangelium Johannis, quod eſt ad calcem &c.* Unde colligere eſt, vel ipſo Tribunali ſacro teſte, etiàm in Rituales libros Hierarchicorum, qualis eſt ille *Ordo baptizandi*, Exorciſmos planè Diabolicos & deteſtandos irrepſiſſe.

ubi formulas exorcizandi ſuperſtitioſas in Papatu adhiberi, ipſorum Hierarchicorum confeſſione evincitur.

XXXVIII. In *verbis ad dæmonem imperantibus*, exorciſmi proram & puppim conſtituere ſolent. Imperant porrò Exorciſtæ dæmoni, & imperando eundem cogunt, *ut doceat & revelet ea, quæ faciant ad ædificationem proximi & ſalutem obſeſſi* (ita Diabolus per imperium Exorciſtæ fit doctor & ſalvator hominum) *ut indicet nomen*

Seu dirigantur ad dæmonem, quò pertinent verba imperantia, in quibus exorciſmi prora & puppis collocatur,

men ſuum, ſocios, cauſam ingreſſûs, quo modo crucietur maximè, quis eum expellere debeat: (ita fit doctor ipſius Exorciſtæ, ſui proditor & confitens religioſus:) *ut confeſſa ratificet: ut promittat, ſe expulſum non relicturum ſocium, nec rediturum, & daturum ſignum egreſſûs: & reſtituturum ablata, Euchariſtiam inprimis* (ſic Exorciſta cum Diabolo contrahit, adeóque cum eo pactum expreſſum init; fingente obſequium, quod ultrò præſtat) *ut confiteatur aliquam fidei veritatem, & virtute ejus Deo exhibeat reverentiam, flectendo genua, inclinando caput, terram ter percutiendo, adorando trinitatem* (en Diabolum per imperium Exorciſtæ pœnitentem, reverentem Dei!) *ut Lucifer, omnéſque poteſtates infernales, dæmones contumaces & inobedientes in inferno crucient: ut dæmon principalis obſidens ſecum inferiores dæmones educat: ut conceptis verbis juret* (formulâ juramenti præſcriptâ ei tali: *Ego* &c. *ex nunc invoco Deum iratum* &c. *voco ſimiliter Luciferum cum omnibus aliis principibus furiis & pœnis infernalibus* &c. Sic dæmonis jam juramentum etiam fit controverſiæ omnis finis. Vah fœtidam & Diabolicam Theologiam!) Hæc aliáque plus quam Manliana imperia nomen Dei atrociter profanantia, & religionem univerſam ludibrio exponentia, in Manuali Navarri, Maximiliani ab Eynattem, Mengi flagello dæmonum, cum horrore legere eſt. Dæmones ſcilicet ipſos dicto ſuo audientes obſequentéſque habent. Quomodo etiam, Mallcolo *de Exorciſ. tract. j.* narrante, S. Theodulus, Sedunenſis Epiſcopus, ingentem campanam, à Leone Papa ſibi donatam, per dæmonum obſequia Româ Sedunum portandam curavit. *Quare* enim *non*, inquit Malleolus, *ſic Viri Catholici proficerent, ut ipſis obedirent dæmonia?* Nummi & feneſtræ extant, quibus non tantùm Theoduli, Patroni Sedunenſis, ſed etiam campanæ,

imò &

imò & Diabolorum campanam tergo geſtantium vorago inſculpta conſpicitur, fruſtrà Delrione, rerum Helveticarum ignaro, hiſtoriam ſuſpectante.

XXXIX. An ergò fidem facere potes, Delrio, an potes, quiſquis te exorciſtam jactas, *eo modo loquendi & ejiciendi dæmonem, Apoſtolos uſos eſſe, exemplum Chriſti ſecutos?* Etenim Chriſtus, Divina virtute & poteſtate præditus, Marci IX. 25. ſic dæmonem pepulit: Ἐγώ σοι ἐπιτάσσω, ἔξελθε ἐξ αὐτοῦ. *Ego tibi præcipio, exi ex eo.* An imperio ſuo ligavit dæmonem, ſubegit promittere, jurare, fidem confirmare, vera narrare, ſignum dare egreſſûs, ſtipulari, quòd comites ſecum abducere, & redire nolit? An tale quid fecerunt uſpiam Apoſtoli, fideles alii veteris Eccleſiæ? Illi verò dono illo ejiciendi dæmones præditi, illud non uſurpabant ſine ſpeciali inſtinctu Spiritus Dei, nec de effectu dubitabant, miraculorum fide præditi; qui confeſtim ſequebatur poſt orationem ad Deum, & imperium ad dæmonem nomine Dei. Neque eum in finem artem componebant, præſcribentes varias formulas & rerum etiam corporalium, poſt ſpecialem adjurationem, applicationes. Novi autem hi exorciſtæ, non Chriſti, non Apoſtolorum, ſed filiorum ſeptem Scevæ Judæi Pontificis (Act. XIX. 12. 13.) æmuli, nec dono miraculorum, nec vocatione Divina inſtructi, ex præſcripto novæ artis & methodi, cujus conſtitutiones & præcepta vix numerari poſſunt; dæmonibus imperare tentant. Quibus haud raro non tam verbis, quàm re ipſa impurus ille Spiritus reſpondet: *Jeſum novi, Paulum ſcio. Sed vos qui eſtis?* Hoc verò facit, quoties adversùs imperia eorum ſe contumacem gerit. Gerit autem ſæpiſſimè, nunquam geſturus, ſi imperia illorum talia eſſent, qualia fuerunt Chriſti & Apoſtolorum, qui irrito conatu nunquam aliquid dæmoni imperârunt. Si Chriſtus iis æquè ac Apoſtolis dedit jus imperii in ma-

qua Magica impietatis convincuntur.

los Spiritus, cenſebitur Deus in ipſis & per ipſos imperare dæmonibus. Deo verò imperanti dæmonem non obſequi, quid abſurdius eſt? Atque hæc ipſa imperiorum impotentia apud obſeſſos plures certiſſimam fidem facit tum illa Divina non eſſe, ſucceſſum aliàs infallibilem habitura: tum imperia, quæ ſucceſſum habere videntur, non vi ulla Divina, ſed conſenſione & ſimulatione mera Sathanæ, vel Exorciſtarum etiam impoſtura, ſucceſſum habere. Nam, ut aurea illa Johannis de Haſſia repetam, *ipſe ſimulat ſe captum, ut te capiat: ſe vinctum, ut te vinciat: ſe tuo imperio ſubditum, ut te ſibi ſubdat.* Quin etiam *poteſt* (ſic Raphaël de la Torre *de Poteſt. Eccl. coërcendi dæmones diſput. 3. pag. 14.* ſcribit) *unus dæmon alterum ejicere è loco aut ab hominibus per colluſionem; ſive dæmon ejiciendus ſit ordinis inferioris, ſive non: videlicet quia invicem ſibi obſequuntur propter aliquos malos fines, & quodammodo paciſcuntur, ut unus exeat ad alterius voluntatem.* Denique velim Exorciſta aliquis mihi Jeſuitam Cotonum v. g. adjurantem, & conjurando Sathanæ imperantem, ut doceat de vita Regis, Geneva plagiaria, locis Scripturæ Purgatorium probantibus &c. à Mago ſimili conjuratione & imperio dæmonem ligante, vinciente, ad facienda imperata cogente diſtinguat.

Caniſii Jeſuita imperare dæmoni non per Chriſtum, ſed per Mariam ſoliti; Cotonia, liorum dæmoni imperantium, ut de controverſiis fidei reſpondeat, vanitas.

XL. Præterire hic non poſſum magni illius Ignatianos inter nominis, Petri Caniſii, adjurare dæmonem ſoliti per nomen Mariæ, non Chriſti. Is adhibitâ ſtatuâ Mariæ Oetingenſis, imperiis ſuis ſubigebat dæmonem Mariæ laudes decantare, ſepties terram oſculari, Mariam ut Deum adorare, quinquies Orationem Dominicam & toties Angelicam ſalutationem recitare: quinimò non tantùm interceſſoris & benedicentis munere defungi, orando hunc in modum: *Maria gratiâ plena. Gratia & miſericordia ſit cum omnibus in hoc templo verſantibus. Oro Deum pro ipſis;*

ſed etiam Eccleſiaſtæ, concionando hæc in verba: *En Chriſtiani, nos Diaboli cogimur obedire Mariæ, & vos ipſi obedientiam negabitis?* Qui tandem egredi coactus ſæpiùs ingeminavit: *Væ, væ, væ mihi miſero. Intra viginti annorum ſpatium nullus dæmonum tantis tormentis ſubjectus fuit, quantis ego.* Hiſtoriam Haſenmullerus *Hiſt. Jeſuit. cap.* 8. *pag.* 308. commemorat. Gemellum eſt, quòd Delrio *lib. iij. part. j. q.* 7. inducit dæmonem Laodunenſis energumenæ ex ore Calvinianos irridentem & exclamantem, *nihil ſibi ab iis timendum, quoniam amici eſſent & fœderati.* Idem *lib. vj. cap.* 2. *ſs.* 3. *q.* 3. utitur teſtimonio ſagæ cujuſdam ad probandos exorciſmos, quòd illa puellam lemuribus ad Jeſuitas amandaret. Mitto Cotoni quæſtiones, Monachi Michaelis hiſtoriam Ludovici Gaufridi, aliorum, judicium controverſiarum fidei à dæmoniis expoſcentium inſaniam. Macte Viri Exorciſtæ! Flectere cùm nequeatis ſuperos, ut impietati veſtræ ſuffragentur, Acheronta imperiis veſtris movete alacriter, ut fides veſtra, exorciſmi veſtri, teſtimonio tali haud fortè indigni, propitium habeant.

XLI. Denique de *intentione* Exorciſtæ ſic Delrio: *Illa Magica non eſt, quia ſperat & cupit duntaxat pro officii ſui ratione ac munere, Divina poteſtate ſibi conceſſa & promiſſa, dæmonem in Dei nomine ejicere, & ſuæ conſortem naturæ ea miſeria eripere.* Officii rationem fruſtra ille urget. Quæ enim per miraculum duntaxat fiunt, officio & muneri ordinario neutiquam ſubjacent. Neque Divinam poteſtatem probat, quam prætexentes etiam filii Scevæ adeò non Diabolum expulerunt, ut eum potiùs inſeſſorem dominúmque paſſi ſint. Non noſcet multos Chriſtus, jactantes etiam: *Nonne in nomine tuo dæmonia ejecimus* Matth. VII. 22? Conceſſam ſibi & promiſſam non magis probabunt, quàm conceſſam ſibi ſimiliter & pro-

Sive denique quoad intentionem exorciſtæ, quam cum Magorum intentione convenire probatur.

 miſſam

miſſam poteſtatem morbos omnes ſanandi, linguis diverſis loquendi, mortuos ſuſcitandi. Deſtituti ergò dono, vocatione, mandato, promiſſione, nihil in nomine Chriſti, nihil poteſtate Divina agunt; ſed implicito ſaltem cum Sathana pacto conſtrictos ſe produnt, quamcunque præ ſe mentem & intentionem ferant. Sed verendum profectò eſt, ne eorum intentio conveniat cum intentione Magorum, hoc unum ſatagentium, ut ſcientes abſcondita, & facientes humanis viribus altiora, ſuis concupiſcentiis inſerviant, & Thaumaturgi, miraculorum patratores adeóque Deo ſimiles videantur. Quod vel ſolæ eorum fraudes creberrimæ, & μύθοι σεσοφισμένοι *fabulæ arte compoſitæ*, ab Eraſmo etiam in lepido Dialogo, cui nomen *Exorciſmus* dedit, irriſæ & exagitatæ teſtantur. Licet enim quondam Ambroſius *Serm. 91. de Invent. Corp. S. Prot. & Gervaſii* negare viſus fuerit, *fieri poſſe, ut quiſquam ſe Energumenum ſimulet*; experientia tamen contrarium clariſſimè teſtatur, nec ipſi adverſarii inficiantur.

Benedictionum licitarum & Magicarum diſcrimen explicatur.

XLII. Ab *Exorciſmis* in genere, atque in ſpecie iis, qui extra Sacramenta obtinent; ad *Benedictiones*, quæ ipſæ tamen Exorciſmorum quandam rationem habent, pergimus. Utiles & neceſſarias eſſe benedictiones quaſdam creaturarum, ad uſum noſtrum Divinitùs deſtinatarum, ultrò fatemur. Ita cibi, quibus veſcimur conſervandi corporis ergò, cum benedictione, hoc eſt, verbo, precibus, piis votis & gratiarum actione ſanctificantur, 1. Tim. IV. 3. 4. Par ratio ſymbolorum Sacramentalium, Divinitùs ad uſum ſuum legitimum inſtitutorum, quibus Dei verbo præeunte & gubernante, Chriſti videlicet mandato & exemplo, ſolenniter benedicimus. Hæc benedictio pia, utilis & neceſſaria eſt. Diſpar planè ratio eſt benedictionis illius, qua creaturis quibuſvis benedicendo eam virtutem & efficaciam homines imprimere conantur, quam eæ neque ex

que ex

que ex natura ſua & intentione Dei Creatoris; neque ex inſtitutione ſupernaturali certáque revelatione Divina habent. Quæ haud dubiè ſpecies quædam Magiæ implicitæ eſt; confitente haud obſcurè Auguſtino Hunnæo, qui axiomata ex Thomæ doctrina collegit, cujus hæc verba ex 2. 2. *Th. q.* 96. *art.* 2. legere eſt: *Uti rebus ad eos effectus aſſequendos, procreandos vel prænuntiandos, quorum ille res, neque cauſæ ſunt, neque legitima ſecundùm Divinam vel naturalem inſtitutionem ſigna, ſuperſtitioſum eſt; & à religione Chriſtiana alienum.* Ita ſi quis, extra uſum Sacramentorum, de quibus hîc non agitur, petat, uti Hierarchici in Miſſali ſuo ſolent, *ut hic panis ſit omnibus ſumentibus ſalus mentis & corporis* &c. ut Deus *vino benedicat, ut ſit contra omnes morbos & venenata, & immunda, atque univerſas inimicorum inſidias tutamentum, remedium contra periculum corporis & animæ, & prægustatio ad vitam æternam* &c. non vacabit Magiæ ſaltem implicitæ crimine, quia certis verbis & ritibus, à quibus diſcedere nefas ducit, creaturas certas, contra naturæ ac inſtitutionis Divinæ ordinem, ad uſum ſupernaturalem & Spiritualem refert. Neque enim aliam ob cauſam agricolarum & muliercularum benedictiones Magicæ impietatis convincuntur, quàm quia benedicendo, creaturis efficaciam & virtutem quandam impertiri conantur, quam nec ex natura ſua, nec ex Divina inſtitutione obtinent.

XLIII. Benedictionibus ejuſmodi Papatus ſcatet totus. Vulgares & ſpeciales tot ſunt, ut numerus earum iniri nequeat. Eccleſiaſticas verò & communes ex Miſſali, Pontificali, Ceremoniali, Rituali ſeu Paſtorali, Durantis Rationali & libris Exorciſticis diſcere eſt. Libet velut in guſtum formulas nonnullas, quibus creaturarum quarundam metamorphoſes & incantationes Myſtæ hi peragunt, *Benedictionibus Magicis ſcatet Papatus. Formulæ benedicendi aquam, Sal, Agnos Dei, incenſum, ſulphur,*

repræ-

myrrham, aloë, radices, flores, herbas, campanas, ex Ritualibus Hierarchicorum depromuntur.

repræſentare. Aquæ benedictionem ejuſmodi Pontificale pag. 101. & 166. exhibet: *Exorcizo te creatura aquæ in nomine Pa † tris omnipotentis, & in nomine Jeſu † Chriſti, filii ejus Domini noſtri, & in virtute Spiritus † Sancti. Ut fias aqua exorcizata ad effugandam omnem poteſtatem inimici; & ipſum inimicum eradicare, & explantare valeas cum Angelis ſuis apoſtaticis.* Ubi Canon ait: *Benedictam aquam ſuper eos ſpargat*, ibi addit gloſſa, *ut per eam tollantur venialia peccata.* Salis, quo aqua benedicta ſeu luſtralis miſcetur, ejuſmodi benedictio *Ritual. de benedict. pag.* 226. extat: *Exorcizo te, Creatura Salis &c. ut efficiaris Sal exorcizatum in ſalutem credentium &c. ut effugiat atque diſcedat à loco, in quo aſperſum fuerit, omnis phantaſia & nequitia, vel verſutia Diabolicæ fraudis, omniſque ſpiritus immundus adjuratus per eum, qui venturus eſt judicare* &c. Agnorum Dei cereorum benedictionem Ceremoniale Romanum *lib. 1. fol.* 81. exhibet. Inter alia ſic benedicens loquitur: *Et quemadmodum ille Agnus innocens tua voluntate immolatus in ara crucis Jeſus Chriſtus filius, protoplaſtum noſtrum de Diabolica poteſtate eripuit: ſic iſti Agni immaculati virtutem illam accipiant, quos conſecrandos offerimus in conſpectu Divinæ Majeſtatis tuæ. Tu eos bene † dicere, Sancti † care, & conſe † crare digneris, ut tua larga benedictione ſanctificati, eandem virtutem accipiant contra omnes Diabolicas verſutias & fraudes maligni ſpiritus, ut illos devotè ſuper ſe ferentibus nulla tempeſtas eiſdem prævaleat, nulla adverſitas dominetur.* Similes benedictionum Agnorum cereorum formulas aliàs ſupra *Diſſert. xj. §. 2. Theſi* 77. &c. exhibuimus. Exorciſmum incenſi, ſulphuris, myrrhæ, ligni, aloës &c. ejuſmodi Mengus in flagello dæmonum *Append. pag.* 63. recitat: *Exorcizo te creatura incenſi, vel ſulphuris, vel*

Digitized by Google

ris, vel myrrhæ, vel ligni aloë, vel camphoræ, vel aſſæ fœtidæ per Deum † vivum, per Deum † Sanctum, per Sanctiſſimam Trinitatem &c. ut ſis in defenſionem noſtram, & efficiaris perpetua ſuffumigatio exorcizata, benedicta & conſecrata in ſalutem noſtram & omnium fidelium Chriſtianorum, & perpetua pœna ſis omnibus malignis ſpiritibus, & fortiſſimus ac infinitus ignis eorum, & magis quàm ſit infernalibus ſpiritibus ſulphur & ignis infernalis, & omnis pœna &c. Ibidem *pag.* 25. 26. benedictionem *R. Hellebori albi, Florum geneſtæ;* & *pag.* 55. *rutæ* recitat. Herbarum benedictio vulgaris, in Ritualibus obvia, hæc eſt: *Domine Sancte Pater &c. Tu bene † dicere, & ſanct † ificare digneris has creaturas herbarum, ſicut benedixiſti quinque panes in deſerto, & duos piſces, & ſatiâſti quinque millia hominum virorum, omnéſque qui utuntur ex eis, bene † dicere, ſanct † ificare digneris, ut eis ſit ſanitas animæ & corporis, in nomine Pa † tris, Fi † lii & Spiritus † Sancti. Et omnibus hominibus pecoribúſque, qui ex hoc guſtaverint, omnem putredinem, & omnia phantaſmata Diaboli, & omnem morbum, & omnem peſtilentiam, & dolorem expellere digneris.* Herbas quaſdam ſic benedictas moris nonnullis eſt die S. Johannis incendere, iiſdemque ad tempeſtates ſedandas, tonitrua, fulgetra, grandines, ipſúmque Diabolum depellendum utuntur. Pari ratione benedicunt campanis, imò eaſdem baptizant, *ut*, ſic Durandus *Rational. lib.* 1. 4. ſcribit, *per illarum tactum & ſonitum fideles invicem invitentur ad præmium, & creſcat in eis devotio fidei; fruges, mentes & corpora credentium ſerventur, procul pellantur hoſtiles exercitus, & omnes inſidiæ inimici, fragor grandinum, procella turbinum, impetus tempeſtatum & fulgurum temperentur; infeſtáque tonitrua, & ventorum flamina ſuſpendantur,*

Spiritus procellarum & aëreæ poteſtates proſternantur.

Benedictiones interpoſito ſigno crucis perficiuntur. Verbum, quo creaturæ ſanctificari S. Paulus 1. Tim. iv. 5. ait, ſignum illud crucis notare, perperam Bellarminus ex Theophylacto & Chryſoſtomo contendit.

XLIV. Hæ ſimiléſque benedictiones quid aliud ſunt, quàm Zoroaſtræi ſuſurri, quibus illi Væjovis Romani Dardanarii iucantationes ſuas peragunt? Atque benedictiones ejuſmodi interpoſito identidem ſigno crucis perficere, adeóque efficaciam omnem benedictionis in eo collocare illi ſolent. Eſſe equidem ſigni illius uſum antiquiſſimum, nulli inficias imus. Sœpè enim veteres ejus meminerunt. Neque hoc in dubium nos revocamus; ſed illud potiùs, quomodo & quo fine ab illis adhibitum fuerit. Nam ſœpiùs ſigni nomen orationi fidelium ad Chriſtum effuſæ dederunt; cui hoc ſignum, tanquam religionis ſuæ profeſſionem addiderunt. Id ſequens ſuperſtitio non obſervans, ſigno & memoriali abſolutè ſumpto virtutem mortis ac paſſionis Chriſti adeóque, quam *miſerabilem animæ ſervitutem* eſſe, S. Auguſtinus *de Doctr. Chriſt. lib. iij.* 5. pronuntiavit, ſigno, quod rei eſt, adſcripſit, ſicque id, quod impropriè dicebatur, propriè intellexit; atque ita primum illum & ſuperſtitione carentem uſum in abuſum profanum & magicum convertit. Nam à ſigno externo crucis, eóque certo numero, pari vel impari, ſcrupuloſè repetito, uti ex formulis allatis liquet, benedictionis & ſanctificationis efficaciam ſuſpendit. Ita in officio etiam Miſſæ prima vice ter ſignum illud fit, cùm dicitur. *Hæc dona* &c. Secunda quinquies dicendo, *quam oblationem;* tertia bis; quarta quinquies; quinta iterum bis, & ſecundùm Thomam ter; ſexta ter; ſeptima quinquies, quæ omnes vices ſua habent myſteria, à præſide Durantio *de Rit. Eccl. lib. ij.* 45. explicata. Et Bellarminus quidem *Controv. vij. lib. iij.* 7. locum S. Pauli 1 Tim. IV. 5. ubi S. Paulus creaturas quaſdam ſanctificari docet διὰ λόγυ καὶ ἐντεύξεως *per verbum & preces* fœdè detorquens, per verbum intelligit ſignaculum crucis;

crucis; atque eandem παρερμηνείαν Theophylacto & Chryſoſtomo falsò acceptum refert, cùm vim ſanctificationis totam illi poſuerint in gratiarum actione & verbo Dei, mentionem tantùm facientes ſigni crucis, tanquam ceremoniæ eo tempore uſitatæ, non certo utique numero, vel ſcrupuloſâ obſervantiâ, nedum ut efficaciam benedictionis ab eo, ceu verbo Dei ſuſpenderent, ſed ut notarent ſignificarentque, unde illa benedictionis per verbum & preces vis proficiſcatur, à Chriſto nimirum crucifixo. Unde etiam Claudius Guiliaudus, homo Pontificius, Sorbonæ totius judicio probatus, ſic locum S. Pauli explicat: *Per verbum Dei & orationem ſanctificantur: Quoniam per verbum Dei ſcimus credimúſque, nihil jam commune aut pollutum eſſe; per orationem, cùm Deum oramus, ut ea nobis donet, & pro datis gratias agimus.* Sed ſecum ipſe Bellarminus diſcors, Apoſtolum verbo Dei ſignum crucis intelligere pertendit; & tamen alibi *Tomo j. Controv. j. lib. iv. 7.* negat, in ſacra Scriptura præcipi, quòd creaturæ ſigno crucis ſanctificandæ ſint.

Rebus benedictis effectus ſupernaturales tres, puta delendi peccata venialia, dæmonem fugandi, & morbos curandi; Hierarchici deputant.

XLV. Benedictionum ſignaculo crucis certo numero formato ſanctificatarum formulis, quales ſuprà recitavimus, eoſdem Hierarchici effectus, qui in formulis illis continentur, tribuunt. Bellarminus *Controv. vij. lib. iij. 7.* rerum ſic benedictarum effectus ſupernaturales tres enumerat, valere eos *ad delenda peccata venialia, fugandos dæmones, & curandos morbos* aſſerens. Quo verò pacto rebus naturalibus ſic benedictis ſupernaturales effectus deputantes, cauſam ſuam à vetularum, aliorúmque Magorum benedictionibus illi diſparabunt? Non poterunt utique ullo, niſi Divinæ inſtitutionis tabulas, verbum mandati & promiſſionis producant. Cedò autem inſtitutionem Divinam, verbum mandati & promiſſionis! In traditione, non ſcriptura, ſi inſtitutionem & verbum illud oſtendere libuerit,

rit, ubi ergò illa traditio? In facto, inquient, corde & ore Eccleſiæ, Romanæ ſcilicet & Papæ. Jam ergò eadem actio magica erit, quando à Papa Romano non præſcribitur, probatur, laudatur: magica eſſe deſinet, quando à Papa præſcribitur, laudatur. Solum ergò jam præſcriptum, placitum, arbitrium Papæ, actionem Magicam, non magicam efficiet; ſicut iiſdem judicibus; Papa ex non peccato, peccatum facere poteſt. Poterit proin Papa eadem ratione, qua cœteris creaturis ſigno crucis benedictis ſupernaturales effectus tribuit, ſimiles etiam effectus benedicendo tribuere v. g. chartæ, cui inſcriptum eſt verbum *Abracadabra*, quomodo inter cœteros Q. Serenus *Præcept. de medic. cap. de curanda ſemitert.* rationem febris curandæ explicat hoc modo:

Inſcribas chartæ quod dicitur Abracadabra
Sæpiùs ——
His lino nexis collum redimire memento.

Syllogiſmo probatur, nil diſtare eos, qui effectus tales rebus benedictis tribuunt, à Magis v. g. iis, qui nomine Abracadabra chartæ inſcripto, hemitritæum curare olim conati ſunt.

XLVI. Si enim, liceat Syllogiſmo hoc rem conſtringere, aquâ, oleo, aliiſque rebus benedictione Pontificia conſecratis ad morbos, uti benedictionum formulæ inter alia promittunt, & Bellarminus aliique tuentur, curandos & depellendos uti licet; licebit etiam chartâ, cui inſcribitur *Abracadabra*, appenſâ collo uti ad hemitritæum depellendum, modò hæc charta benedictione Pontificia conſecretur. Atqui hæc charta, etiamſi more Pontificio conſecretur & benedicatur, non poteſt, citra Magiæ crimen, licitè adhiberi ad hemitritæum depellendum, idque hanc ob cauſam, quia Deus chartam ad hunc uſum non creavit, neque inſtituit extra ordinem, ut morbum eum curaret. Ergò eandem ob cauſam non licet, citra Magiæ crimen, aquâ, oleo, herbis, aliiſque rebus benedictione Pontificia conſecratis uti ad curandos morbos, vel alios etiam effectus ſupernaturales, ad quos producendos neque ſuâpte naturâ,

naturâ, neque Divinâ inſtitutione infallibiliter revelatâ valent. Propoſitio manifeſta eſt ex verbis Bellarmini. Is enim *loc. cit.* poſtquam ſecundam ſuam propoſitionem, quæ ſic habet: *Rectè ad effectus ſupernaturales efficiendos & ſignificandos utimur aquâ, oleo aliiſque rebus benedictione conſecratis*, deſcripſiſſet; *Nota*, inquit, *illa omnia, quæ diximus in Eccleſia benedici propter tres fines*, atque in illis numerat curationem morborum. Illa *omnia* ſignificat, quæ prima propoſitione comprehenderat; aquam, oleum, panem, cereos, cineres, *& ſimilia.* Similium autem nomine ſignificat omnes Dei creaturas, quod confirmat probatio, quam adjungit ex verbis Apoſtoli: *Omnis creatura Dei bona eſt*, &c. De illis ergò omnibus, id eſt, de omnibus Dei creaturis affirmat Bellarminus, eas, ſi Pontificio more benedicantur, rectè adhiberi ad curandos morbos, ſimiléſque ſupernaturales effectus. Et in Miſſali quidem, *Cap. de variis benedictionibus*, commemorantur varia; atque in genere eſt benedictio una *ad quæcunque comeſtibilia.* In Magiſtro Sententiarum adjunguntur alia, quibus Eccleſiam Dei jam diu Papa faſcinavit, veluti *roſa benedicta.* Et Anglo-Rhemenſes *in* 1. *Tim. iv.* non ſolùm varia numerant particularia præter ea, quæ Bellarminus *loc. cit.* recenſuit, verùm etiam ex Gregorio adjungunt, *omnia munuſcula, cujuſmodi crebra ad nos mittuntur Româ per Jeſuitas, roſas benedictas, agnos Dei &c. poſſe ſimiliter adhiberi ad uſus ſupernaturales, poſtquam fuerint bedictione Pontificia conſecrata.* Verùm verba Bellarmini ſatis complectuntur id, de quo agimus. Addit enim *arbores poſſe benedici ad morbos depellendos, quarum partes rami ſunt, & res ſimiles.* Fuit autem antiquitùs charta confecta ex ramorum cortice. Hodie verò conficitur ex lino; quod in illis eſt, quæ expreſsè fatentur poſſe ad ejuſmodi uſus benedici. Atramentum verò, qua

iteræ in charta ſcribuntur, fit ex aqua, quam ſimiliter benedictione ſua ſanctificant. Charta ergò, atramentum, linum, in hoc amuleto *Abracadabra* æquè ſunt creaturæ Dei, atque aqua, linum, oleum, roſa &c. adeóque æquè ac illæ benedici poſſunt. Conſtat ergò propoſitio Major. Minor haud minùs evidens eſt, non licere videlicet citra Magiæ crimen, charta, ſeu amuleto, quod *Abracadabra* ſibi inſcriptum habet, uti ad depellendum hemitritæum, quia Deus chartam eam ad uſum hunc nec naturaliter nec ſupernaturaliter inſtituit; uti adverſarii nulli diffitentur; & res ipſa docet. Nam ad curandum hemitritæum naturaliter chartam illam non conducere, manifeſtum ex eo eſt, quòd quæcunque naturaliter ad curandos morbos adhibentur, curationem faciunt ex tribus illis partibus medicinæ, puta victu, manu & medicamentis; charta verò illa ex nulla harum partium morbos curat. Neque etiam ſupernaturaliter ad curationem morbi illius adhiberi poteſt, quia ſpiritus Dei revelavit quæ ſuprà vim naturæ inſtituta ſunt, & adhibenda docent ad curandos morbos; de chartæ autem illius virtute ſupernaturali ad curandum hemitritæum nihil revelavit. Unde prono alveo fluit concluſio, non licere videlicet, citra crimen Magiæ, eandem ob cauſam aquâ, oleo, herbis, aliiſque creaturis benedictione Pontificia conſecratis ad curandos morbos, alióſque effectus ſupernaturales, uti. Qui ergò & benedicunt eum in finem, & benedictis rebus utuntur, quod Hierarchici faciunt, Magicæ impietatis manifeſti ſunt.

Eoſdem contra primum & tertium Decalogi præceptum peccantes, magiam exercere, &

XLVII. Sed & iis omnibus, qui rudimentis Chriſtianæ religionis vel ex ſolo catechiſmo imbuti ſunt, dubium eſſe nequit, nefas eſſe ejuſmodi creaturas quomodocunque benedictas ad ſupernaturales effectus, ad quos à Deo inſtitutæ non ſunt, adhibere, etiamſi res ejuſmodi conſecrentur benedictione non dico Pontificia; ſed etiamſi adhibeatur

loco

nomen Dei in vanum ſumere, probatur ulteriùs;

loco ſigni crucis, ceremoniæ ab hominibus inventæ; ceremonia Divinitùs inſtituta, velut elevatio manuum. Duo enim ſunt mandata, ex quibus hoc efficitur; alterum: *Ne ſint tibi Dii alii;* cui ſuccenturiatur illud; *Non ſit maleficus & incantator inter vos* Deuter. XVIII. II. alterum: *Non ſumes nomen Dei in vanum.* Exod. XX. 3. 7. Priori docemur omnem cultum, honorem, fiduciam, obedientiam ſummo Deo debitam, ſic eidem deferre, ne quidquam ex ipſis creaturis ad alios uſus adhibeamus, quàm ipſe inſtituit, & verbo ſuo comprobavit. Poſteriori ſic docemur ſanctificare nomen Dei, ut ne precationibus aut quibuſcunque verbis ſacris abutamur ad quaſcunque creaturas nobis ad alios fines diſtinatas, in alium, quàm Deus voluit, uſum conſecrandas. Nec invocatio igitur nominis Divini ſuprà creaturas, nec ceremonia Divinitùs inſtituta, nedum Pontificia benedictio, ſuperſtitioni incocta penitùs, efficere poteſt, ut creaturæ effectus, ad quos à Deo inſtitutæ non ſunt, edant; & qui effectus ejuſmodi præviâ invocatione, & ceremoniâ etiam Divinâ, nedum Pontificiâ benedictione tentant, utriuſque præcepti violati, ipſiuſque etiam impietatis Magicæ rei ſunt.

& Bellarmini exceptio eliditur.

XLVIII. Bellarminus *Controv. vij. lib. iij. 7.* negat, ſe benedicendo violare vel præceptum Dei primum, quo vetamur alios habere Deos, adeòque magiæ litare: vel tertium, quo nomen Dei in vanum ſumere prohibemur. Non illud, *quia*, inquit, *malefici & incantatores ſunt, qui Diaboli poteſtate aliquid mirum operantur:* non hoc, *quia aſſumere nomen Dei in vanum propriè nihil eſt aliud quàm pejerare, ut rectè explicat Concilium Toletanum viij. c. 2. At qui aquam benedicunt, nec pejerant, nec Diabolum invocant, ſed ſolùm religioſè Deum precantur. Tota enim virtus æquæ luſtralis nititur verbo Dei & oratione.* Hæc Bellarmini exceptio ſi pondus habet, abſolvetur

tur

tur pariter à Magiæ crimine, qui chartâ, cui inſcribitur *Abracadabra*, cruce modò & benedictione ſanctificatâ, ad morbum hemitritæum curandum utitur; quia talis nec pejerat, nec Diabolum invocat. Neque enim pejerat, qui ſanctificat creaturas ad ejuſmodi uſus: neque neceſsè eſt, ut omnes, qui iſtiuſmodi amuletis utuntur, Diabolum invocent. Imò Bernhardo Gordonio, aliiſque Medicis Chriſtianis teſtantibus, manifeſtum eſt, ejuſmodi amuleta ſæpè adhiberi cum invocatione nominis Dei, non autem cum invocatione dæmonum. Teſtantur id ipſum formulæ Magicæ, quæ in Magorum libris occurrunt, velut apud Cornelinm Agrippam, Petrum de Alano, ubi Divinæ illæ appellationes *Jah, El, Adonai, Elohim, Elohe Zebaoth, Elion, Sadai* &c. nec non phraſes & loca Scripturæ frequenter occurrunt. Quid ergò aliud reſtat, quàm ut Magia univerſa, ſolo crucis ſigno & invocatione nominis Dei ſuper creaturas interveniente, & inſtrumenta mutante, in Eccleſiæ gremium recipiatur. Non ergò Magus & incantator is tantùm eſt, qui Diabolum expreſsè invocat, ejuſque ope arduum quid tentat: ſed is quoque, qui creaturis ſive more Pontificio, ſive invocatione vera ſolius Dei benedictis utitur ad effectus, ad quos Divinitùs producendos inſtitutæ non ſunt. Quod ad Magiam implicitam utriuſque generis, ſuperiùs à nobis deſcriptam ſufficit. Si enim hujuſmodi quid efficient ſacræ iſtæ res, efficient non virtute Dei, qui effectus ejuſmodi creaturis illis nec indidit, nec promiſit: ſed Dæmonis ope; adeóque verè Magicæ erunt. Ita veriſſimè Martinus Navarrus *Enchirid. Confeſſ. cap.* ỹ. ſſ. 31. & cum eo Scholaſtici & Theologi uno conſenſu omnes docent, *eos, qui putant ea, quæ efficiuntur opera Magorum, divinantium & incantatorum, etiamſi ad ſanitatem perveniatur, effici virtute verborum & rerum, quas applicant, cùm hujuſmodi res juxta naturam ſuam*

ad

Digitized by Google

ad ſimilem effectum producendum tali virtute careant, peccare mortaliter, quoniam talem effectum dæmon efficit per alias cauſas naturales, quas ad id, ob pactum expreſſè vel tacitè cum incantatore conventum, applicat, ſecundùm Thomam quæſt. 96. *art.* 2. *& S. Antoninum par.* 2. *tit.* 12. *can.* 1. *& reliquos omnes in ſecundum librum Sententiarum diſt.* 3. S. Paulus Epheſ. v. 5. dicit, avarum eſſe idololatram. Quam ob cauſam? Poteſt enim avarus invocare nomen veri Dei. Nempe fiduciam ponit in pecunia, quam in ſolo Deo collocare debuit; adeóque pecuniam ſuam Deum ſuum facit. Sic illicitis mediis utens, & creaturis tribuens eos effectus, quos Deus iis nec in verbo, nec in natura tribuit, ſive nomen Dei ſuper eas invocet, ſive non, magus & incantator eſt, & alios Deos habet, quia non acquieſcit ordine Dei, atque id à Deo expectat, quod non Dei, qui nuſpiam promiſit, ſed ſolius dæmonis ope contingit. Neque etiam is duntaxat nomen Dei in vanum ſumit, qui pejerat; ſed etiam qui nomen Dei non ſanctificat, uti ſanctificare debuit, eo abutitur, atque illud quocunque modo profanat. Mandata enim quævis Dei non exteriora duntaxat facta prohibent, ſed generalem habent ſententiam, atque breviſſimo compendio omnia ea, quæ ad pietatem & ſanctitatem pertinent, conſtringunt.

XLIX. Sequuntur errores Magici, quibus Sacramenta, Baptiſmus & Cœna Domini polluuntur. Et *Baptiſmus* quidem variis *exorciſmis contaminatur*. Salem enim, aquam & oleum, ut in Magicis fit adjurationibus, iis Hierarchici deſtinant uſibus, quos nec à natura habent, nec à Deo acceperunt. Et benedictio quidem ſalis in Ritualibus eorum ſic habet: *Exorcizo te, creatura ſalis, in nomine Dei Patris omnipotentis † & in charitate Domini noſtri Jeſu Chriſti † & in virtute Spiritus Sancti † exorcizo te per Deum vivum † per Deum verum † per Deum Sanctum*

Baptiſmi Sacramentum exorciſmis Magicis Hierarchici polluunt. Benedictionis ſalis in Baptiſmo adhibiti formula, ejúſque impietas.

ctum † per Deum † qui te ad tutelam humani generis procreavit, & populo venienti ad credulitatem per ſervos ſuos conſecrari præcepit, ut in nomine Sanctæ Trinitatis efficiaris ſalutare Sacramentum, ad effugandum inimicum. Proinde rogamus te, Domine Deus noſter, ut hanc creaturam ſalis ſanctificando ſanctifices † & benedicendo benedicas † ut fiat omnibus accipientibus perfecta medicina, permanens in viſceribus eorum, in nomine ejuſdem Domini noſtri Jeſu Chriſti, qui venturus eſt judicare vivos & mortuos, & Seculum per ignem, Amen. Salis ſic benedicti in Baptiſmo uſus hic mox indicatur: *Deinde immittat modicum ſalis benedicti in os infantis, dicens: N. Accipe ſalem ſapientiæ. Propitiatio tibi ſit in vitam æternam, Amen.* In hac Salis benedictione & uſu non unum, ſed plura & concatenata peccata concurrunt. Pauca notabimus. *Primò,* horrendus in ea eſt nominis Divini abuſus, utpote quod uſurpatur ad mirificam quandam potentiam derivandam in creaturam ſalis, quam illa à Deo nec in creatione, nec in ſupernaturali quapiam inſtitutione accepit, adeóque aliunde quàm à dæmone habere nequit. *Secundò,* benedictio habet, *Deum* hanc conſecrationem ſalis *præcepiſſe.* Ubi verò, quando, quo verborum tenore præcepit? *Tertiò*, addit, ſal *effici ſalutare Sacramentum.* Aquam Baptiſmi, Panem & vinum Euchariſtiæ Deus hoc honore dignatus eſt: ſal nequaquam. Bis tamen in Baptiſmo Papiſtico adminiſtratur. Primò, ſiccum, purum, deinde aquæ mixtum. Aqua ſemel tantùm, nec pura illa, ſed ſale & oleo mixta. A potiori igitur ſi denominatio valet; hoc ſacramentum ſalis potiùs quàm aquæ nuncupabitur. *Quartò*, additur, ſal inſtitutum eſſe *ad effugandum dæmonem.* Unde verò id benedicentes illi exorciſtæ probant? Deus certè nuſpiam ad hunc effectum inſtituit. Si Papa inſtituit, viderit, unde efficacia illa ſali immittatur.

Digitized by Google

tur. *Quintò*, ſubjungitur, Sal fieri *perfectam medicinam*, & *propitiationem in vitam æternam*. Quem honorem S. literæ Chriſto deferunt, cujus meritum eſt panacea noſtra Eſaj. LIII. 5. quem propoſuit Deus propitiationem per fidem in ſanguine, Rom. III. 25. 1. Joh. II. 2. quæ propitiatio juxta Divinam inſtitutionem, purâ baptiſmi aquâ fidelibus obſignatur.

L. Salis ſacramento, quod vocant, exorciſmos ſubjiciunt binos, quibus primò immundum ſpiritum indefinitè, deinde ſpiritum immundum omnem ex baptizando ejiciunt; quos in Paſtorali Ruræmundano, & Rituali Romano prolixè recitatos legere eſt. Neque hîc finis eſt. Sathan enim ad inſtar erucarum in oleribus tenellæ infantis animæ mordicùs adhæret, nec facilè ſe divelli patitur. Igitur poſt omnes Exorciſmos Parochus apponit infantis naribus ſputum ſuum, cum his verbis: *In odorem ſuavitatis*. Addit mox: *Tu autem effugare dæmon*, quaſi odori ſputi Sacerdotis cedere debeat dæmon, qui ad Exorciſmos fulmina intonantes, pedem non movit. Quis ritus hos ſuperſtitioſos planè eſſe dubitat? Nam nec à Chriſto inſtituti, nec ab Apoſtolis uſurpati ſunt: & nullo inſuper modo neceſſarii, quin potiùs Chriſtianorum fidelium infantibus contumelioſi, parentibus ipſis terrifici ſunt. Neque enim liberi fidelium obſeſſi ſunt à Diabolo, utpote ſancti & mundi, 1. Cor. VII. 14. ac proin etiam baptiſmo, ad quem Spiritus malignus acceſſum non habet, offerendi. Sic author *Comment*. qui Ambroſio adſcribuntur, *ad h. l.* eos *Sanctos* dicit, *tum quia ex licitis conjugiis, tum quia ſub creatoris veneratione nati ſunt*. Novis verò Exorciſtis his ſi credimus, non ſolùm illi immundi, ſed cacodæmonum pleni ſunt, qui difficulter, nec niſi potentiſſimis Exorciſmorum machinis fugari poſſunt. Triſtis ſanè cogitatio mulierum parturientium animos ſubeat oportet, dum ſe-

Exorciſmorum, quibus in eodem Baptiſmo dæmones ex baptizando ejiciuntur, vanitas.

cum reputant, nunquam ſe parere infantem, quin ſimul cum eo pariant dæmonem; & ſi contigerit infantem non baptizatum mori, eum corporaliter à dæmone obſeſſum, eò abreptum iri, quò indulgentiſſima mater ne voto quidem vel cogitatione, ad inviſendum eum, aſpirare velit.

Eoſdem ſupplentes poſt baptiſmum non ſolennem, compellant dæmonem ubi non eſt, adeóque evocant.

LI. Quid quòd ritus illos Exorciſmorum ſimiléſque ſuppleri volunt poſt baptiſmum non ſolennem, vel ab hæreticis, uti vocant, collatum, uti ex Rituali Romano *de Sacram. Bapt. pag.* 41. colligitur? Plerique etiam omnes Scholaſtici, qui *in* 4. *Sent. diſt.* 6. ſcripſerunt, Sacramentalia illa (ſic enim vocant) in neceſſitate omiſſa, eſſe ſupplenda, ſi infans convaluerit. Cui verò bono infanti jam baptizato Exorciſmi illi inſervient? An baptizatus jam adhuc à dæmone obſeſſus tenetur? Et tamen baptiſmo labem peccati Originalis abſtergi, Tridentinis Patribus viſum. Quid magis ſuperſtitioſum, magicum, quàm compellare dæmonem, ubi non eſt; adeóque advocare abſentem? Nam quòd Paſtorale Ruræmundanum *pag.* 44. in rubrica, ſupplementum illud exorciſmorum referri *ad perfectiorem dæmonis ejectionem & pleniorem purgationem* ſtatuit, dilutum eſt; quia baptiſmo infantem plenè à dæmone & peccato ſolvi, tralatitia Hierarchicorum doctrina eſt; adeò ut & nobis & S. Paulo iraſcantur, docentibus, remanere in baptizatis aliquid, quod peccati veri nominis rationem habeat.

Baptiſmalium exorciſmorum impietas Magica,

LII. In his porrò Baptiſmalibus exorciſmis nihil non ſuperſtitionem & magiam redolet. Præterquam enim quòd non ulla vocatione & virtute Divina dæmonis expulſio tentatur, cuncta etiam præſcriptis conſtant formulis, à quibus ſi vel tantillum declinaveris, perit myſterium. Tot numero debent eſſe cruces, tot exſufflationes; quas ternas adhibent plerique, quia numero Deus impare gaudet. Celeb.

leb. Witakerus *Prælect. de Sacram, contr. de Bapt. q.* 6. monet, pueros à nonnullis vicies exſufflari, tricies puellas, fortè quòd in fœmineo ſexu tenacior ſit dæmon.

LIII. Haud equidem diffitemur, Exorciſmi uſum quendam in veterum baptiſmo obtinuiſſe. Cœterùm, præterquam quòd conſuetudo illa Apoſtolis & Apoſtolicis viris incognita planè fuit, & aliquot poſt eorum deceſſum ſeculis uſurpari cœpta; alterius etiam & diverſiſſimi generis exorciſmi illorum fuerunt ab iis, qui in Eccleſia Romana hodiè recepti ſunt. Aliquando enim Exorciſmi nomine iis venit Catechiſmus, ſive inſtitutio prævia baptizandi: aliquando abrenuntiatio ſolennis Sathanæ & pompis ejus facta, quæ hodiè demum poſt Exorciſmum fit. Sed inſuper, quod rei caput eſt, Exſufflatio & Exorciſmus, ſimileſque ceremoniæ à veteribus adhibitæ ſunt, non tanquam ulla ratione in baptizando effectivæ; (Sacrorum quippe ſignorum efficacia omnis ab inſtitutione Divina pendet, hos verò ritus humanæ inventionis eſſe, ipſi Pontificii fatentur) ſed tanquam umbræ & figuræ hieroglyphicæ, quibus vis & efficacia Baptiſmi Divinitùs inſtituti Catechumenis & populo duntaxat ſignificaretur. Id quod ex pluribus S. Auguſtini aliorúmque locis, noſtri demonſtrârunt.

quæ nullum in veteris Eccleſiæ Exorciſmo in baptiſmo inerentis, praxis præſidium habet.

LIV. Exorciſmis præmiſſis diffidentes, *oleum* ſalutis addunt, *oleum Catechumenorum*, quod ex ſuperſtitioſa conſecratione, ad omnem Diaboli exercitum eradicandum vim habere maximam putant. Poſtremò, aquam exorcizatam, & ſale ac chriſmate itidem exorcizatis conditam, gratiam conferre ſtatuunt *ex opere operato*, quod nimis profectò magicum eſt. Hanc enim vim aqua nec ex ſe, nec ex condimentis, nec ex Divina inſtitutione habet. Lavacrum eſt regenerationis & renovationis Spiritus S. quam videlicet Spiritus S. efficit, lavacrum aquæ obſignat Tit. III. 5. *Salvat nos baptiſma*: non ipſum propriè ſignum,

Benedictio olei in baptiſmo; & vis aquæ exorcizatæ & chriſmate exorcizato conditæ tributa conferendi gratiam ex opere operato, magiam ſapit.

 ſed

ſed ſignatum; non res terrena, ſed cœleſtis; non *depoſitio ſordium carnis*, lavacrum externum; ſed *interrogatio bonæ conſcientiæ apud Deum*, quæ paraphraſis eſt πεποιθήσεως & fiduciæ noſtræ, quam ex reſurrectione Chriſti ad Deum habemus, 1. Petr. III, 21. Unde Baptiſmum *Sacramentum fidei* Auguſtinus *Epiſt.* 23. appellat. Illi contra ex aqua idolum faciunt, uti quidem magiam ſecundam idololatriam eſſe, ex Tertulliano ſuprà docuimus.

In Eucbariſtia corpus Chriſti certorum verborum murmure ex Cœlo Hierarchici excantant.

LV. In *Eucbariſtia* longè graviùs Hierarchici peccant, Aquæ enim Baptiſmi ſubſtantiam relinquunt: Panem verò & vinum Euchariſtiæ, quinque verborum prævio murmure, deificant, efficiúntque adeò, ut Jeſus Nazarenus, qui ante plus quàm mille ſexcentos annos Hieroſolymis crucifixus eſt, atque inde in Cœlum aſcendit, & ad dextram Dei, manſurus ibi uſque ad conſummationem rerum omnium, conſedit, prolatis verbis, *Hoc enim eſt corpus meum*, nec pluribus, nec paucioribus, cum carne, ſanguine & oſſibus, Panacearum ſpecierum tantummodo, laxéque pendentium accidentium tenui palliolo contectus & amictus, perſonaliter appareat. Quod certè Magiæ ſpecimen illam Pythoniſſæ Endorenſis, Samuelem perſonatum & palliatum repræſentantis impietatem, omniáque necromantiæ monumenta multis paraſangis ſuperat.

Excantationem eam Magicis exemplis ſagarum, lac vaccarum de manubriis ſecurium extrahentium, Iovis Elicii &c. Gabr. Biel Cœlius Rhodiginus &c. illuſtrant.

LVI. Hinc adèo deificationem illam panis & vini, quam monſtroſo vocabulo *Transſubſtantiationem* appellant, magicis exemplis illuſtrant, quæ ſupra *Diſ. XI. ſ.* 1. *Theſi* XLIII. XLIV. allegata, denuò allegare inſtituti ratio jubet. Gabriel Biel *in Canone Miſſæ lect.* 4. ſic ſcribit: *Breviter annotandum, quid in Miſſæ celebratione Sacerdos ſua virtute efficiat. Circa quod advertendum, quòd aliquid ab alio effici vel fieri, tripliciter poteſt accipi. Nam aliquid dicitur ab alio fieri vel naturali poteſtate, vel meritoria operatione, vel aſſiſtente virtute. Na-*

turali

turali poteſtate, &c. *Tertio modo* (*quo poſteà probat transſubſtantiationem fieri*) *aliquid dicitur ab aliquo fieri aliqua virtute occulta*, *non inſiſtente ei*, *à quo tale fieri dicitur*, *ſed aſſiſtente*; *ſecundùm quem modum* (*NB*) *malefici & incantatrices quoſdam effectus producere dicuntur*, *& extrahere lac vaccarum de ſedibus*, *ſeu manubriis ſecurium*, *quod fit non virtute naturali maleficorum*, *neque ex eorum merito*, *ſed virtute occulta ſive bona*, *ſive mala aſſiſtente*. Ita Cœlius Rhodiginus *Antiq. lect. lib xvi.* 14. *Quæſtio*, inquit, *diu agitata veteribus eſt*, *inſitne vis aliqua verbis certâ quâdam formulâ enuntiatis? Equidem Chriſtianæ veritatis cultor qui poſſit inficiari? Quando Princeps ille rerum ac Summi Patris Filius*, *ex vero verus Deus*, *præfatione Sacerdotis breviſſima ſevocetur* (*NB*) *eliciatúrve à cœleſti ſede. Cui ſimile quiddam & priſcorum vana ſuperſtitio aut habuit*, *aut credidit*: *quando & Tullum Hoſtilium Piſonis tradidére monumenta*, *ex Numæ libris eodem operatum ſacro*, *Jovem elicere Cœlo*, *quem & inde Elicium vocabant*, *quod in Faſtis cecinit Poëta nobilis*, *conatum*, &c. Huc pertinent Franciſci, quæ *Conformit. lib.* 1. *parte* 2. *pag.* 177. extant, verba: *Ut quid non cognoſcitis veritatem*, *& creditis in Filium Dei*, *qui quotidie ſe humiliat. Sicut quando è Regalibus ſedibus venit in uterum virginis*; *quotidie venit ad nos ipſe humilis apparens*, *quotidie deſcendit de ſinu Patris ſuper altare in manu Sacerdotis?* Ita Biel idem, qui ſuprà, *Lect.* 4. *in Can. Miſſæ*: *Cœli*, inquit, *Regina & mundi domina prolatis octo verbulis*: *Ecce ancilla Domini*; *fiat mihi ſecundùm verbum tuum*; *ſemel concepit Dei Filium & mundi Redemptorem. Iſti autem à Domino conſecrati*, *quinque verbis*, *contextam conſecrationis formam cum debita intentione proferentes*, *eundem Dei virginiſque Filium advocant quotidie*

corporali-

corporaliter, in ſacrificium & criminum purgationem. Blaſphemiam auget Alexander de Ales *parte iv. q.* 53. *membro* 2. ubi veram eſſe opinionem, dicentem, *quòd corpus Chriſti defertur, quocunque ſpecies deferuntur, ut in ventrem canis, vel ſuis, vel in alia loca immunda;* nec non Thomas Aquinas *p. iij. q.* 80. *art.* 3. ubi aſſerit, *ſimus aut canis hoſtiam conſecratam manducet, ſubſtantiam corporis Chriſti non deſinere eſſe ſub ſpeciebus, quandiu ſpecies illæ manent, ſicut etiam, ſi projiceretur in lutum.* Verba Authorum ſuprà producticra recitavi. Quibus addo Claudium Eſpencæum *Continuat.* 3. *Conf.* referentem, quòd illam Chriſti de Cœlo deductionem in altare ex Sacerdotibus & Eccleſiaſticis ſœpè audiverit; quos tamen excuſare nolit, uti nec *Sententiarios, Quæſtionarios, Rationarios, Manipularios, Scholaſticos,* ſi qui ita locuti ſint, de quibus conſilium illud Quintiliani ſuggerit: *Diu non niſi Optimus quiſque, & qui credentem ſibi minimè fallat, legendus eſt.* Sic ergò quinque, non plures, nec pauciores, voculæ illæ, *Hoc enim eſt corpus meum,* Chriſtum ad dextram throni Majeſtatis conſidentem, denuò à cœleſti ſede ſevocatum & *elicitum* humiliant, ut in magno periculo verſetur, ne à canibus, ſuibus, muribus aut vermibus comedatur, vel in lutum projiciatur. O tenebras! O cœcitatem! O impietatem Magicam extremam!

Unctiones in Sacramentis ſpuriis adhibitæ, magicam impietatem ſpirant.

LVII. Non vera duntaxat Sacramenta Hierarchici Magica impietate polluunt; ſed in ſpuriis etiam & à ſe conſictis unctiones aliáque adhibent quibus effectus, quos nec à natura, nec à Deo ſuprà naturam operante habent, deputant. In Concilio Meldenſi *cap.* 1. apud Bruchardum *lib. iv.* 75. & Ivonem *par.* 1. *cap.* 268. conſtitutum afferunt, ut tres ampullæ à Presbytero quintâ feriâ in Cœna Domini afferantur, *una ad oleum Catechumenorum, altera ad*

Digitized by Google

ra ad chriſma, tertia ad oleum infirmorum. Duplex tamen diſtinguere oleum ſolent; alterum ſimplex, quo Catechumeni in pectore & ſcapulis, & in fronte, antequam abluantur; nec non infirmi & energumeni: alterum balſamo mixtum, & *chriſmatis* nomine inſignitum, quo baptizandi in vertice, confirmandi in fronte, & ordinandi etiam unguntur, de quo plura Caſalius *de Vet. S. Chriſt. Ritibus cap.* 37. habet. Nos de *chriſmate*, cujus potiſſimus in Sacramento Confirmationis uſus, & *oleo*, quo in extremæ unctionis Sacramento infirmi ungi ſolent, pauca dixiſſe ſatis habebimus.

Chriſmatis exorciſmi, effectus & myſteria.

LVIII. Chriſmatis exorciſmus in Rituali *de Benedictionibus pag.* 239. extat talis: *Exorcizo te Creatura olei per Deum Patrem, &c. ut fias omnibus, qui ex te ungendi ſunt, in adoptionem filiorum Dei per Spiritum S.* In Pontificali *pag.* 177. 179. 180. ter cantatur: *Ave Sanctum chriſma. Ave Sanctum oleum.* Durandus, Epiſcopus Mimatenſis, *Rationalis lib. vj. cap.* 78. benedictionem Epiſcopalem ampullæ, in qua chriſma eſt, & myſteria ampullæ illius fusè ediſſerit. Inter alia num. 17. ſic ille: *Ampulla Chriſtus eſt, vel ampulla cum chriſmate, corpus Domini ex Virgine Maria aſſumptum cum Divinitate, ſcilicet Chriſtum vivum eſſe ſignificat.* Ibidem: *Fertur ampulla cooperta ſindone alba, in ſiniſtro brachio; portantem ampullam præcedit lumen, & antecedunt duo Sacerdotes, unus cum thuribulo, alius cum cruce, & in medio eorum Diaconus, cum libro Euangelii, & ſuper capita eorum fertur umbraculum, ſeu pallium, & duo antecedunt cantando. In quo facto repræſentatur proceſſio, quam fecerunt, filii Iſraël, tendentes per deſertum ad terram promiſſionis: quoniam ſindon eſt arca: Ampulla urna: lumen præcedens ampullam, columna ignis, quæ præcedebat populum: Sacerdos cum thuribulo, Aaron cum thuribulo:*

Sacerdos cum cruce, Joſua cum ſceptro: Diaconus cum libro Euangelii, Moſes cum libro legis: umbraculum eſt tabernaculum, aut nubes lucidiſſima, quæ filios Iſraël obumbravit: qui cantantes præcedunt, lætitiam eorum ſignificant, qui ad terram promiſſionis tranſierunt. Nullus myſteriorum finis. Nam *num.* 19. ſic Durandus inſiſtit: *Ampulla ſtatim poſtquam benedicta fuit, ex parte cooperta, & ex parte diſcooperta, ut allata fuerit, ſalutatur ab Epiſcopo & Presbyteris, quia Chriſtus poſtquam tranſivit ad altare crucis, id eſt, ad immolationem, ſicut ampulla ad conſecrationem Epiſcopi, aliqua ex parte corpus ſuum nudum monſtravit, ut Thomæ & aliis diſcipulis, quos voluit eſſe teſtes ſuæ reſurrectionis: aliis verò inviſibilis fuit. Salutantur autem quinquies ampullæ ab Epiſcopo, ut de quinque vulneribus gratiarum actio Chriſto reddatur. Poſtquam autem ampulla ſalutata & à miniſtris altaris, cooperitur, ut à nemine nuda videatur, & cooperta iterum ſalutatur, quia Chriſtus poſtquam ſalutavit, & manifeſtavit ſe diſcipulis ſuis; quos voluit ſuos ſuæque reſurrectionis eſſe teſtes, aſcendit in Cælum, & inviſibilis factus eſt hominibus. Sanè Epiſcopus ter HALAT in ampullam: primò, quia ſicut halitus ab interioribus & ſecretis procedit ad publicum, & vocatur Spiritus: ſic Epiſcopus per Spiritum ſuum demonſtrat, Spiritum S. à Patre & Filio procedentem in corpore Domini habitare. Secundò, etiam halat, quia legitur in Euangelio, quòd Dominus inſufflavit in diſcipulos, dicens: Accipite Spiritum S. &c. Hic igitur halitus illam inſufflationem ſignificat. Ideò autem ter halat, quia tres perſonæ ſunt.*

Interveniente eo, Sacramentum Confirmationis certâ verborum

LIX. Tot exorciſmis, benedictionibus, myſteriis impregnatum chriſma, non tantùm certâ verborum formulâ interveniente, Sacramentum ordinarium Eccleſiæ ſuæ Hierarchici conſtituunt, ſed virtute etiam & effectibus planè eximiis

eximiis dotant mactántque. Verba, quibus ſacramentum hoc chriſmatis confirmando Epiſcopus (neque enim aliis fas eſt) adminiſtrat, hæc ſunt: *Conſigno te ſigno crucis, & chriſmate ſalutis, in nomine Patris, Filii, & Spiritus S.* His verbis, non aliis adminiſtratum Sacramentum, efficaciam habet. Effectus confirmationis ſeu chriſmatis ejuſmodi Eugenius decreto in Concilio Florentino ad Armeniorum inſtructionem edito, prodit: *Effectus hujus Sacramenti eſt, quia in eo datur Spiritus S. ad robur, ſicut datus eſt Apoſtolis in die Pentecoſtes, ut videlicet Chriſtianus audacter Chriſti confiteatur nomen. Ideóque in fronte, ubi verecundiæ ſedes eſt, confirmandus ungitur, ne Chriſti nomen confiteri erubeſcat, &c.* Similes effectus Bellarminus *de Sacr. Confirm. lib. ij. cap.* 11. pandit his verbis: *Gratiam confert gratum facientem, & quidem majorem, quàm ipſe Baptiſmus, in ordine ad roborandum animum adversùs Diaboli impetus; ſed minorem in ordine ad remiſſionem peccatorum, quia non remittit totam pœnam, ut facit gratia Baptiſmi*, quaſi non per Baptiſmum Chriſtum totum induamus. Vocant *oleum, chriſma ſalutis*, quaſi non Baptiſmus nos ſalvet, Uſque adeò ſuum illud chriſmatis Sacramentum laudibus ſuis in tertium Cœlum ferunt, ut bonus Galenus *Catech.* 120. *pag.* 366. diſertè negaverit, *ſine unctione* hac ſua *quenquam Chriſtianum effici;* literiſque mandaverit, *Baptiſmi fructus tantum abeſſe à conſignationis* (confirmationem intelligit) *perfectione, quantum eſt inter Virum & infantem diſcriminis.*

formulâ adminiſtratur, eique effectus ſpirituales tribuuntur.

LX. Inſtitutum porrò divinitùs eſſe Chriſma, ut crucis ſigno, & verborum illorum expreſſâ formulâ interveniente, effectus ejuſmodi ſpirituales & ſupernaturales præſtet, probari, certè hactenus nullo modo potuit. Neque enim chriſmatis ejuſmodi corporalis, nedum exor-

Papa, nullâ pravià Divinâ Sacramenti inſtitutione, chriſma in φαρμακεῖαν convertit.

cizati, & ſigno, crucis, accedente formulâ illâ verborum, ſpirituales ejuſmodi effectus vel ſignificantis, vel obſignantis, nedum ex opere operato coonferentis, S. literæ vel minimo apice meminerunt. Scotus ſanè *in q.d. 7. q. 1. art. 2.* Apoſtolos ſola manuum impoſitione hoc Sacramentum contuliſſe, docet. Quin & Alexander Alenſis in Summa Theologiæ juſſu Innocentii III. ſcripta, & ab Alexandro IV. diplomate munita, *Parte 4. q. 14. membro 1.* negat Sacramentum hoc à Chriſto inſtitutum eſſe aſſerítque, quantum ad formam verborum, & materiam elementorum in Concilio demum Meldenſi inſtitutum eſſe, his argumentis inductus, *quia non legitur in Scriptura, quando, vel ubi confirmatio inſtituta fuerit; & quia nec Chriſtus, nec Apoſtoli uſi ſint hâc vel materiâ, vel formâ, ſed ſolâ impoſitione manuum.* Unde concludit: *Sine præjudicio dicendum, quòd neque Dominus hoc Sacramentum inſtituit, neque diſpenſavit, neque Apoſtoli.* Bonaventura ipſe quoque hanc Præceptoris ſui ſententiam ſequitur; & cum eodem Jacobus de Vitriaco, Alenſis σύγχρονος, *Hiſt. Occid. cap.* 37. paria facit. Ut & Aureolus, Cardinalis Contarenus, alii. Illi porrò, qui à Chriſto inſtitutum hoc Chriſmatis Sacramentum ſciſcunt, non aliam rationem afferre poſſunt, quàm quia ſic Papa pronuntiet. Sic enim in Manipulo Curatorum Guidonis à monte Rocheni, Antuerpiæ A. MDLV. recuſo, ſed ducentis ante annis edito; *Tract. iij. cap.* 2. habetur: *Materia Confirmationis eſt chriſma. In quo quidem chriſmate ſunt duo, oleum ſcilicet & balſamum. Et ratio, quare iſta duo ſunt in materia hujus Sacramenti, eſt inſtitutio Chriſti, qui inſtituit, iſta duo eſſe materiam hujus Sacramenti. Licet enim* (NB) *non inveniatur in Euangeliis, quòd Chriſtus iſtud Sacramentum inſtituerit, tamen Beatus Petrus, qui fuit Vicarius Chriſti, paſtor ac rector univerſalis Eccleſiæ, ita docuit,*

docuit, ita prædicavit, Chriſtum inſtituiſſe. Et licet iſta promulgatio non inveniatur in Canonicis, id eſt, in Epiſtolis Beati Petri, tamen Dominus Papa habet in decretis Romanæ Eccleſiæ, & poteſt haberi ex obſervantia primæva totius Eccleſiæ univerſalis à tempore Petri uſque nunc: quæ quidem obſervantia præeminet authoritate quibuſcunque, cùm univerſalis Eccleſia regatur à Spiritu S. & errare non poſſit. Bella profectò demonſtrandi methodus! Chriſtus chriſma inſtituit, quia ſic S. Petrus ejus Vicarius teſtatur. S. Petrus id teſtatur, quia Papa id habet in decretis Eccleſiæ Romanæ, & poteſt haberi ex obſervantia primæva totius Eccleſiæ univerſalis, inde à tempore B. Petri. Veteres unctionem quandam adhibuiſſe in Baptiſmo, verum eſt; ſed eam ceu à Chriſto inſtitutam, vel ab Apoſtolis uſurpatam, vel ut Sacramentum à Baptiſmo diſtinctum, à ſolo Epiſcopo ſigno crucis, chriſmate exorcizato, formulâ verborum præſcriptâ, cum promiſſis chriſmati effectis illis ſupernaturalibus, adminiſtrandum, adhibuiſſe, non Petrus teſtatur, non Eccleſiæ univerſalis obſervantia loquitur, ſed ſolus Papa ille, αὐτὸς ἔφα, ſine ullis revelationis ſibi factæ tabulis, pronuntiat. Ille ſolus vetus ſymbolum, ſive admonitionis quoddam memoriale, in φαρμακείαν convertit. Nam φαρμακεία *incantatio* vera eſt, ſymbolis Divinitùs non inſtitutis, peculiari ritu nuſpiam præſcripto exorcizatis, accedentibus certis ſignis & verbis, vim & efficaciam ad producendos effectus ſupernaturales, ipſius etiam Baptiſmi effectibus quadantenus potiores, arrogare, quam nec à natura habet, nec à Deo ſuprà naturam operante habere, demonſtrari poteſt.

LXI. Haud diſpar ratio eſt *Olei infirmorum*, quo Extremæ Unctionis Sacramentum adminiſtrari ſolet. Ubi à Sacerdote ægrotum inungente, verba illa proferuntur: *Per iſtam ſanctam unctionem, & ſuam piiſſimam miſericordiam*

Par ratio eſt olei infirmorum in extremæ unctionis Sacramento.

am indulgeat tibi dominus, quicquid deliquiſti per viſum &c. Atque unctioni illi ſplendidiſſima quæcunque promittuntur, Spiritus S. inprimis unctio interna & gratia, qua delicta, ſi quæ ſuperſint, expientur, ægroti anima alleve-tur & confirmetur, magnáque in uncto Divinæ miſericordiæ fiducia excitetur, ad ſublevandum infirmum, quò morbi incommoda ac labores leviùs ferat, & tentationibus dæmonis, calcaneo inſidiantis, faciliùs reſiſtat, & ſanitatem corporis interdum, ubi ſaluti animæ expedierit, conſequatur. Ita Tridentini Patres *Seſſ. xiv. cap.* 2. Tale Sacramentum à Chriſto inſtitutum eſſe, Synodus jactat, non probat, nec probavit quiſquam hactenus. Nam unctio tum illa, qua Chriſtus uſus legitur Marc. VI. 13. tum illa, quæ Jac. V. 14. præcipitur, miraculoſa tota, ad morborum corporis curationem abſolutè tota refertur. Illa autem, qua Hierarchici utuntur, & ordinaria eſt, adminiſtraturque ab iis, qui dono miraculorum nullo pollent; & ad diverſos planè fines effectuſque dirigitur. Utrumque in Concilii Tridentini Anatome & Funere ſolidè demonſtravimus. Cùm ergò oleum, quo infirmos Hierarchici inungunt, vires, quas eidem illi tribuunt, non habeat vel à creatione, vel à Divina ordinatione, verbique ejus inſtitutione; à Φαρμακεία ſeu incantatione, adeóque Magia ſaltem implicita eas poſſideat neceſſe eſt. Taceo alia ſuperſtitionis manifeſtæ circa moribundos & mortuos genera; veluti frequentes aquæ luſtralis aſperſiones; crucis in pectus atque frontem deſcriptionem; imaginis Chriſti, Mariæ & Sanctuli cujuſpiam repræſentationem & adorationem. Defuncti jam manui in pectore recumbenti crux imponitur, aut ſaltem manus loco crucis in crucis modum decuſſatim componitur; & aqua benedicta ei ritè aſpergitur, quæ ſcilicet vim eximiam ad Diabolum à cadavere abigendum habeat. Quæ ſingula, aliáque haud diſſimilia

ſic

Digitized by Google

ſic comparata ſunt, ut Sacrificuli ſuis incantationibus homines ad tumulum uſque perſequi videri poſſint.

LXII. *Amuletorum*, quæ verborum, characterum, figurarum certarum conformatione conſtant, & efficaciam ſuam ex verbis, figuris, fide, imaginatione mutuantur, uſus Magicus haud dubiè eſt. Hanc tamen ſuperſtitionem per amuleta de collo ſuſpenſa mira præſtandi, Pontificiis Pontificius ipſe, Remigius Lotharingus, *lib. de ligaturis* impingere non dubitavit; & impegit meritò. Quid enim apud eos reliquiarum, cerearum Agni Dei effigierum, crucium, dictorum quorundam S. Scripturæ, Evangelii inprimis S. Johannis, Pſalmorum Davidis, chartis vel pergamenis inſcriptorum uſitatius eſt? Cùmque reliquiarum geſtationem etiam Ciruelus Darocenſis, quem ipſe Delrio *lib.* 1. *cap.* 4. *q.* 4. elogio *inſignis Doctoris Theologi* exornat, improbâſſet, *parùm cautè* eum locutum eſſe, Delrio *loc. cit.* queritur, ubi etiam concluſionem hanc ponit: *Quando in ipſis verbis, modo ſcriptionis, crucium numero, figura, vel ſimilibus ſpes non ponitur, pium & ſanctum eſt, reverentiæ cauſa Sanctorum reliquias, cereas Agni Dei effigies, Evangelium S. Johannis, Pſalmum Davidis, & ſimilia S. Scripturæ teſtimonia ſecum geſtare collo appenſa.* Sic ergò piè ſanctéque fecerint, quotquot amuletis ejuſmodi de collo ſuſpenſis ſibi fauſtiſſima quæque promiſerint, dummodo ſpem ſuam non in ligaturis, ſed in Deo collocaverint. Quo fuco omnis ſimplicium & credulorum Magia implicita tegi, & pietatis etiam ſanctitatíſque ſpeciem induere poteſt. Quòd ſi fragmenta ejuſmodi Scripturæ de collo ſuſpenſa vim ejuſmodi habent mira, fiduciâ modò in Deo collocatâ, efficiendi, quid non S. Scripturæ codex integer circumgeſtatus efficiet? Atqui non Scripturæ Syllabæ collo appenſæ, ſed ſyllabarum ſenſus cordi inſcriptus, & per Spiritum S. implantatus, ve-

Hierarchici amuletis utuntur.

râque

ràque fide receptus, procurandæ æternæ ſalutis, non mirabilium ejuſmodi efficiendorum promiſſionem habet. Quo argumento S. Chryſoſtomus *homil.* 43. *in Matth.* 23. ſtolidos myſtas, verbi Divini lacinias quaſdam collo alligantes, graviter pulſat.

non ſine præſentiſſima impietate Magica; quod amuletis inſcripta contra morbum comitialem, peſtilentiam &c. verba, comprobant.

LXIII. Quid judicaret nunc Chryſoſtomus, ſi modernos myſtas, Catholico ſupercilio turgentes, amuleta ejuſmodi commendantes, & ſingularem iis virtutem tribuentes cerneret? Quid ſi amuleta geſtantes videret v. g. contra morbum comitialem, quibus talis verborum formula inſculpta reperitur: *Sancte Johannes Baptiſta, Sancte Johannes Evangeliſta, Sancte Johannes Chryſoſtome, juva ſeu ſubleva hunc miſerum brevi momento*, quæ ipſa quoque verba, morbo eo correptis, in aures inſuſurrari ſolent. Amuleta contra maniam, morbos oculorum, peſtem, arma, plagas & quæcunque mala, in Papatu frequentiſſima, recenſere heic nihil attinet. Unum memorare ex innumeris libet. Marchinus *Tract. de Peſte Probl.* 33. horrendum amuletum contra peſtem, conſtans characteribus annulo incluſis, A. MDCXXX. per Italiam univerſam vulgatum, *ab omnibus ferè Chriſti fidelibus, nec non à viris*, inquit ille, *religioſis, Monialibus ac Prælatis velut ſalutare antidotum cœlitùs revelatum, applicatum* (ſiniſtro ſcilicet brachio) *& à ſapientiſſimis Theologis approbatum*, prodit. Conſtat 25. characteribus, qui per cabalam dictam *Notaricon* integram ſententiam, aut plures conjunctas deſignant. Additur precatiuncula ad Chriſtum, & verba *Zachariæ* (ſic habet amuletum) quæ ſic incipiunt: *Maledicti, Excommunicati, blaſphemi dæmones in virtute verborum iſtorum, Meſſias, Emmanuël, Sabaoth, Athanajos, Hyſchiſos, Eleyſon, Tetragrammaton, vos conſtringimus, vos privamus, vos expellimus, ex iſta civitate, & ex hominibus ejus, & præcipimus vobis, ut*

non

non audeatis per peſtem nocere corporibus habitantium in ea. Ite, ite maledicti in ſtagnum ignis. Idem Marchinus *pag.* 47. memorat & commendat novum Exorciſmum A. MDCXXX. à Cardinale & Archiepiſcopo Mediolanenſi Friderico Borromæo inventum, qui ſic ſonat: *J. N.* ✝. *R. J. Qui verbum caro factum eſt, &c. conterat omnem poteſtatem inimicorum noſtrorum viſibilium & inviſibilium: Ille ab hac domo & habitantibus in ea expellat omnem Diaboli nequitiam &c. ipſámque purificet, benedicat & ſanctificet. Ecce crucem* ✝ *Chriſti. Fugite partes adverſæ. Vicit leo de tribu Juda, radix David. Hagios* ✝ *Otheos* ✝ *Hagios* ✝ *Iſchyrios* ✝ *Hagios Athanios* ✝ *Eleyſon Hymos* ✝ *Kyrie Eleyſon, Chriſte Eleyſon, Kyrie Eleyſon. Conjuro, exorcizo vos Spiritus malignos per Patrem, Filium* &c. Invitus equidem ἐφίσια hæc χάμμαλα repeto, nec repetenda putarem, niſi Babylonis pudenda detegenda ſemel ſuſcepiſſem.

LXIV. Provocat Delrio, amuleta defenſurus, *loc. cit.* ad *Eccleſiæ Catholicæ inveteratum & ſalutarem morem, nec non ſententiam D. Thomæ, Navarri, Sylveſtri, Maldonati & aliorum.* Qui verò *alii* illi ſunt? Certè non Chriſtus, non Apoſtoli, non Sancti ex cana & veneranda antiquitate Patres, uti vel ſolius Chryſoſtomi laudatum ſuprà teſtimonium luculentum comprobat. Inveteratus ille, ſed parùm ſalutaris mos effœminato Seculo Undecimo cunabula ſua debet; de quo ſic inter alia Faſciculus Temporum Venetiis A. MCCCCLXXX. editus, loquitur: *Tempus effœminatum incepit circa annos Domini mille: in quo fides Chriſtiana valdè cœpit deficere & declinare à priſtina virilitate, uti patet ex Prophetia S. Hildegardis, & in multis regionibus Chriſtianitatis nec Sacramenta, nec Eccleſiaſtici ritus ſervabantur. Auguriis & maleficiis intendebant.* Sed de origine conſuetudinis illius quicquid

nequicquam Delrione ad Eccleſiæ Catholicæ inveteratum morem provocante.

fiat, amuleta Pontificia quæcunque, cereæ inprimis imagines Agni Dei, Magiam manifeſtè ſapiunt, tum quia certo verborum & crucium numero eorum benedictio peragitur, à quo diſcedere religio iis eſt: tum quia eorum uſus omnis contra naturæ ac Divinæ inſtitutionis ordinem, ad uſum tum naturalem curandi morbos, & ab iiſdem præſervandi, aliáque mala averruncandi; tum ſupernaturalem & ſpiritualem, dæmonum videlicet depulſionem & ſalutem æternam refertur.

Iidem verbis certis, notis & ignotis, ſacris & profanis, quà talibus; nec non preculis certâ verborum, ad uſum ejuſmodi nuſpiam inſtitutorum formulâ conſtantibus, ſingularem efficaciam tribuunt.

LXV. Quantum Hierarchici *verbis* certis, notis & ignotis ſeu barbaris, ſacris & profanis, in preculis etiam ſuis incognitâ haud raro linguâ fuſis, tribuant, ſatis ex iis, quæ de exorciſmis & benedictionibus eorum, ſuprà diximus, conſtat. Et precularum quidem ejuſmodi ac medicamentorum etiam per verba certa ſtrenuum olim hyperaſpiſten ſe geſſit is, quem ſuprà citavimus, Felix Malleolus, ſcripto de exorciſmis libro, ubi varias curandi morbos hominum & animalium formulas præivit, cumulatis etiam argumentis pluribus, quibus fas piúmque eſſe, formulis ejuſmodi uti, acriter contendit. Cum iis ſic Delrio confligit, ut verba & preculas eas demum rejiciat, quæ ab Eccleſia approbatæ non ſunt. *Vana*, ſic etiam *lib. vj. Anaceph. Monit.* 5. ſcribit, *eſt prolatio verborum, quæ non eſt ex uſu Eccleſiæ Catholicæ recepta.* Quam exceptionem, quæ Hierarchicorum hoc in argumento Achilles eſt, non ſemel jam diluimus. Fidem modò faciant Hierarchici, Epiſcopo cuiquam, vel Papæ, vel Concilio à Papa probato, Divinitùs conceſſam eſſe facultatem approbandi, adhibendíque certam verborum, quæ à Deo profecta, & in deſtinatum ab iis uſum inſtituta eſſe, ratione ſolida nulla demonſtrari poteſt, formulam, qua pronuntiata vera fide miracula, & opera maxima tum corporalia, tum ſpiritualia expectari poſſint; adeóque ex peccato non peccatum;

catum; ſuperſtitione & magia religionem ac pietatem efficiendi.

Speciminis loco Oratio ſeu Reſponſoriũ Bonaventuræ ad Antonium de Padua affertur.

LXVI. Ut hanc Hierarchicorum in approbandis formulis verè Magicis audaciam & impietatem ampliùs apricemur, lubet vel unicam Orationem, quæ ex certis verbis, eorúmque complexione pondus & efficaciam habet, ab Eccleſia Catholica approbatam ſcilicet, & cùm ab aliis, tum à Capucinis maximè, in quorum manibus illa hæret, uſurpari ad recuperandas res perditas, aliáque mira patranda, ſolitam, ex tenebris ſuis, quibus certè infernalibus digniſſima eſt, in lucem proferre. Eſt hæc *Oratio* ſive *Reſponſorium Bonaventuræ ad Antonium de Padua*, cujus copiam nonnemo, qui ſuperſtitioni addictus adhuc περίεργα eadem patraverat, non ita pridem fecit. Sic autem Oratio ſonat:

Si quæris miracula, mors, error, calamitas,
Dæmon, lepra fugiunt, ægri ſurgunt ſani:
Cedunt mare, vincula, membra, réſque perditas
Petunt & accipiunt juvenes & cani.
Pereunt pericula, ceſſat & neceſſitas: narrent
Hi, qui ſentiunt, dicant Paduani.
Cedunt mare, vincula membra, réſque perditas
Petunt, & accipiunt juvenes & cani.
Gloria Patri, & Filio, & Spiritui Sancto,
Cedunt mare, vincula, membra, réſque perditas
Petunt, & accipiunt juvenes & cani.
Ora pro nobis, Beate Antoni,
Ut digni efficiamur promiſſionibus Chriſti.

Oremus:

Eccleſiam tuam, Deus, Beati Antonii Confeſſoris tui deprecatio votiva lætificet, ut ſpiritualibus ſemper muniatur auxiliis, & gaudiis perfrui mereatur æternis, per Chriſtum Dominum noſtrum, Amen. Deinde dicuntur expanſis

panſis manibus quinque Pater noſter & Ave Maria. In eundem finem aliquando etiam leguntur miſſæ votivæ de Antonio de Padua. Quam cauſanſ dicent, quin carmen iſthoc & ſimilia, certa verborum formula, certo eorundem numero illigata, & mirifica quædam, humaniſque viribus majora, quæ nec verborum illorum natura, nec per verba talia Deus uſpiam promiſit, promittentia, & ſubinde etiam præſtantia, pro veriſſimis incantationibus jure meritóque habeantur.

Iidem numeris definitis in miſſa, exorciſmis, benedictionibus, preculis efficaciam tribuunt,

LXVII. *Numerorum* virtutem & efficaciam per ſe nullam eſſe; & ſi qua iis accidit, ex pacto expreſſo, vel tacito cum dæmone accidere, *Differt. de Characteribus Magiæ*, probavimus. Certos autem numeros Hierarchici in Miſſa, Exorciſmis, Benedictionibus, preculis ſuis exigunt, & ſine iis efficaciam & virtutem Miſſæ, Exorciſmorum, benedictionum, precularum conſtare negant. Atque efficaciam illam numerorum ſpiſſo volumine *de myſteriis numerorum* aſſerere conatus eſt Bongus, pallians Magiam eo argumento, quòd numeris utantur myſticis & ſacris. Quaſi vel ulli numeri ſic per ſe myſtici & ſacri ſint, ut propter myſterium ejuſmodi ſingulari virtute polleant: vel ſimilia numerorum myſteria & ſanctimoniam non ipſi etiam circulatores, Magi, Cabaliſtæ impietati ſuæ prætexant. Quando ergò eos Hierarchici refellere tentant, quo colore ſuam cauſam à Magorũ cauſa diſcernent? Anon jure Magi reponent;

Fabula narratur mutato nomine de te?

Quo denique argumento à ſuperſtitione liberabunt obſervationem definiti & certi numeri dierum in peregrinationibus, ut videlicet tribus diebus Sabbathi viſitetur hic vel ille locus; bibatur ex calice conſecrato aqua, ab Auguſtino Wichmans in *Sabbatho Mariano* defenſam? Quid myſterii vel efficaciæ habet numerus *Novenarius*, qui apud plures uſu obtinere nunc incipit? quod vel ſola Novena

Antonii

Antonii de Padua, à Celeb. Conringio ſolidè diſcuſſa, docet..

LXVIII. Idem de *figuris* & *characteribus*, quibus efficaciam tribuentes Cajetanum, Thomam, Gaffarellum ſuprà *theſi vij.* vidimus; judicium eſt: eadem prætextus vanitas, quòd non aliis, quàm ſacris figuris & characteribus utantur.. Et Toletus quidem *inſtruct. Sacerd. lib. iv.* 14. apertè *omnes figuras, excepta cruce, adhibitas, ſuperſtitionem & magiam implicare*, pronuntiat; atque ſic Papatum univerſum αὐτοκατάκριτον in ſuperſtitionis & magiæ lutum præcipitat. Nam Græcum ψ & characteres Alphabethi Græci, quo in conſecrationibus ſuis Hierarchici utuntur, non ſunt utique figura crucis. Sed & crucis immiſſæ figura non magis ſacra & myſtica eſt, quàm crucis commiſſæ, aut cujuſcunque alterius figuræ, veluti circuli, trianguli, pentaculi, hexagoni. Denique etiam Magiæ crimine apud Hierarchicos infames Trithemius, Cornelius Agrippa, Petrus de Albano, alii in ſuis incantamentis, conjurationibus & operationibus Magicis crucem adhibere conſueverunt. Neque profectò in uſu verborum, numerorum, characterum, amuletorum ulla eſſentialis differentia prædictos inter Magos & Hierarchicos conſtitui poteſt, niſi pertendere hi velint, ſua omnia habere Divinum mandatum & promiſſionem, atque ſibi nudè id aſſerentibus, nulla certè idonea ratione probantibus ſimpliciter & bona fide credendum; illis contra Magiæ authoribus de ſuis Theurgicis eadem jactantibus, & contra Magiam omnem pactámque cum Diabolo vehementer proteſtantibus fidem prorsùs negandam eſſe, hoc eſt, duos cùm faciunt idem, non eſſe idem.

nec non figuris & characteribus; neque ſolius crucis, ſed etiam literæ ψ & alphabeti Græci;

LXIX. Ubi enim, ſodes, ut pleraque illa conſtringam, Scriptura, ubi Patrum conſenſus, ubi Conciliorum deciſiones infinitum illud diſcrimen ſtatuunt inter benedictiones

Inter Magos verbis, numeris, figuris &c. & Hierarchi-

eos iiſdem utentes, differentia oſtendi nulla poteſt.

dictiones fumigiorum, & exorciſmum ignis, cui ſuperponuntur fumigia, ceremonias, res, verba ſacra, preces, litanias eò pertinentes ad arcendum Diabolum, & omnia phantaſmata, ac nocumenta ejus; item ad conſtringendum Diabolum, ut hoc vel illud faciat aut dicat, juxta tenorem Magiæ apud Cornelium Agrippam *lib. de occulta Philoſoph. ſect. de ceremoniis Mag.* & Petrum de Albano *lib. de Elementis Magicis:* & inter adjurationes dæmonum, benedictiones fumigiorum, exorciſmos ignis, incenſationes per eoſdem, aut ſimiles ceremonias, preces, litanias, ad eoſdem effectus, ex præſcripto Ritualium & librorum Exorciſticorum? Ubi eadem diſcrimen ſtatuunt inter amuleta ſacra in Papatu uſitata & probata, thus, Pſalmos, panem & ſal benedictum, ramos palmarum, pulſus campanæ, initium Euangelii S. Johannis &c. quæ Delrio *lib. 1. cap. 4. & iij. p. 2. q. 4.* & *lib vj. 2.* defendit: & inter ſigna ac pentacula Cornelii Agrippæ; nec non inter figuras & ſitus inſuflatione in aquam obſervandos, item characteres ignotos Græcos in dedicatione Templi ſcribendos; & inter certas figuras, ſituum, poſitionùmque differentias ac modos, item peregrinos characteres Magorum, quæ omnia uno ore Summiſtæ & Theologi eorum, exceptâ figurâ crucis, condemnant? Non ovum ovo ſimiliùs eſt; & chimærica ſunt, quæcunque ad ſeparandas cauſas obduci ſolent, diſcrimina. In ipſo Concilio Tridentino non defuiſſe, qui abuſum Scripturæ in incantationibus tollendum cenſerent, repugnantibus aliis, & uſum formularum receptarum pium, licitum, religioſum eſſe, contendentibus, S. Polanus *Hiſtor. Concil. Trid. lib. ij.* fuſiùs commemorat.

Iidem fortuitis ſignificationem affingunt, qui magiæ character eſt.

LXX. Fortuitis ſignificationem affingere, inter Magiæ characteres *de charact. Mag. ß.* LXXXIX. retulimus meritò. Si quam enim ominandi vim inſitam illa habent, vel naturalis illa, vel ſupernaturalis Divina, vel Magica erit.

Digitized by Google

erit. Naturalem nullam ineſſe, ominatores ipſi fatentur, qui à caſu talia dependere, & rationem incluſam effectus habere nullam agnoſcunt. At nec ſupernaturalis illa eſt, cùm nec à providentia Dei ordinaria illa proficiſcatur, & extraordinariæ in iis veſtigium nullum appareat. Magica ergò & ſuperſtitioſa omnis eſt. Et tamen Cajetanus Cardinalis fortuitis & ominationibus favet. Sic enim ille *in Summ. v. ſuperſtitio* ſcribit: *Poteſt homo abſque omni præſagio cavere prudentes ab imminentibus, dubitando, ne præſens accurſus ſit ſignum futuri ex communi utriuſque cauſa cœleſti, vel etiam Divina providentia; ut ſi quis cadens corporaliter timeat aliquem caſum in ſtatu, vel honore &c. Propterea tamen non deſiſtat operibus prudenter agendis, ſed cautiùs vigilet. Poteſt enim eſſe, ut iſte caſus ſit effectus cauſæ futuri caſus, & propterea ſignificet illum.* De qua ſententia meritò verba illa Ciceronis *de Divinat*, uſurpem: *Nonne hoc ſi ſuſcipimus, & pedis offenſio nobis, & abruptio corrigiæ, & ſternutamenta obſervanda erunt.* Sanè hoc ipſum gentiles κληδονιζόμενοι contendebant, quamvis ſcilicet pedum offenſionem Divinam iram portendere, & caſum quemvis effectum eſſe cauſæ futuri caſus, fieríque poſſe, ut illum ſignificet. Quis verò caſibus fortuitis ejuſmodi ſignificationem indidit?

& magiam per remedia magica depellere conantur.

LXXI. Quid quòd Magiam per remedia illicita depellere Hierarchici conantur? Ita enim Delrio *lib. vj.* 3. remedia quædam adversùs Magiam Eccleſiaſtica, morbo ipſo laborantia, hoc eſt, Magica impietate tincta ipſa, adversùs Godelmannum tuetur acriter. Buſæus quoque in *Panario*, ſeu Arte medica, variis animi morbis oppoſita, remedia adversùs *veneficia* colligens, inter alia numerat *Miſſæ incruentum ſacrificium, oleum infirmorum per Epiſcopum benedictum, Exorciſmum Eccleſiaſticum, Aquam benedictam tum baptiſmalem, tum luſtralem; Agnos*

gnos Dei ſolenni ritu certis temporibus à Summo Pontifice benedictos; Reliquias Sanctorum; Amuleta ſacra collo appenſa, veluti Symbolum Apoſtolicum, initium Euangelii Johannis, Pſalmi alicujus particulam, Effigies cereas Agni Dei, campanarum benedictarum pulſum; Maleficis illatam vim, ut ſigna maleficii, ipſúmque maleficium tollant. Quod poſtremum remedium, deſtructionem ſcilicet ſignorum maleficii per maleficos ipſos id facere compulſos, olim quidem, fatente Delrione, à Johanne Heſſel de Lovanio, Wilhelmo Eſtio &c. improbatum meritò, hodie in Papatu communiter receptum eſt, & ab eodem Delrione, nec non Raphaële de la Torre, Binsfelſio, ac inprimis Maldero, non Chriſti, vel Apoſtolorum, ſed Scoti, qui *lib. iv. diſt.* 34. aſſerit, *ſuperſtitioſum eſſe, ſi quis dicat, non eſſe maleficium ſuperſtitione depellendum*, authoritate defendit. Diaboli ſanè ope haud unquam Diabolum ejici, Chriſtus ipſe Matth. XII. 26. 27. profitetur. Illi tamen ejiciunt, dæmonem compellentes, ut maleficia ſolvat; & quandoque etiam dæmonem potentiorem cogentes exorciſmis ſuis, ut impotentiores expellat.

remedia vocantes, quæ ſcelera & morbus ipſe ſunt.

LXXII. Olim quidem Galba, exprobrante apud Tacitum *Hiſtor. j.* 37: 5. Othone, *remedia* vocabat, *quæ alii ſcelera*. Ita Buſæo, Delrioni, Romanis remedia adverſùs maleficia audiunt, quæ ab iiſdem uſurpata ſcelera potiùs, ac ipſe Magiæ morbus appellanda fuerant. Id verò de ſingulis jam probatum, de univerſis uno efficaciſſimo argumento demonſtramus, quòd videlicet per remedia ejuſmodi verbis, characteribus, ritibus, rebus, quæ in ſingulis iis præſcribuntur, vis & operatio talis adſcribabatur, qualem nec à natura, per ſanam rationem, nec à Deo & inſtitutione ac promiſſione qualicunque Divina, per revelationem omni exceptione majorem, habere cognoſcuntur, qui generalis Magiæ character eſt.

LXXIII.

LXXIII. Accedit his omnibus grave profectò illud, quod Hierarchici *Magos notorios & profeſſos, & ſcripta Magica notoria in ſinu ſuo fovent*. Cujus rei nunc fidem paucis faciamus. Quo tempore primùm *auguria, maleficia, incantationes* in Eccleſiam irrepſerint, jam ſuprà ex Authore Faſciculi temporum conjectavimus; Seculo ſcilicet Undecimo effœminato illo. Præfuit illis temporibus Sedi Romanæ Sylveſter II. Magus haud incelebris, quod Sriptorum Pontificiorum authoritate mihi confirmandum eſt.

Magos notorios in ſinu ſuo iidem fovent.

LXXIV. Qui à Sylveſtri hujus, cui ante Papatum Gerberto nomen erat, temporibus proximè abfuit, & non eaſdem adversùs ipſum, quas adversùs Hildebrandum, cauſas odii habuit, Cardinalis Benno in vita Hildebrandi, ſic ſcribit: *Gerbertus paulò poſt completum millenarium aſcendens de abyſſo permiſſionis Divinæ, quatuor annis ſedit, mutato nomine dictus Sylveſter ſecundus. Et per quæ multos decepit, per eadem dæmonum reſponſa deceptus, morte improviſa, Dei judicio eſt interceptus.* Neque id Benno ſolus, Hierarchicis inviſus ſatis, prodidit, ſed magna cum ipſo Hiſtoricorùm turba firmavit. Wernerus Rollfink, Author Faſciculi temporum, *Sylveſter*, inquit, *factus eſt Papa, auxilio Diaboli, cui homagium fecit, ut cuncta ei ad votum ſuccederent.* Romæ in Templo S. Crucis in Hieruſalem, ad dextram ingredientibus baſilicam Subterraneam S. Helenæ, ejuſmodi, Laurentio Schradero *Monum. Ital. lib. ij.* narrante, Inſcriptio, à Bernhardino Carvajola Cardinale poſita viſitur: *Anno Domini* MIII. *tempore Othonis iij. Sylveſter Papa ij. qui fuerat antea ejuſdem Othonis præceptor, non ſatis ritè forſitan Papatum adeptus, à SPIRITU præmonitus, qua die Hieruſalem accederet, ſe fore moriturum; neſciens fortè, hoc ſacellum eſſe Hieruſalem ſecundum, ſui Pontifi-*

quales inprimis fuêre Pontifices Romani, Sylveſter II. teſtibus Cardinale Bennone, Inſcriptione in Templo S. Cruce S. Hieruſalem, Martino Polono, Authore faſciculi temporum, Platina &c.

Pontificatûs anno quinto, ſtatuta die rem hic Divinam faciens, ipſa die moritur. A ſpiritu, inquit, præmonitus, non illo quidem Sancto, ſed ejuſmodi, quo olim Pythias ſuas afflavit Apollo Loxias. Sic enim, quemadmodum *dignum ſuis meritis exitum invenerit* Sylveſter, inter alios narrat Benno: *Reſponſum à ſuo dæmone acceperat, ſe non moriturum, niſi priùs in Hieruſalem Miſſa ab eo celebrata. Hac ambage, hac nominis æquivocatione deluſus, dum civitatem Hieruſalem ſibi prædictam credit; Romæ in Eccleſia, quæ vocatur Hieruſalem, Miſſam faciens in die ſtationis, ibidem miſerabili & horrida morte præventus, inter ipſas mortis anguſtias ſupplicat, manus & linguam ſibi abſcindi, per quas ſacrificando dæmonibus, Deum inhonoravit.* Addit Martinus Polonus, qui Archiepiſcopus Conſentinus, & Innocentii IV. Pœnitentiarius fuit, *Chron. lib. iv. pag.* 348. eum *in Lateranenſi Eccleſia ſepultum eſſe; & tam ex tumultu oſſium, quàm ex ſudore*, vel humectatione ipſius ſepulchri, deinceps *morituri Papæ præſagium* colligi ſolitum; idque *in eodem ſepulchro literis eſſe exaratum*, quo oſtento, num ſignificaverit Deus, *miſericordiam conſecutum* eſſe Sylveſtrum (uti affirmat ille;) an Diabolus potiùs ſignificaverit, *cum Pontificibus ſucceſſoribus eandem neceſſitudinem ſibi eſſe, quæ cum Sylveſtro fuit*, uti Roberto Barno in vita Sylveſtri hujus viſum, quærant alii. Ego cum Platina in Papæ hujus vita dico: *Verumne hoc ſit, an ſecus, Pontifices viderint, ad quos pertinet.* Tantùm quæ ex Alberico Monacho trium fontium, in Magno Chronico Belgico, à Joh. Piſtorio edito, recitantur; hìc ſubjicio: *In dextero latere Eccleſiæ Lateranenſis propè altare Sanctorum, Vincentii & Anaſtaſii Martyrum, ſepultus jacet Gerbertus Archiepiſcopus, qui Papa effectus, Sylveſter appellatus fuit. Quòd autem tumba ejus quaſi guttas lachrymarum emittat,*

mittat, quando Papa, aut magnus Cardinalis moriturus, ſatis probatum eſt, & ſatis vulgatum. Dicitur etiam, quicunque tumbam ejus viſitaverit, & Dominicam orationem dixerit, quoties hoc fecerit, indulgentiam obtinere aliquot dierum à ſummis Pontificibus conſtitutam. Platina, *Gerbertus*, inquit, *ambitione & Diabolica dominandi cupiditate impulſus, largitione primò quidem Archiepiſcopatum Rhemenſem, inde Ravennatem adeptus, Pontificatum poſtremò, majore conatu adjuvante Diabolo conſecutus eſt; hac tamen lege, ut poſt mortem totus illius eſſet, cujus fraudibus tantam dignitatem adeptus erat.* Nicolaus Lyranus *ad* 2. *Machab. cap. xiv.* per Alchimum, qui Demetrio coronam auream, & palmam obtulit, ut per hoc ſummum Sacerdotium obtineret, ſcribit, ſignificari *ambitioſum in tantum, ut Diabolo faciat ſacrificium, ut per hoc promoveatur ad dignitatem; ſicut*, inquit, *refert Guillermus in Chronico de quodam, nomine Gerbertus, qui per hoc aſcendit ad Archiepiſcopatum Rhemenſem, & poſteà ad Ravennenſem, & poſt ad ſtatum Papalem.* Sed & apud Æneam Sylvium in Commentariis de geſtis Concilii Baſileenſis legimus: *Nec nos fugit, Marcellinum juſſu Cæſareo idolis thurificâſſe, alium verò, quod majus & horribilius eſt, Diabolica fraude Romanum Pontificatum conſcendiſſe.* Nauclerus, cui res Pontificias narranti, magnam fidem Pontificii ſubſtringere ſolent, in Chronico, ipſo Surio Carthuſiano obſtetricante, edito, rem totam ita narrat, ut extra dubitationis aleam eandem ponat. *Interim*, inquit, *ipſe Magica tam ſtudioſè ſectatus, ut illorum regulis omnem vitæ rationem moderaretur, quem ea lege Diabolus adjutum devinxit, ut poſt mortem ſuus eſſet. Et dum dæmonem ſuum conſulit, quandiu in humanis futurus eſſet, ille ambiguo, ut ſolet, reſponſo, diuquidem, ſi Hieruſalem non attigeris. Accidit igitur*,

 &c.

Digitized by Google

&c. Subjicit: *Hic inter claros ſcientiâ literarum ſua ætate connumeratus eſſet, ſi ſuam ſcientiam arte Diabolica non fœdâſſet.* Addi plures alii ejus rei teſtes, Vincentius Bellovacenſis, Galfridus, Malmesburienſis, Antonius Archiepiſcopus, Henricus Erphordienſis, Carthuſianus, Stella, alii poſſent; hoc etiam inter alia commemorantes, Sylveſtrum artem Magicam hauſiſſe ex libro, quem Hiſpali ſuffuratus erat, Diabolo inde homagium præſtitiſſe, & caput æneum, per quod dæmon conſultus reſpondiſſet, in conclavi habuiſſe.

Benedictus IX. LXXV. Sylveſtrum haud longo adeò intervallo excepit Benedictus IX. Theophylactus antedictus. De eo idem, qui ſuprà, Cardinalis Benno in vita Hildebrandi: *Sacris dæmoniorum fuit deditus, & montibus mulieres poſt ſe currere fecit, quas magicis artibus ad ſui amorem coëgerat. Teſtantur hoc libelli inventi in domo ejus, poſtquam vitam malè finierat. Is, dum ad Eccleſiam rediret de Sylvarum ſecretis, ubique ſecum habens prædictum Laurentium Principem maleficiorum, cum eo etiam publicè de Matheſi diſputabat, & de complice & diſcipulo ſuo Papa ſecurus, gaudebat etiam publicè in conventu Epiſcoporum & Cardinalium & Senatorum auguria ſua magnificare.* Denique, inquit, *à Diabolo in ſylvis fuit ſuffocatus, Archipresbyter in exilium miſſus, Laurentius in fugam coactus.* De conditione ejus poſt mortem narratio apud Petrum Damiani *in Epiſt.* 5. ad Fratres Eremi ex relatione Humberti Epiſcopi de Sylva candida, *cap.* 3. *Biblioth. Patrum tomo iij.* planè τερατώδης extat, quam, utpote monſtrum hoc hominis bellè depingentem, attexemus. *Vaclus*, inquit, *quidam dum iter ageret, accidit ut juxta molendinum equo inſidens pertranſiret: Ecce repentè monſtrum immane conſpexit: quo viſo ſubitus eum terror invaſit, & ſtupefactus intremuit. Videbatur autem monſtrum illud in aures*

nures aſelli caudámque deſinere, cætera urſus erat. Cúmque viator ad hoc portentum territus obrigeſceret, fugámque præcipitem formidoloſus iniret; informe prodigium humanæ vocis verba formavit. Noli, inquit, ô Vir, expaveſcere, hominem me olim fuiſſe ſicut & ipſe nunc es, procul dubio crede. Sed quia beſtialiter vixi, poſt finem vitæ beſtiæ præferre ſpeciem merui. Porrò cùm ille perquireret, quis fuiſſet; Ego, ait ille, ſolo nomine Benedictus fui, qui nuper Apoſtolicæ Sedis apicem indignus obtinui. Inquiſitus autem, quid jam retributionis haberet: Nunc, inquit, uſque ad diem judicii per dumoſa atque ſqualentia, per ſulphurea loca & fœtorem exhalantia; atque incendiis conflagrata rapior atque pertrahor. Poſt extremum verò judicium corpus meum ſimul & animam irremediabilis cruciatus, & gehennalis barathri me irrevocabilis olla deglutiet, ita ut nulla mihi recuperationis ſpes inpoſterum reſtet. Poſt hæc verò & ejuſmodi verba diſparuit. Viſionem eandem pro certa etiam Author Faſciculi Temporum, Platina, Onuphrius, aliique venditant.

LXXVI. Qui haud diu poſt Romanam Cathedram inſedit, furialis ille mundi incendiarius, Gregorius VII. Hildebrandus dictus, Diabolicarum artium ſtudiis à prædeceſſoribus ſuis imbutus, malorum corvorum peſſimum ovum, *quoties vellet*, (ſic de eo Benno ſcribit) *manicas ſuas diſcutiebat, & in modum ſcintillarum ignis diſſiliebat, & iis miraculis oculos ſimplicium velut ſigno Sanctitatis ludificabat. Et quia Diabolus per Paganos Chriſtum publicè perſequi non poterat, per falſum Monachum ſub habitu Monaſtico, ſub ſpecie religionis, nomen Chriſti fraudulenter ſubvertere diſponebat.* Hiccine, quærit haud immeritò Celeb. Uſſerius Armachanus, ignis ille erat, quem Chriſtus *venit miſſurus in terram* (Luc. XII. 49.) an ille potiùs, quem Beſtia Apocalyptica Apoc. XIII. 13. 14. factura erat *Gregorius VII.*

ra erat *deſcendere è Cœlo in terram in conſpectu hominum?* Certè ut Spiritus S. de Beſtia hac agens, *quæ ſeducit incolas terræ propter ſigna, quæ datum eſt ei ut faciat*; ab igne Eliæ ſermonem mutuari voluit: ita Paulus Bernriedenſis in vita Gregorii VII. *pag.* 20.22. varia Hildebrandi portenta per ignem edicta commemorans, Eliæ cum identidem aſſimilat. Neque tamen unus Benno Magicam Gregorii impietatem prodidit; ſed Epiſcopi inſuper triginta, A. MLXXX. Brixinæ Noricæ ex Italia, Gallia & Germania convenerunt, teſte Trithemio in Chronico Hirſaugienſi, eundem accuſârunt, *quòd per artem Magicam, necromanticam, & Dæmonum ſuffragio, ſedem Apoſtolicam invaſerit;* quin & eum, Aventino *Annal. Bojor. lib. v.* narrante, *ut falſum Monachum, Magum, Divinaculum, ſomniorum prodigiorúmque conjectorem* condemnârunt. Similia Marianus Scotus *lib. iij. A.* 1081. & Otho Friſingenſis Epiſcopus *lib.* I. *de rebus geſtis Friderici cap.* I. docent. Quin & ipſa decreti concluſio conceptis verbis extat à Conrado à Liechtenau, Abbate Urſpergenſi, & poſt eum à Carolo Sigonio *de Regno Ital. lib. ix. A.* 1080. nec non Onuphrio Panvinio *in vita Gregorii VII.* his verbis conſignata: *Divinationem ac ſomniorum cultorem, manifeſtum necromanticum, Pythonico ſpiritu laborantem, & iccircò à vera fide exorbitantem, judicamus canonicè deponendum & expellendum: & niſi ab ipſa Sede, his auditis, deſcenderit, in perpetuum condemnandum.* Talis cùm fuerit Gregorius, mirum non eſt, dæmoniacam ab eodem doctrinam, conjugia caſta cleri prohibentem, ſtabilitam eſſe.

nequicquam repugnantibus Naudæo, Baronio &c.

LXXVII. Quæ cùm ita ſint, atrociter criminatur ſanè Gabriel Naudæus, Pariſinus, qui Apologiæ ſuæ pro necromanticis his Pontificibus *cap.* 19. ſcribere non erubuit, *mendaciis, calumniis & malitiæ hæreticorum famam*

mam iſtam acceptam referri debere. An tales fuêre, quos laudavimus clericos pleroſque, in communione Papæ mortuos, & quorum plerorumque fide ipſimet Hierarchici in aliis nituntur? Niſi fortè hæreticus eſt, quiſquis adversùs Papam teſtimonium verum enuntiat. Et quo argumento Authorum illorum narrationem ſuſpectam reddere nititur ille? Omnes ejus colores & præfractæ inficiationes ſimilimæ ſunt iis; quibus idem Agrippam, Chicum, Petrum de Apono, Anſelmum, Parmenſem, Mich. Scotum, Trithemium, Jamblichum, Porphyrium, Zoroaſtrum, infames & notorios Magos pleroſque, purgare non dubitavit. De paradoxis ejuſmodi apologiis idem fortè ferendum judicium eſt, quod de laudibus Neronis à Cardano, & ipſius Diaboli à Brunone quodam Italo Witenbergii decantata. Neque minor audacia eſt Baronii, qui *ad A*. 1080. *ß*. 20. decretum illud Brixienſe ab Urſpergenſi Abbate, additis de Gregorii necromantia ex Bennone convitiis, interpolatum fingit; quaſi videlicet aut ſolus Brixienſis Synodi ſententiam aperuiſſet ille Abbas; aut apud nos Cardinalis Baronii antiquior eſſe deberet, quàm Cardinalis Bennonis authoritas; aut denique Benno ille in aperta luce, & tot hominum ſpirantium adhuc conſcientia impunè auſus fuiſſet obtrudere figmenta ejuſmodi, quæ à quovis deprehendi & accuſari potuiſſent; deprehenſa autem & accuſata à nemine ſunt.

Iohannes XXI. Felix V. Alexander VI. Paulus III.

LXXVIII. Poſſent alii etiam ſummi Pontifices criminis hujus ſuſpecti vel manifeſti etiam produci. Ita enim Johannem XXI. aſtrologiæ ſuperſtitioſæ confiſum, longam ſibi vitam promiſiſſe, fato ſpem non implente, ex Stella & Valerio, Delrio *lib. iv. cap*. 3. *q*. 2. refert. Felicem V. in Baſileenſi Concilio Papam factum, conſtat ab Antipapæ Eugenii complicibus accuſatum palàm, quòd ſortilegos & veneficos inde ab adoleſcentia conſulere ſueverit.

Alexandrum

Alexandrum quoque Sextum Cardinalibus nonnullis propinato veneno mortem intentaſſe, at ſibi eandem accerſiviſſe, teſtes idonei, Guicciardinus, Bembus, Onuphrius retulêre. Paulum III. Divinationem aſtrologicam judiciariam palàm adamaſſe, exercuiſſe, & per eam cuncta negotia ſua direxiſſe, ejus denique myſtam, Lucam Gauricum, in ſinu ſuo foviſſe, & Epiſcopatu Civitatenſi donâſſe, Thuanus *Hiſtor. lib. iv.* teſtis eſt.

ex Clero reliquo innumeri, Delrione, aliiſque prodentibus.

LXXIX. Unumquodque amare & producere ſibi ſimile, regula eſt, qua Baronius paſſim delectatur. Si ergò Pontifices ipſi, Hierarchiæ Capita, Magicæ impietati litârunt, quid de Cardinalibus, Epiſcopis, Sacerdotibus & reliquo clero, quos illi creârunt, foverunt, cenſendum? *Auguriis*, repetam Authoris faſciculi de Undecimo ſeculo verba, *& maleficiis intendebant, & erat Sacerdos ſicut populus.* Martinus Delrio *Diſquiſit. lib. ij q.* 3. alibique ex ſacro ordine criminis hujus reos memorat Johannē Teutonicum, Canonicū Halberſtadienſem: Monachum illum, qui in gratiam Ducis Aureliani incantabat Regem Carolum, de quo Mejerus in Annalibus Flandriæ: Palumbum Presbyterum Necromanticum, Romæ quondam potentem, cujus D. Antoninus in hiſtoria meminit; Dominicanos Bernæ exuſtos; Felicem Malleolum, qui Magicas adjurationes & formulas apertè defendit: Paulum Jovium & Comitem Mirandulanum, amniomantiæ & aſtrologiæ judiciariæ deditos: Ægidium Canonicum Luſitanum. Nihil dicam de Magdalena Crucia Cordubenſi, Abbatiſſa Mariæ de viſitatione, Abbate Brandolino, à Paulo v. ex carcere liberato: Demetrio Spartano, qui Romæ ſub Hadriano VI. ad peſtilentiam averruncandam, ferocem taurum publicè & impunè per magica incantamenta cicuravit & ſacrificavit, Jovio *Hiſtor. lib.* XXI. teſte: Monacho, magni cujuſdam Principis mago; qui, Bodino narrante, puerum decennem

nem ad uſum Magicum capite truncavit; Cotono, Hermolao Barbaro, Aquilegienſi Patriarcha, ex dæmone ſenſum vocis Ariſtotelicæ *entelechеja* expiſcato; uti Baptiſta Monlorius *lib. de Entelech.* tradidit: Presbytero illo, qui, teſte Boterco *Comment. lib. xv.* cœtui Magorum à ſacris erat, & *ſacra ſacerrima*, uti Hiſtoricus loquitur, *ibi faciebat, lemures larvaſque Orci exciebat*: Presbytero Maſſilienſi Gaufredo, cujus hiſtoriam peculiari volumine Michaël Monachus deſcripſit; aliiſquè pluribus, quorum pleriſque impunè fuit.

LXXX. Diaboli diſcipulos eſſe miriones & Thaumaturgos omnes, qui vana curioſitate Deum tentantes, revelationes ab eodem perſonato licet expetunt, Delrio *lib. iv. c. 1. q. 3. ſ. 1.* aliique nulli diffitentur. Tales tamen qui apparitionibus & revelationibus Diaboli, ſe in Angelum lucis transformantis, velut Divinis, decepti ſunt, in Papatu innumeros extitiſſe, ipſi etiam Hierarchici non diſſimulant. Cornelium à Lapide *Comment. ad 2. Cor. xj. 15.* audiamus. *Sathanas*, inquit ille, *veritatem, juſtitiam & pietatem præ ſe fert, & promittit hominibus, quorum vel oculis viſibiliter apparet, vel phantaſiæ ſe ſuáque conſilia inſinuat, oſtendit; imprimit, &c. Multi Eremitæ ab eo decepti ſunt. In vitis Patrum multa & luctuoſa hujus rei exempla extant; uti inter alia Hieronis Monachi, cui Diabolus perſuaſit, ut ſe in puteum præcipitem daret &c.* Paulò poſt: *Valentem Monachum decepit dæmon, crebrò ei apparens quaſi Angelus. Tandem dæmon apparuit ei, fingens ſe eſſe Chriſtum. Egreſſus eſt, & pro Chriſto Diabolum adoravit.* Qui miſer Monachus Theologiæ Jeſuiticæ apicem attigiſſe videtur, apud Vaſqueſium *in 3. parte 4. q. 25. diſp. 98. cap. 1.* ſtatuentis ſcilicet, *ſpeciem crucifixi, aut radium, ſub quo deliteſcit dæmon, ſecurè adorari poſſe.* Aliud exemplum B. Jordanis, Prædicatorum

Miriones & Thaumaturgi plurimi, qui, teſtibus Hierarchicis ipſis, à Diabolo Angeli boni ſpeciem mentito revelationes captàrunt.

rum Magiſtri Generalis, Diaboli boni Angeli ſpecie apparentis conſilio & magiſterio uſi, idem Delrio *lib. iv. cap. 1. q. 3. ſſ. 5.* ex Leandro Alberto deſcribit. Ita Simon Monachus Trevirenſis à Diabolo ad celebrandam Miſſam ſe moveri, ad altare perduci, & ab eodem alba indui paſſus eſt. Primæ quoque plantationis Præmonſtratenſium Monachos, ac inter illos Abbatem Simonem S. Nicolai, Diaboli ductum & inſpirationem ſecutos, *omnes à Diabolo factos eſſe Pſeudoprophetas*, Delrio prodidit. Similia plurima Metaphraſtes, Cæſarius, Cantipratenſis, Diſcipulus, Lipomannus, Surius, Sanctorum vitas & res geſtas commemorantes, tradidêre.

Quibus etiam nullis hactenus cautionibus, regulisque, per quas apparitiones vera à falſis diſcerni queant, Hierarchici ipſi proſpicere potuerunt.

LXXXI. Tamque frequens hæc in tenebris Papatus deceptio fuit, religioſarum maximè, ut Gerſon Pariſienſis, Thyræus, Vicentius Ferreria, Turrecremata, Henricus de Firmaria, Ægidius, Carlerius, Picus, Ribadeneira, alii, à Delrione *lib. iv. cap. 1. q. 3.* laudati, neceſsè habuerint peculiares cautelas ad explorandos ſpiritus, in eorundem uſum conſcribere. Poſt tot tamen cautelas, regulas & diſceptationes ſcriptas, *arduam eſſe hujus quæſtionis pertractationem, propter quotidianas etiam ſpiritualium perſonarum illuſiones*, idem Delrio *loc. cit.* fatetur. Alibi *lib. ij. q. 26. ſſ. 3.* Delrio de notis apparitionum diſcernendarum ſic ſcribit: *Hæc, ne notis ab illis traditis indubitanter aſſentiar, memoratur: ſed inprimis, quia totam hanc ſpirituum diſcretionem, quod illi non diffitentur, ex Divina potiſſimùm revelatione dependere arbitror. Propterea tutiùs & præſtabiliùs judico cum B. Auguſtino, meam hic ignorantiam fateri, & diſcipulum me præſtare, quàm præcipiti temeritate aliquid definire, vel agere præceptorem. Res enim hæc altior eſt, quàm ut à me poſſit attingi, & abſtruſior, quàm ut eruere; & profundior, quàm ut vadare queam.* Judicent ergò æqui & prudentes

prudentes arbitri omnes, quàm certum Magiæ periculum omnes, qui apparitionibus & revelationibus attendunt, deſtituti Ariadnæo Divinas à Diabolicis diſtinguendi filo, ſubeant: quàm certam Magiam committant ferè omnes.

LXXXII. Majùs & deteſtabiliùs eſt, quòd in Papatu non defuerunt, qui Magiam publicè docerent, eámque editis libris notoriè Magicis defenderent. Salmanticæ enim in Hiſpania ſcholas Magicas diu ſatis habitas, & primùm Caroli V. Imperatoris juſſu clauſas eſſe, ſatis conſtat, & pluribus Tholoſanus *Syntagm. lib. xxxiv. cap. 21. ſſ. iv.* prodidit. Legulejos, Medicos, Philoſophos, Cornelium Agrippam, Petrum de Albano, ſeu Apono, Picatricem Hiſpanum, Anſelmum Parmenſem alios prætereo. Theologos memoro, ***Trithemium***, qui in ſua *Steganographia* & libro *de ſeptem intelligentiis* Coloniæ apud Birkmannũ A. MDLXVII. excuſo, nefariam hanc artem, ſub Magiæ naturalis nomine, ſummopere, & quidem *piè ac Theologicè* (ſic loquitur ille) commendat, altùm ſtertentibus Inquiſitoribus, Cenſoribus, Curialibus cum ſuo Papa, ſub quolibet aliàs lapide ſcorpium venari ſolitis: *Albertum Magnum*, mira de virtutibus lapidum ad futura prænoſcenda philoſophantem: *Petrum de Aliaco* Cardinalem & Epiſcopum Cameracenſem, qui Arithmantiæ indulgens, ſcripto vigintiloquio de Aſtrologiæ cum Theologia & hiſtoria concordantia, aliiſque Dialogis eodem pertinentibus, non erubuit defendere, Diluvium Noëticum & ortum Chriſti, aliáque ſumma prodigia & miracula ſideralis ſcientiæ peritia ex aſtris prænoſci potuiſſe: *Marinum Merſennum*, Minoritam Pariſienſem, Philoſophum & Theologum magni nominis, quem Jacobus Gaffarellus magno ſpiritu *Diabolicam Magiam ſcriptis ſuis docere*, & librum Thomæ Campanellæ *de Magia* magnam partem exſcriptum

Magiæ doctores publicos & ſcriptæ,

 ptum

Digitized by Google

ptum in ſuos in Geneſin Commentarios transtuliſſe queritur: *Gaffarellum* ipſum, Sacerdotem Gallum, cujus *Inaudita Curioſitates* paſſim malè audiunt, *Georgium Venetum* Minoritam, cujus Problemata, Sacra Magorum redolere ſacra, ipſe Magiæ inſimulatus Merſennus contendit: *Baſilium* Monachum, Benedictinum, qui publico Scripto opiatriam defendit: *Navarrum* & *Victoriam*, qui Enſalmatores Hiſpanos apertos Magos defendunt, vel ſaltem excuſant: *Paulum Ritium*, qui Cœlorum animationem & Cabaliſticam ſuam Arithmantiam per decem enumerationes tradens, Magiæ principia non parùm promovet Commentariis ſuis ad librum R. Joſeph Caſtilienſis, qui *Porta lucis* dicitur; alios.

nec non conſuetudines notoriè Magicas iidem, nullâ Eccleſia cenſurâ notatas, tolerant.

LXXXIII. Affines huic ſcriptorum Magicorum tolerantiæ ſunt conſuetudines Magicæ, quas itidem Papatus tolerat. Sic enim in Gallia & Italia venales publicè proſtare dæmones paredros, vaſculis, ſpeculis, phialis, annulis alligatos & incluſos, non tantùm experientia teſtatur, ſed etiam Creſpetus fatetur. Imò licitè vendi poſſe, Pontificius Poëta Ronſardus pertendit. Enſalmatores, ſeu incantatores publicos Hiſpani tolerant, & uti modò diximus, nonnulli defendunt. Annulum contra contractionem, nervorum ex Carlino in paraſceve crucifixo oblato, ſimileſque ſuperſtitioſas obſervantias ſimul tolerari, ſimul excuſari, Cajetanus in Summula his verbis indicat: *Videntur ſimplici corde ſimilia credentes & facientes ex devotione excuſandi &c. licet neſciant aliam reddere rationem, quare has conditiones, quæ vanæ ſunt, obſervent, niſi quia ſic acceperunt à majoribus. Difficile eſt enim confutare, quod Seniorum traditione & authoritate firmatum vulgares acceperunt.* Tralatitium etiam in Papatu eſt, Toleto *de Inſtr. Sac. lib. iv.* 16. teſte, in die aſcenſionis, & D. Iohannis ante Solis ortum herbas decerpere, Nemo tamen

tamen id faciens ad Mallei Inquiſitores rapitur. Gerſon Tract. *de erroribus circa artem Magicam*, ſibi per occupationem objicit: *Nonne*, inquiunt, Magi ſcilicet; *talia frequenter fiunt, aut tolerantur ab Eccleſia in peregrinationibus certis, in cultu imaginum, in cereis, aut ceris, aquis benedictis, exorciſmis? Nonne dicitur quotidie, ſi novem diebus perdurat in Eccleſia, ſi aqua illa perfundatur, aut tali ſe imagini voveat, aut tale quid faciat, ipſe mox ſanabitur?* Reſpondet Gerſon: *Fateor, abnegare non poſſumus, multa inter Chriſtianos ſimplices ſub ſpecie religionis introducta eſſe, quorum ſanctior eſt omiſſio.* Similes conſuetudines, formulas, ceremonias, actiones, ne dicam, opiniones periculoſas multorum Canoniſtarum, Legiſtarum, Theologorum, puta Aureoli, Brianſoni, Remigii, Angeli de Clavaſio, Levini Crucii, Malleoli &c. innumeras Delrio in Diſquiſitionibus ſuis detexit. Quibus unum hoc addo, quod Jeſuita à Lapide ex Reſcio *de ſectis* refert, hoc ſeculo eſſe ſectam *Diaboliſtarum, qui gloriantur, ſe eſſe ſortiarios, & Diaboli charactere inſignitos; quem, ubi vino incaluère, nudata carne oſtendere non vereantur. Auditum eſt, inquit, ex ipſorum confeſſione, quòd numerus eorum uſque ad ſexaginta millia in Galliis excreverit.*

LXXXIV. Quo loco numeróque peccata habeantur, ex eorundem pœnis maximè liquet. Spiritus igitur S. univerſas *κακοτεχνίας* Magicas Deo ſuprà modum inviſas eſſe, ea ratione teſtatus eſt, quòd non tantùm eas ſeveriſſimè interdixit, ſed etiam dictatis pœnis capitalibus coërcuit Exod. XXII. 18. ubi ſic ſancit: מכשפה לא החיה *Præſtigiatricem non ſines vivere.* Quam legem Dei pœnalem peculiari *de pœnis Magorum* diatriba explicatam dedimus. Quid verò hic Hierarchici? Quo loco crimen iſthoc atrociſſimum, omnium ſcelerum aliorum ſentinam habeant, produnt ea ratione,

Quo loco Magicam Impietatem Hierarchici habeant, ex pœnis, quas Concilium Lateranenſe Magis notoriis, religioſis inprimis, leviſſimas decrevit, colligitur.

ratione, quòd leves eidem conſeſſo etiam pœnas decernunt. Sic enim Decretum in Concilio Lateranenſi Seſs. 9. cuſum ſonat: *Clerici, qui inventi fuerint culpabiles in ſortilegiis, per invocationem dæmonum, incantationibus ac divinationibus, ſuperſtitionibus, arbitrio Superiorum infamiâ notentur. Si verò non deſtiterint, deponantur, atque in Monaſterium ad tempus arbitrio Superiorum præfiniendum detrudantur, beneficiiſque & officiis Eccleſiaſticis priventur.* An mitior pœna dictari poterat, & quidem Magiæ etiam explicitæ, cum aperta invocatione dæmonis conjunctæ? Nam Clericorum quidem infamia, ſuperiorum inprimis arbitrio definita, intra ſepta paucorum, quos pleroſque parium vel majorum ſcelerum conſcientia torquet, concluſa, ad populum ipſum non penetrat, nullamque adeò, vel exiguam pœnæ vim habet. Hominum proin ejuſmodi exanguem & ferream frontem infamiæ punctis nequicquam profectò convulneraveris, cùm ipſi notas ſuas rideant. Depoſitio verò, & ab officiis ac beneficiis Eccleſiaſticis, quæ indebita ſunt, gratíſque collata, remotio, & in Monaſterium incluſio, inprimis ſi arbitrio ſuperiorum *ad tempus* duntaxat præfiniatur, cum perſeverante impietate illa nullum planè commenſum habet. Ludibria proin hæc veriùs, quàm pœnæ tanto ſceleri debitæ, cenſeri poſſunt. Præterea quæſtio haud immeritò movetur, cur in Bulla de Cœna Domini memoratis levioribus multò criminibus, hodie quidem omittatur Magia, quæ olim in eadem expreſſa apparuit? Interdicto Bulla illa ſubjicit quoſvis libertatis ſeu immunitatis Eccleſiaſticæ pupillam leviter attrectantes, Cardinalis cujuſpiam familiarem offendentes, ad Concilium futurum provocantes, denique leve quid committentes, quod poteſtatis Pontificis apices eminùs tangere videri poſſit. At Divinæ Majeſtatis horribiliter offenſæ rei Magi alto ſilentio prætereuntur.

LXXXV.

LXXXV. Denique impietetis Magicæ in Papatu abominationem auget, quòd ἀθεράπευτος illa eſt, adeóque emendationem patitur omnino nullam. Quod vel uno argumento, à Delrionis fato petito planè conſtat. Quot quantæque ſuperſtitiones in Papatu etiamnum graſſentur: quot fovendis aut incruſtandis iis ſcripta edita ſint, & edantur continuè, luculenter, ſi quiſquam alius, Delrio docuit. Ille Augiæ hoc ſtabulum ingreſſus, expurgare pro viribus conatus licet minimè tamen à Papatu labem abſterſit, vel abſtergere etiam potuit. Tentavit tamen nonnihil, & movit camarinam, ſed quo operæ pretio? Eo videlicet, ut Romæ, inter Anteſignanos ſacræ iſtius militiæ de libro ejus per Inquiſitores condemnando agi jam cœperit; ipſique adeò neceſſitas Apologiam ad Congregationem Generalem Inquiſitorum conſignandi impoſita fuerit. Quæ cùm ita ſint, jure meritóque omnia illa, quæ paſſim & impunè in Eccleſia Romana, antiqua & perpetua conſuetudine, quam *optimam juris interpretem* Bellarminus *de Cler. lib. 1. c. 2.* dixit, recepta ſunt; nec non, quæ à privatis, tacito Eccleſiæ conſenſu, ſcripta, dicta, facta ſunt, quicquid Delrio vel Malderus aliquis, χθὲς ἢ πρόχθες natus, contra muſſitaverit; non vitio & abuſui cuipiam graſſanti, ſed ipſi Eccleſiæ Hierarchicæ imputabimus tantiſper, dum Eccleſiæ ſententiâ & cenſoriâ virgulâ impii illi abuſus non notari, & Delrionis aliorúmque correctiones & cenſuræ non abſolutæ approbatæque fuerint. Quomodo ipſe quoque Delrio, poſtquam diu ſatis cum ſuis conflixit, tandem communi artificio Romanenſium hoc circulo ſe munivit, ut hiſtrioniam ſuam his verbis clauderet: *In quo quæcunque ſcripſi, ea cuncta Sanctæ Apoſtolicæ & Catholicæ Romanæ Eccleſiæ judicio, & piorum Theologorum cenſuræ ſubjicio: ſi quid ignaro elapſum, quod Eccleſiæ minùs probetur, improbo, damno, & pro non ſcripto haberi volo.*

Impietatem eandem in Papatu incurabilem eſſe demonſtratur, quia Eccleſia actiones, ritus &c. Magicos longa conſuetudine receptos à non magicis diſcernere auſa hactenus non eſt; & Delrioni id privatim tentanti ſuccenſuit; neque ſpes ulla eſt fore, ut aliquando diſcernat.

Hoc

Hoc verò ſcutum æquè etiam infiniti in Papatu authores, qui ſcriptis, exorciſmis, actionibus ſuis magica, & ſuperſtitioſa multa admiſcuerunt, & hodiéque admiſcent, adversùs Delrionem alioſque cenſores ſuos prætendunt. Utris verò, cùm ex æquo boni Romano-Catholici habeantur, credemus, ut ſenſum tandem Eccleſiæ Romanæ percipiamus? Imò cùm ſpes nulla ſit, Eccleſiam decretis ſuis pia ab impiis, licita ab illicitis diſcreturam unquam; *ἀίατον κακὸν*, *incurabile* & deploratum eſſe hoc in Papatu *malum*, ultrò conſequitur.

Romam eſſe veneficiorum officinam, adeóque Babylonem Magnam, concluditur.

LXXXVI. Ex iis, quæ hactenùs ſtudioſè collegimus, nemo, niſi qui in meridie cœcutit, non videt, veriſſimum eſſe, quod Doctiſſ. Theologus Anglus, Thomas Brigthmannus, *Comment. in Apoc. ix. 21.* paucis multa complexus dixit, *Romam eſſe veneficiorum officinam;* neque minùs pro vero Celeb. Paræum *Comment. ad j. cit.* dixiſſe: *Veneficia & artes Magicas omnes nonne Papatui debemus?* Adeóque ut iſthoc etiam demonſtrationis caput claudam, Hierarchiam Romanam eſſe purpuratam illam Meretricem Babylonicam, quam inter alias etiam Magicæ impietatis nota Spiritus S. compunxit.

DISSER-

Digitized by Google

DISSERTATIO
DECIMA SEXTA,
QUA

Hierarchiam, ſeu Clerum Eccleſiæ Romanæ dominantem eſſe Babylonem Magnam probatur Undecimò, *quia avaritiâ & nundinatione ſpirituali ſeſe immaniter polluit.*

BREVIARIUM.

I. *Falſorum doctorum inter alias nota eſt, quòd per avaritiam fictus ſermonibus homines nundinantur.*

II. *Nundinationem ſimilem Spiritus S. Babyloni tribuit.*

III. *quæ non tam ſecundùm literam earum mercium, quæ Babyloni tribuuntur, quàm ſecundùm allegoriam explicari debet.*

IV. *Nundinationem tamen eandem & ſecundùm literam & allegoricè explicatam in Hierarchia reperiri, generali Syllogiſmo demonſtratur, cujus quoad utramque propoſitionem ſingula membra explanantur.*

V. *Merces Babyloni tributæ, Hierarchiæ ſecundùm literam conveniunt; & per varias gentes Romæ obnoxias eodem importantur.*

VI. *Easdem ſecundùm literam in externo Hierarchicorum cultu conſpicuas, & ad tabernaculi Moſaici imitationem, in cultum externum introductas eſſe, probatur.*

VII. *Adeò ut Spiritum S. tabernam inſtitoriam mercium,*

Digitized by Google

quas in externo cultu Hierarchici uſurpant, & Jeſuitæ, novi Bezaleeles ſtrenuè adornant, ob oculos poſuiſſe, ſit longè clariſſimum.

VIII. *In Miſſa inprimis merces illæ Bobylonicæ ſecundùm literam inveniuntur.*

IX. *Ex perſonato & theatrali externo comptu, qualem Hierarchici habent, optimè Eccleſia Chriſti à Babylonica diſtinguitur.*

X. *Nundinatio Babylonica Hierarchicis magis etiam convenit ſecundùm allegoriam, juxta quam merces Babylonis corporales emblema ſunt ſpiritualium, quæ in commercio habentur.*

XI. *Habet ergò Hierarchia ſuos Mercatores, qui ſunt Magnates terræ, quorum ſupremus eſt Papa, quem ut hac impietate eximant paraſiti ejus, Simoniam committere poſſe, negant.*

XII. *Dogmatis illius falſitas oſtenditur;*

XIII. *& verbis Friderici II. Imp. exaggeratur.*

XIV. *Moralis Jeſuitarum Theologia falſam Simoniæ definitionem excogitavit, ut Clerum crimine faciliùs liberet.*

XV. *Mercatores Magnates terræ ſunt inprimis Cardinales, quorum nonnulli etiam Regio ſanguine creti ſunt.*

XVI. *Archiepiſcopi nundinationum ſuarum induſtriâ, ex humili ſorte ad dignitatem tantam quandoque provecti. Ipſi etiam Reges nonnulli, Hierarchiæ hac in re inſervientes.*

XVII. *Naucleri Babylonis Epiſcopi; Nautæ Canonici, Regulares, Seculares, Jeſuitæ inprimis.*

XVIII. *Hami & unci, quibus opes totius orbis Hierarchici ad ſe pertrahunt, innumerabiles ſunt. Præcipui ex Eraſmo compendio proponuntur.*

XIX.

XIX. *Hierarchia nundinationem ſuam ex cogitatis falſis dogmatis, quibus merces ſuas exponit, exercet.*
XX. *Ejus religio propria tota quæſtui inſervit,*
XXI. *quod inductione dogmatum Hierarchiæ propriorum, per quæ fictitias ſuas merces extrudit, probatur,*
XXII. *veluti Miſſæ, quæ Hierarchiæ anima eſt,*
XXIII. *quam ad quæſtum inde occipiendum planè comparatam eſſe, oſtenditur.*
XXIV. *Quæſtui eandem actu haberi, ex applicatione ejuſdem ad univerſos & ſingulos;*
XXV. *juxta Caſuiſtarum veterum & recentiorum regulas;*
XXVI. *ſolidè probatur.*
XXVII. *Miſſa etiam civilis in Papatu nundinationis,*
XXVIII. *nec non incolumitatis & jurium Imperiorum, Regnorum, Provinciarum, Urbium &c. fundamentum habetur.*
XXIX. XXX. *Cultus externus Divorum, imaginum, reliquiarum totus ad quæſtum inde faciendum comparatus eſt.*
XXXI. *Actu quæſtui eundem ſubſervire ex apotheoſi Sanctorum;*
XXXII. *Feſtis eorundem, & peregrinationibus ad imagines & memorias eorum, Lauretana inprimis;*
XXXIII. *Stationariorum veterum æruſcatione probatur.*
XXXIV. *Orationes vicariæ Monachorum inprimis pro viventibus, & defunctis in Purgatorio, nundinationi ſpirituali ancillantur.*
XXXV. *Monachatus ad exercendam eam aptus natus eſt.*
XXXVI. *Actu etiam quæſtuariam per Monachatum*

Digitized by Google

exerceri, ex Monachorum, Jeſuitarum inprimis ſtatu, oſtenditur.

XXXVII. *Diteſcendi artes à Jeſuitis uſitatæ ex Petro Aurelio, Sorbonico doctore, & Petro Deza, explicantur.*

XXXVIII. *Monachorum mendicantium, quibus Terminariis nomen, impudens nundinatio.*

XXXIX. *Dominicanorum & Franciſcanorum de divitiis & paupertate, Chriſto inprimis paupere, certamen; & Monachatûs arcana, eundem vaframentum Babylonicum eſſe, propalant.*

XL. *Purgotorii fides nundiationi promovendæ idonea inprimis eſt.*

XLI. *Ejus hyperaſpiſtæ ſinulneis præſidiis innixi,*

XLII. *produnt, genuinam ejus cauſam eſſe auri ſacerrimam famem,*

XLIII. *quod ex Bernhardino, Concilio Tridentino, Græcorum conſenſu, Epiſcopi Chemenſis ſuffragio, probatur:*

XLIV. *Progreſſus ad abuſum clavium, in Sacramento Pœnitentiæ;*

XLV. *In quo Sacerdos judex ſedens pro tribunali, & abſolutionem promittens facilè miſeros ad impendenda ſua omnia pellicit.*

XLVI. *Pœnitentiæ in mulctas pecuniarias Burchardi tempore converti cœptæ ſunt.*

XLVII. *Nundinatio Pœnitentiaria ex Taxis inprimis Cancellariæ & Pœnitentiaria, demonſtratur.*

XLVIII. *In quibus etiam Judæis numeratâ pecuniâ facultas blaſphemandi Chriſtum conceditur.*

XLIX. *Papa ſibi caſus certos, in quibus Sacerdotes abſolvere nequeunt, reſervavit,*

L. *ad ſtabiliendam ſcilicet tyrannidem, augendúmque quæſtum.*

LI. *Im-*

LI. *Imperii R. de pœnitentia in aucupium pecuniæ converſa querela.*

LII. *Papa extra Pœnitentiæ Sacramentum ſummam ſibi poteſtatem abſolvendi vendicat; prætextu theſauri meritorum Chriſti & Sanctorum abundantium poſſeſſi, & per indulgentias conceſſas applicandi.*

LIII. *Indulgentiarum origo & progreſſus.*

LIV. *Veteres indulgentiarum formulæ.*

LV. *Per Scholaſticorum de indulgentiis diſputationes, nundinationi feneſtra aperta eſt; & pecuniæ pro iis datæ ut ſpirituales, non ut corporales conſideratæ ſunt. Quæſtorum impudentia Concilii Viennenſis decreto reprimitur; mox tamen Pontificum falſa interpretatione enervato.*

LVI. *Plenam diſpenſandi eaſdem poteſtatem ſibi Pontifices reſervant, & eaſdem diſtinguunt, atque ad mortuos etiam, ſaltem per modum ſuffragii extendunt.*

LVII. *Indulgentiarum nundinæ ſunt Jubilæa, auri ſacra fame à Bonifacio VIII. primùm inſtituta,*

LVIII. *& à ſucceſſoribus continuata, ac ad breviorem temporis terminum contracta.*

LIX. *Iis qui Jubilæi tempore Romam adire non poſſunt, Papa Legatis miſſis, & facultate certis Collegiis, Eccleſiis &c. data, aliiſquè modis lucroſis proſpexit.*

LX. *Indulgentiæ in articulo mortis conceſſæ, cariſſimo pretio emptæ; nec ſine novis impoſturis, & diſputatione de articulo mortis vero & præſumpto.*

LXI. *Indulgentiis inſerviverunt tum confeſſionalia, magno pretio redempta,*

LXII. *tum ſtationes, Romanæ inprimis, quarum multiplicatio mirè nundinationem auxit.*

LXIII. *Stationum omnium indulgentiæ tantum in numerum excreverunt, ut iis nec vitæ præſentis, nec purgatorii*

torii tempus ſufficiat. Unde intricatæ quæſtorum diſputationes exortæ, & à nonnullis Geometrica proportio in ſubſidium vocata eſt.

LXIV. *Stationum indulgentiæ abſentibus pro pecunia per quæſtores vendi incipiunt.*

LXV. *Fabula putidiſſima de plenaria indulgentia ſine pecunia in Eccleſia S. Mariæ de Angelis apud Aſſiſſium per Franciſcum à Chriſto impetrata, indulgentiariæ illorum temporum nundinationis teſtis eſt.*

LXVI. *Nundinationi eidem optimi quinque contradixerunt, inprimis Wilhelmus Durandus, Schola Pariſienſis, Weſſelus Groningenſis, Joh. Veſalienſis, &c.*

LXVII. *donec Deus collybiſticas illas menſas Leone X. authore impudentiſſimè exercitas, in Germania per Lutherum;*

LXVIII. *in Helvetia per Zwingelium detexit evertitque.*

LXIX. *Simonia Leonis X. demonſtrata.*

LXX. LXXI. LXXII. *& nequicquam à Pallavicino defenſa.*

LXXIII. *Statuum Imperii Gravamina adverſus indulgentiarum nundinationem.*

LXXIV. LXXV. *Tridentinum de indulgentiis decretum eidem finem non impoſuiſſe, ex verbis, declaratione ejuſdem, & praxi oſtenditur.*

LXXVI. *Sciopii clamoribus, quòd indulgentias Papa hodie nullas vendat, occurritur.*

LXXVII. *Tranſitur ad Sacramentum Ordinis, in quo abuſuum Oceanum Veronenſis Epiſcopus notavit.*

LXXVIII. *Origo & progreſſus nundinationis circa collationem ipſam ordinum.*

LXXIX. LXXX. *De ea in Concilio Tridentino exorta diſceptatio*

diſceptatio eum finem habuit, ut ex decreto ejuſdem tum præterita circa eandem nundinatio ſolidè convincatur, tum in futurum parùm Simoniæ illi præcautem eſſe, colligatur.

LXXXI. *Major longè in collatione beneficiorum à collatione ordinum ſeparata, Simonia in Papatu graſſatur, quæ verbis Eſpencæi & M. A. de Dominis generaliter perſtringitur.*

LXXXII. *Baſis nundinationis illius eſt, quòd Papa ſe ſupremum beneficiorum Dominum profitetur.*

LXXXIII. *Controverſia ab eodem Imperatoribus de inveſtituris mota.*

LXXXIV. *Nundinatio Papalis beneficiorum per Expectativas,*

LXXXV. *per Reſervationes beneficiorum vacantium,*

LXXXVI. *per introductas beneficiorum Pluralitates,*

LXXXVII. *de quarum abominatione graviſſimè Gerſon & Duarenus queſti ſunt,*

LXXXVIII. *per Commendas,*

LXXXIX. *per Uniones beneficiorum,*

XC. *per Permutationes, Devolutiones eorundem, Penſiones, quarum fœditatem ipſi quandoque Canoniſtæ deteſtantur.*

XCI. *Simoniacarum harum technarum ſucceſſus demonſtratur tum in Cardinalium,*

XCII. *tum in Curiæ Romanæ miniſtrorum, & Papæ adulatorum ac clientum exaltatione, in Anglia maximè;*

XCIII. *Germania de Curtiſanis, Romanis nebulonibus quiritante,*

XCIV. *Helvetia, Gallia.*

XCV. XCVI. XCVII. XCVIII. *Eadem Beneficiorum Eccleſiaſtico-*

cleſiaſticorum nundinatio porrò demonſtratur ex Annatis apertiſſimè Simoniacis;

XCIX. *exactione iniquiſſima pro Pallio, Archiepiſcoporum;*

C. *prætenſione Divini juris decimarum.*

CI. *Tributis graviſſimis Clero à Pontifice impoſitis, veluti Decima quinta, Decima, Quinta, Tertia, Medietate, &c,*

CII. *aliiſque expilationibus beneficiorum Eccleſiæ & Cleri multifariis.*

CIII. *In regimine Eccleſiæ Hierarchia nundinatur leges tum Divinas, matrimoniales inprimis, per diſpenſationes circa eaſdem, in matrimoniis vetitis contrahendis,*

CIV. *& contractis pro libitu Papæ diſſolvendis;*

CV. *nec non relaxationes juramentorum;*

CVI. *& votorum, Monaſticorum inprimis;*

CVII. *cui Denarius S. Petri, nobile Papæ tributum, originem debet,*

CVIII. *quin & lenoniam, quam pro pecunia Papa indulget.*

CIX. *Tum humanas & Eccleſiaſticas, quas lucri ex diſpenſatione earundem captandi gratia multiplicavit idem; ad quas inprimis leges compoſitionum ſic dictæ referendæ ſunt.*

CX. *Diſpenſationum illarum pretia Taxa Pœnitentiaria definivit.*

CXI. *Eædem latiſſimè vagantur,*

CXII. *& in foro etiam conſcientiæ tutæ pronuntiantur.*

CXIII. *In eodem Eccleſiæ regimine Hierarchia nundinatur judicia, ſeu cauſas ad tribunal Romanum per acceptas ab omnibus terris appellationes ſevocatas, de qua re querelæ Urſpergenſis; ipſius Imperii Romani.*

CXIV. *Bernhardi Clarævallenſis;*

CXV. *& Johannis Gropperi in Concilio Tridentino motæ,*

& à

& à Job. Baptiſta Caſtello nequicquam repulſæ panduntur.

CXVI. *Pertinent eodem cauſæ matrimoniales, quas Sacramenti prætextu, ad forum ſuum Hierarchia pertraxit.*

CXVII. CXVIII. *Nundinationes Hierarchicæ operum pietatis & charitatis ex quæſturis eleemoſynarum;*

CXIX. *aucupiis teſtamentorum,*

CXX. *Montium pietatis fœneratoria;*

CXXI. *Donationum commentis probantur.*

CXXII. *Benedictionum & conſecrationum nundinatio deſcribitur.*

CXXIII. *ad quam etiam corporum & cadaverum nundinatio, per quæſtum ex ſepultura occœptum, refertur.*

CXXIV. *In jurisdictione Papali, univerſa animarum fœda nundinatio exercetur.*

CXXV. *ad quam animarum in ſeminariis Romanis cauponatio jure refertur.*

CXXVI. *Nundinationi Hierarchicorum inſerviunt tum leges & canones Eccleſiæ, quibus eadem ſic firmatur, ut juſtitiæ ſpeciem accipiat;*

CXXVII. *libertatum Eccleſiæ velo tecta.*

CXXVIII. *Tum cenſuræ Eccleſiaſticæ, quibus nundinationi illi reſiſtentes, feriuntur,*

CXXIX. *& quæ quandoque grandi pecuniæ ſummâ remittuntur,*

CXXX. *quin etiam Sacramento fidelitatis; quo Epiſcopos Papa ſibi obnoxios fecit, corroborantur.*

CXXXI. *Tum denique Officinæ & tabernæ multiplices,*

CXXXII. *quas inter Romæ Pœnitentiaria & Dataria eminent,*

minent. In Dataria cuduntur Bullæ, quarum vanitas oſtenditur.

CXXXIII. *Bonifacii VIII. pro Bullarum neceſſitate ratiunculæ diſcutiuntur.*

CXXXIV. *Camera Apoſtolica ærarium Papæ.*

CXXXV. *Nundinationis Romanenſium fructus ſunt divitiæ Cleri, & expilationes Regnorum.*

CXXXVI. *Romam gentilem inſatiabilis divitiarum cupiditas perdidit.*

CXXXVII. *Eadem Romam quoque Chriſtianam peſſumdedit,*

CXXXVIII. *quæ eò vecordiæ proceſſit, ut divitias veræ Eccleſiæ notam faceret.*

CXXXIX. *Roma artibus ſuis Germaniam, Galliam, Angliam, Hiſpaniam, aliáque Regna & Nationes horrendum in modum expilavit.*

CXL. *Johannis xxij. opulentia à Paulo Langio meritò ſugillata.*

CXLI. *Thomæ Aquinatis ad Innocentium III. divitias ſuas jactantem, apophtegma.*

CXLII. *Ærarii Papalis ſubindè langueſcentis cauſæ.*

CXLIII. *Objectio Hierarchicorum, ab Eccleſiæ Romanæ neceſſitatibus, & ſumptuum faciendorum magnitudine petita, diſcutitur.*

CXLIV. *Nundinatio Hierarchicorum teſtimoniis domeſticis, convincitur.*

CXLV. *Teſtes inducuntur ex Seculo Decimo, Otho III. Imperator, & Magiſter ejus Gerbertus.*

CXLVI. *Ex Undecimo Leo ix. Papa, Petrus Damiani Cardinalis, Juo Carnotenſis;*

CXLVII. *Bernhardus Corbejenſis.*

CXLVIII. *Ex Seculo Duodecimo Fridericus I. Imp.*

CXLIX. CL. *Bernhardus Claræ vallenſis.*

CLI.

CLI. *Thomas Cantuarienſis, Johannes Sariſberienſis, Petrus Bleſenſis.*

CLII. *Ex ſeculo Decimo-tertio Richardus Angliæ, & Alphonſus Arragoniæ Reges.*

CLIII. *Stephanus Tornacenſis, Guilhelmus Durandus Mimatenſis, Petrus Thullenſis, & Eberhardus Salisburgenſis Epiſcopi.*

CLIV. *Ex Seculo Decimo-quarto Ludovicus Bavarus Imp.*

CLV. *Alvarus Pelagius.*

CLVI. *Franciſcus Petrarcha, Marſilius Patavinus & Albericus Roxiatus.*

CLVII. *Ex Seculo Decimo-quinto Regum Galliæ Sanctio Pragmatica: Eccleſiæ Græcæ.*

CLVIII. *Æneas Sylvius, Cardinalis Cuſanus.*

CLIX. *Nicolaus Clemangis.*

CLX. *Laurentius Valla, Baptiſta Mantuanus.*

CLXI. *Ex Seculo Decimo-Sexto Imperator Maximilianus I. Hadrianus VI. Cardinales Pauli III.*

CLXII. *Franciſcus Duarenus, Dominicus Sato, Jaſon, Budæus, Eraſmus, Eſpencæus, Sanſovinus.*

CLXIII. *Nundinationem Hierarchicorum morbum incurabilem eſſe, ex hiſtoria Concilii Baſileenſis,*

CLXIV. *& Tridentini, demonſtratur.*

CLXV. *Argumentum concluditur.*

I. Falſos doctores, perditas quandoque hæreſes in Eccleſiam invecturos, & in conſortium erroris perditioniſque complures, per quos via veritatis blaſphemabitur, tracturos, hâc inter alias notâ Spiritus S. 2. Pet. II. 2. diſtinguit: ἐν πλεονεξίᾳ πλαστοῖς λόγοις ὑμᾶς ἐμπορεύσονται. *Per avaritiam fictis ſermonibus vos quæſtui habebunt, vel negotiabuntur.* Ficti illi *Falſorum doctorum inter alias nota eſt, quòd per avaritiam fictis ſermonibus homines nundinantur.*

illi ſermones μῦθοι *fabulæ* ſunt, ſermones & doctrinæ artificioſè ad hoc comparatæ, ut qui eos proferunt, hominibus placeant, eos ſibi devinciant, & in poteſtatem ſuam redigant; quo ex iis pro lubitu lucrum emolumentúmque terrenum accipiant.

Nundinationem ſimilem Spiritus S. Babyloni tribuit,

II. Ejuſmodi ἐμπορίαν *negotiationem*, *nundinationem* etiam Babyloni M. Spiritus Dei tribuit Apoc. XVIII. H. 12. ubi mentio eſt ἐμπόρων *mercatorum*, qui v. 23. Μεγιστᾶνες *Magnates terræ* vocantur; nec non γόμου *mercimonii*, puta *auri*, *argenti*, *lapidis pretioſi*, *margaritæ*, *byſſi*, *purpuræ*, *ſerici*, *coccini*, *ligni odorati*, *vaſis eburnei*, *omnis vaſis ex ligno pretioſiſſimo*, *& ære*, *& ferro*, *& marmore*, *& cinnamomi*, *& odoramentorum & myri*, *& thuris*, *& vini*, *& olei*, *& ſimilaginis*, *& tritici*, *& jumentorum*, *& ovium*, *& equorum*, *& rhedarum*, *& corporum*, *& animarum hominum* &c. Neque tantùm Mercatorum ejuſmodi, ſed etiam v. 17. *Gubernatoris*, *turbæ in navibus*, *nautæ*, *& ex mari quæſtum facientium* mentio eſt.

quæ non tam ſecundùm literam earum mercium, quæ Babyloni tribuuntur, quàm ſecundùm allegoriam explicari debet,

III. Poſſunt hæc ſecundùm literam intelligi, ſiquidem in Babylone, ceu Regno terreno, *ſpiritualis* nomine fucato licet, hoc agitur, ut rebus talibus homines affluant; & ut poteſtas ſit illas vendendi aliis.. Quia tamen deſtructa Babylone merces haſce nemo ampliùs emere v. 11. dicitur, adeóque eæ Babyloni propriæ vendicantur, cùm merces hæ ſecundùm literam acceptæ communes ſint gentibus, tum ante Babylonem exiſtentes, tum eâ deletâ ſuperſtites futuræ in commercio hominum; potius eſt, ut primariò non ſecundùm literam, ſed ἀλληγορικῶς iſthæc explicentur. Sic *aurum*, principalis Babylonis merx, eſt emblema Dei, Spiritus S. Verbi Dei: *argentum* puritatis naturæ humanæ Chriſti; *lapis pretioſus & margaritæ* S. Petri & Apoſtolorum: *byſſus* iuſtitiæ Sanctorum: *purpura* paſſionum Chriſti:

Chriſti: *ſericum* novæ obedientiæ & ſanctitatis fidelium: *coccinum* paſſionum Sanctorum: *lignum odoratum* hominum natorum in horto Dei, præditorum ſpiritu vitæ & fragrantia ſive bonorum operum, ſive doctrina: *vaſa ex ebore, ligno pretioſo, ære, ferro, marmore* omnium eorum, qui in Eccleſia uſum aliquem habent, ſive docendo, ſive muniendo, protegendo: *cinnamomum* doni ſanationis: *ſuffimenta* orationum Sanctorum pro ſe vel aliis: *unguentum* chariſmatis virtutum illuſtrium: *Thus* oblationis pro peccatis: *vinum* verbi Dei omnia recreantis: *oleum* conſolationis: *ſimilago* doctrinæ de perfectione Chriſtiana: *triticum* doctrinæ de Chriſtianæ pietatis initiis: *jumenta* homines portantia, & in arvis laborantia eorum, qui miniſtrant: *Oves* eorum, qui paſcuntur, ſubſunt: *Equi* populorum, regnorum, principum: *quadrigæ* eorum, quæ Regibus, principibus vehendis inſerviunt: *corpora* pœnarum corporalium: *animæ* ſpirituum, qui vel occiduntur, vel redimuntur.

IV. Atque hi Babylonii mercatores hæ Babyloniæ merces ſunt, quas, quiſquis non planè oſcitanter conſideraverit, in Eccleſiæ Romanæ Hierarchia nullo negotio reperiet; ſive ſecundùm literam, ſive allegoricè explicentur. Id verò Syllogiſmo ſequenti probatum clariſſimè dabimus: *Ille cœtus avaritia & nundinatione ſpirituali ſeſe immaniter polluit, adeòque cæteris paribus, Babylon Magna eſt, in quo merces illæ Babyloni tributæ reperiuntur tum ad literam, in cultu externo & Miſſa inprimis: tum ſecundùm allegoriam; juxta quam habet magnos mercatores, gubernatores, naucleros, & nautas, & lucri cauſa Chriſtum, falſa dogmata confinxit, atque ſic in Miſſa Deum, remiſſionem peccatorum: in cultu reliquo externo Sanctorum, Imaginum & reliquiarum invocatarum opem & interceſſionem apud Deum; nec non viventium, Monachorum*

Nundinationem tamen eandem & ſecundùm literam & allegoricè explicatam in Hierarchia reperiri, generali Syllogiſmo demonſtratur, cujus quoad utramque propoſitionem ſingula membra explanantur.

chorum inprimis, pro viventibus & defunctis in fictitio Purgatorio laborantibus vicarias orationes, oblationes, ſuffragia & ſupererogationis merita in Sacramento Pœnitentiæ, & extra illud in applicatione Theſauri meritorum Chriſti & Sanctorum abundantium per indulgentiarum diſpenſationem inprimis, claves Regni Cœlorum: in Sacramento Ordinis collationem tum Ordinum, adeóque ipſum Spiritum S.tum beneficiorum: in regimine Eccleſiæ tum leges & Divinas & humanas, tum judicia & cenſuras eccleſiaſticas: in communione externa Eccleſiæ opera pietatis & charitatis: in Sanctificatione externa benedictiones & conſecrationes rerum: denique in juriſdictione univerſa animas hominum in commercio habet; ſuámque illam nundinationem legibus, cenſuríſque firmat, & in publicis officinis impune exercet; neque, reclamantibus licet optimis quibuſque, eà in re emendationem patitur.

Atqui in Hierarchia, ſeu Clero Eccleſiæ Romanæ dominante merces Babyloni tributæ reperiuntur tum ad literam, in cultu externo & Miſſa inprimis: tum ſecundùm allegoriam, juxta quam illa habet magnos Mercatores, gubernatores, naucleros & nautas, & lucri cauſa falſa dogmata confinxit, atque ſic in Miſſa Deum, Chriſtum, remiſſionem peccatorum: in cultu reliquo externo Sanctorum, Imaginum & reliquiarum invocatarum opem & interceſſionem apud Deum, nec non viventium, Monachorum inprimis, pro viventibus & defunctis in fictitio Purgatorio laborantibus vicarias orationes, oblationes, ſuffragia & ſupererogationis merita: in Sacramento Pœnitentiæ & extra illud in applicatione theſauri meritorum Chriſti & Sanctorum abundantium, per indulgentiarum diſpenſationem inprimis, claves Regni Cœlorum: in Sacramento Ordinis collationem tum Ordinum, adeó-

que

que ipſum Spiritum S. tum beneficiorum: in regimine Eccleſiæ tum leges & Divinas & humanas, tum judicia & cenſuras eccleſiaſticas: in communione externa Eccleſiæ opera pietatis & charitatis: in Sanctificatione externa benedictiones & conſecrationes rerum: denique in jurisdictione univerſa, animas hominũ in commercio habet; ſuámque illam nundinationem legibus & cenſuris firmat, & in publicis officinis impunè exercet; neque, reclamantibus licet optimis quibuſque, ea in re emendationem patitur.

Ergò Hierarchia, ſeu Clerus Eccleſiæ Romanæ dominans avaritia & nundinatione ſpirituali ſeſe immaniter polluit, adeòque, cæteris paribus, Babylon Magna eſt.

Propoſitionem utramque, pluribus quippe membris conſtantem, ἀνὰ μέρος demonſtrabimus.

V. Ibi, cœteris paribus, eſſe Babylonem Magnam, ubi merces eidem nundinanti tributæ, ad literam etiam conſpicuæ ſunt, dubitationem habere nullam poteſt. In Hierarchia autem Romana conſpicuas eſſe, quis inficias iverit? Ubi enim terrarum rerum earum copia major & abundantior eſt? Sicut olim gentes diverſæ talibus Tyrum, nobiliſſimum emporium locupletârunt, Ezech. XXVII. ſic planè populi omnes in Roma & Hierarchia mercibus his ditanda & dotanda, certare videntur. *Aurum, argentum, lapides pretioſos* &c. ex ultimis Indiis Hiſpani per Oceanum advehentes, univerſam Europam iiſdem beant; atque omnes Europæ populi tandem ea Romæ tantùm non exonerant, iiſque Hierarchiam mactant. *Cinnamomum, ſuffitum, unguentum, thus* & *vinum* Itali ipſi per internum mare ex Græcia, Cilicia, Arabia, Ægypto, Africa aſportant, earúmque rerum copiam toti ferè Europæ faciunt; cùm inſuper eorum tellus deliciarum genus omne feraciſſima

Merces Babyloni tributæ, Hierarchiæ ſecundùm literam conveniunt; & per varias gentes Romæ obnoxias eadem importantur.

raciſſima ſit. *Similam & triticum* Sicilia & Sardinia, horrea & penariæ cellæ Italiæ: *jumenta* Germania: *oves* Anglia: *equos* ac *rhedas* Gallia: *corpora* Helvetia: *animas* populi omnes, ſuperſtitionibus imbuendas ſuppeditant. Atque iidem populi merces haſce Romam ferentes, eidem Romæ vectigales fuerunt, vel etiamnum ſunt. Sed hoc parùm fortè videbitur, quia horum æſtimatio & negotiatio non ex una Roma pendet. Niſi fortè ſublato tam avido emptore multò viliora illa erunt, quod ipſum etiam poſt Reformationem contigiſſe videmus, profanis etiam Mercatoribus dolentibus, tam copioſæ negotiationis, & diteſcendi occaſionem ſibi interceptam eſſe, quam in his ipſis rebus ſub florente olim Papatu habuerunt.

Eaſdem ſecundùm literam in externo Hierarchicorum cultu conſpicuas, & ad tabernaculi Moſaici imitationem, in cultum externum introductas eſſe, probatur.

VI. Majùs illud eſt, quòd merces illas ad literam etiam in externo Hierarchiæ cultu, Miſſa inprimis, ejúſque inſtrumentis, clariſſimè omnium cernere eſt. Olim quidem pleraque illa, quæ hîc inter merces Babylonis Spiritus S. refert, in Tabernaculo à Moſe, Deo mandante, extructo comparuerunt, uti ex Exod. xxv. & xxxv. colligi poteſt; exceptis fortè ψυχαῖς *animabus hominum*, quale mercium genus non ſolùm apud Moſen non habetur, ſed toti antehac mundo, cœlóque & inferno incognitum fuit; ſoli tabernæ Babylonis & Hierarchiæ proprium. Porrò S. Johannes, dum nos ſic ad Tabernaculi veteris apparatum deducit, Babylonis Magnæ κακοζηλίαν nobis conſiderandam proponit, qua veteris Sacerdotii operoſam ſupellectilem, à Deo ipſo jam reprobatam, ab Apoſtolis abrogatam, & cum veteri Synagoga ſepultam, in Eccleſiæ Catholicæ ſimpliciſſimum cultum proprio auſu reduxit, & per eandem hinc doctrinam de Chriſto obſcuravit, illinc peculium ejus ſuprà modum aggravavit, ut ſic non Chriſto ſolummodo, ſed etiam Moſi contrariam oſtenderet, qui per hæc olim

olim involucra Chriſti, tum adhuc venturi, myſterium typicè adumbraverat.

VII. Mirum planè, ſi non erubeſcant Hierarchici mangones & propolæ, quoties in Inventarium illud tabernæ Babylonicæ, proprium mercium ſuarum indicem, incidunt. Ejus quidem apparatus commodè duas in claſſes diſtribuitur, in inſtrumenta nimirum idololatriæ, cultúſque idololatrici, per quæ is exercetur & exornatur, nec non inſtrumenta avaritiæ, luxûs, faſtûs, quem ſub eodem tam in Sacrificulatûs officio, quàm in victu & amictu exercent. Ibi, ſi uſpiam alibi, merces *argenti, lapidis pretioſi, margaritarum, byſſi, purpuræ, ſerici, cocci, omne lignum thyinum, omne vas eburneum, omne vas ex ligno pretioſiſſimo, ære, ferro, marmore; cinnamomum, ſuffitum, unguentum* (ſeu chriſma) *thus, vinum, oleum, ſimilam, triticum, jumenta, oves, equos, rhedas, mancipia;* notiſſimæ, uſitatiſſimæ, vulgatiſſimæ ſunt. An, Jeſuitæ, novi Bezaleeles, in his ipſis mercibus denuò interpolandis, exornandáque hâc Tabernâ neſcio quod novum artificium nobis oſtentantes, ſic frontem perfricuiſtis, ut, inſpectâ Babylonicâ hâc mercium tabernâ, veſtras in cultu & ſacratarum perſonarum veſtrarum uſu omni, ſpirituali negotiationi ſubjectas non recognoſcatis merces, & erubeſcatis toti? Niſi fortè in vobis illud Germanorum impletur adagium: *Quando Diabolus meretricem creavit, unà frontem meretriciam creavit.* Sed quicquid etiam vos diſſimuletis, vel talpa Tireſia cœcior videbit in cultu veſtro obvias haſce merces: *Aurum, argentum, lapides pretioſos, margaritas, byſſum, purpuram,* aut *coccum* in Miſſali idolo, Papâ, Cardinalibus, aliiſque Magnatibus Babylonicis eorúmque Miniſtris exornandis: *lignum thyinum* in Templorum teſtudinibus adornandis ſculpendiſque idolis: *thura, ſuffimenta* in imaginibus colendis: *lignum, æs,*

Adeò ut Spiritum S. tabernam inſtitoriam mercium, quas in externo cultu Hierarchici uſurpant, & Ieſuitæ, novi Bezaleeles ſtrenuè adornant, ob oculos poſuiſſe, ſit longè clariſſimum.

æs, ferrum, marmor, in imaginibus iiſdem, aliiſque utenſilibus ſacris fabricandis: *cinnamomum*, odoreſque aromaticos ſimiles & *unguenta* in ſacris unctionibus conficiendis: *ſimilam & triticum* in Numine Panaceo producendo: *vinum* in calice aurato, quod ſolus Sacrificulus conficiens pitiſſat: *jumenta*, puta *vituli, ovéſque* ſeu *agni* Dei, & ſacra vellera: *equi, rhedæ, corpora*, rhedas bijugas, quadrijugas, ſejugas, id eſt, equos binos, quaternos, ſenóſve habentes, & pediſſequos utrinque ad latera rhedæ currentes, qui σώματα *corpora* hìc vocantur; non eo ſolùm ſenſu, quo vox ea *ſervos, mancipia* ſignificat, quales certè etiam pediſſequi ii ſunt; ſed eo etiam, quòd hi ſervuli *nudi*, id eſt, ſine pallio penuláve, currere ſoleant; quales *equi, rhedæ, corpora* in Papæ, Cardinalium, Epiſcoporum, Magnatum omnium cavalcadis, equitationibus, vecturis, adeóque ipſarum Eccleſiaſticarum Dignitatum nundinationibus maximè conſpicui ſunt: denique *animæ*, quas in Purgatorio detineri, atque inde pretio auri, argenti, lapidum pretioſorum, byſſi &c. redimi poſſe, Babylonii mercatores illi nugantur.

In Miſſa inprimis merces illæ Babylonicæ ſecundùm literam inveniuntur.

VIII. Jam olim, ut hoc unum addam, Antichriſto, Rege ſe exaltanti, & ſuprà omne Numen ſe efferenti, (quem *Babylonis* emblemate Apocalypſis depingit) phrygionicum ejuſmodi mangonium Daniel cap. XI. 38. tribuit his verbis: *Deum* מעזים *Mauzim* (arcium, Baſilicarum) *loco* Dei majorum ſuorum *colet: Deum, quem non agnoverunt* majores ejus, *colet* בזהב ובכסף באבן יקרה בחמדות *auro, & argento, & lapide pretioſo, & deſiderabilibus*, ſeu *pretioſis* quibuſque. Utitur autem Daniel generali voce חמדות *deſiderabilium*, ſeu *pretioſorum*, quam in ſpecies ſuas S. Johannes diducit. Quis verò mangonium iſthoc Numini inprimis Panaceo, Deo, ſeu idolo illi Mauzim, Baſilicarum, in Miſſa, unicè inſervire, non videt? Ibi enim

hierothecæ

Digitized by Google

hierothecæ illæ, ſeu Monſtrantiæ, quibus novellum illud Numen includitur, altaria, vaſa ſacra, veſtes, ſacrificulorum, reliquáque ſacri dramatis illius inſtrumenta auro, argento, lapidibus pretioſis, reliquíſque pretioſis à S. Johanne ordine recenſitis pleriſque ſic nitent & ſplendeſcunt, ut fruſtrà alibi illa conjunctiora & fulgentiora requiras. Repertas eſſe, & reperiri adhuc novimus Monſtrantias, auro, argento, lapidibus pretioſis intertextas, tanto pretio, ut non unius tonnæ auri pretium ſuperent.

Ex perſonato & theatrali externo comptu, qualem Hierarchici habent, optimè Eccleſia Chriſti à Babylonica diſtinguitur.

IX. Certum equidem eſt, nullam in terris religionem, extare, quæ majore faſtu, majore apparatu, gravioribúſque ſumptibus exerceatur, quàm Romana. Sicut contra nulla in orbe religio caſtiori & ſimpliciori hac in parte cultu inſtituta eſt, quæ à meretricio hoc fuco magis abhorreret, quàm Chriſtiana. Ut in hoc perſonato & theatrali comptu oppoſitio Chriſtum inter & Romanam Hierarchiam valdè conſpicua ſit. Et in his ipſis phaleris non minima pars gliſcit efficacium irritamentorum idolomaniæ, quibus nimirum imperita plebs facilè capitur. Cujus rei vel ipſimet Jeſuitæ teſtes eſſe poſſunt, qui, ceu novi & exotici phrygiones ornatui huic præcipuè ſtudent, quia ejus ad imperitos pelliciendos vim præcipuam hactenùs experti ſunt. Quantum porrò mercium illarum pretium ſit, vel hinc æſtimare licet, quòd Papa, ſi quando in periculum præſens Papatus adduceretur, neque defendi aliter poſſet, beneficio unius alicujus Provinciæ vaſorum Templariorum, ſi ea conflari aut diſtrahi jubeat, aliquot annorum bellum alere poſſet.

Nundinatio Babylonica Hierarchicis magis etiam convenit ſecundùm allegoriam,

X. Sic Babylonicæ merces Hierarchiæ κατὰ τὸ ῥητὸν quadrant. Sed magis etiam quadrant ἐν ἀλληγορίᾳ *ſecundùm allegoriam*, juxta quam merces hæ corporales emblema ſunt mercium ſpiritualium, quas Hierarchici in commercio habent. Neque abſonum videri poteſt, utrumque Spi-

juxta quam merces Babylonis corporales emblema ſunt ſpiritualium, quæ in commercio habentur.

ritum S. intendiſſe, demonſtrare videlicet in Babylone merces illas tum ut corporales, tum ut ſigna & imagines rerum ſpiritualium, nundinationi huic ſubjectarum, eo ſenſu, quem ſuprà expreſſimus. Pertendo igitur, Hierarchiam pridem vænum expoſuiſſe, & adhucdum exponere *aurum*, Deum ipſum, Chriſtum, Spiritum S. ejúſque gratiam & peccatorum remiſſionem: *argentum*, puritatem & juſtitiam meriti Chriſti: *lapidem pretioſum & margaritas*, Sanctos, Divos, eorum factitias fictitiáſque imagines & reliquias: *byſſum*, merita & juſtitiam Sanctorum: *purpuram*, paſſiones ſuperabundantes Chriſti: *ſericum*, opera fidelium: *coccinum*, paſſiones Sanctorum: *lignum odoratum*, Sanctos, quos ob merita eorum in Divorum numerum refert, quò illos invocare, & omnem ex iis voluptatem percipere liceat: *vaſa ex ebore, ligno pretioſo, marmore*, &c. tutelam principum, ſapientiam doctorum, patientiam monachorum: *cinnamomum*, dona ſanationis apud reliquias Sanctorum: *ſuffitus*, orationes Sanctorum, etiam pro mortuis: *utguentum*, ſpirituales gratias multiplices: *thus*, oblationes pro peccatis: *vinum*, verbum Dei, prout à Papa proponitur, recreans ſcilicet & vivificans animam: *ſimilaginem*, Numen Panaceum: *triticum*, beneficia & bona Eccleſiæ: *jumenta*, Clerum Eccleſiæ, qui venditur Epiſcopis: *Equos, rhedas*, populos, Regna, principatus, quos vectigales Papa habet: *animas*, hominum conſcientias, quas ſuperſtitione imbutas Papa quæſtui habet. Sive ergò corporales hæ merces ſpiritualium illarum ſymbola ſint (quod negari temerè nequit, quia apprimè congruunt, & tum ſymbola ipſa, tum res illæ ſignificatæ in Hierarchica illa ἐμπορία utramque paginam faciunt) ſive res ſaltem ſignificatæ Hierarchiæ conveniunt, manifeſtum erit, illam avaritia & nundinatione Spirituali, quam Babyloni Spiritus S. tribuit, immaniter ſe polluere.

XI. Ante

XI. Ante omnia Hierarchia habet ſuos ἐμπόρους τῆς γῆς *Mercatores terræ*, qui ſunt μεγιστᾶνες τῆς γῆς *Magnates terræ*. Eorum ſupremus Papa, maximus Cananæus licet (juxta carmen illud Poëtæ de Alexandro M.

Vendit Alexander claves, altaria, Chriſtum;
Vendere jure poteſt, emerat ille priùs.

quod de Pontificibus pleriſque omnibus jure cantaveris) à quo proin univerſa illa mercatura dirigitur, & ad quem, ceu centrum, omnis nundinationis fructus confluit; non tamen Mercator, ſed Rex Regum eſt, habens Regnum in Reges terræ. Quæ etiam cauſa eſt, cur eum ceu ſupremum videlicet Regem & Dominum, nunquam in mercatura ſua peccare, vel Simoniæ crimen committere poſſe, aſſentatores illi, quibus Papæ oletum amaricinum olet, pertendunt. Refert enim P. Jovius *Hiſtor. lib. iv.* Laurentium Puccium Cardinalem dicere ſolitum: *Nullum lucrum* (NB) *quacunque etiam ex re, Papæ illicitum eſſe.* Quod Senecæ verbis *Epiſt.* 95. efferre potuiſſet Pontifici Romano, *nihil turpe eſſe, cujus placet pretium.* Quòd Papa in Simoniacis non illaqueetur, nec committat Simoniam vendendo beneficia, Felinus, multíque alii ab ipſo citati, nec non Jacobatius, tuentur. Sic Juriſconſultus magnæ famæ Bartolus *in l. Barbotius 2. Colum. ff. de offic. Prætoris* decernit: *Papa non dicitur committere Simoniam, ſi confert beneficia vel dignitates, acceptâ pecuniâ.* Ecquare? Pulchellam accipe, ſed ſine ratione, rationem: *Quia Papatus*, inquit, *eſt Apoſtolatus, & aut ſanctum facit, aut ſanctum recipit. Quod eſt notandum*, ſic ex ordine JCtorum alius, Jodocus Dumhauderius *in Praxi criminali cap.* 61. *num.* 67. &c. ἐπιχειρήσει, *contra rabidè latrantes adverſùs ſedem Apoſtolicam, quibus non eſt licitum os opponere in Cælum: ſed LICITUM eſt Pontifici ut mutet quadrata rotundis.* Scilicet ſacrilegia minuta, &

Habet ergò Hierarchia ſuos Mercatores, qui ſunt Magnates terræ, quorum ſupremus eſt Papa, quem ut hac impietate eximant paraſiti ejus, Simoniam committere poſſe, negant.

minutorum tantùm hominum punienda: magna aut magnorum in triumphis ferenda ſunt?

Dogmatis illius falſitas oſtenditur;

XII. Sed ô vocem nonniſi eorum hominum, qui virtutem ipſam exſcindere concupiſcunt! Quod virtutis excidium tantò certiùs hæc doctrina ſecum trahit, cùm vitia ſua Pontifices ſanctitatis opinione commendata, non ſolùm ipſi concipiant, ſed etiam in civitatem ſuam ſacram infundant: neque ſolùm obſint, quòd ipſi corrumpuntur, ſed etiam quòd corrumpunt: plúſque exemplo quàm peccato nocent; facientes, ut unius culpâ ab omnibus peccetur; more gentis illius, cujus cùm Rex aliqua corporis parte debilitatus eſt, domeſtici omnes ſponte ſua eandem partẽ debilitant; quòd turpe exiſtiment, Rege claudo, non & omnes amicos claudicare. Quia enim mores & vitia ſummi Antiſtitis imitari, genus obſequii judicatur, abjicient omnes pietatem, ne ipſi ſcelus exprobrare videantur, ſi piè vivant. Et ſanè, ſi Avaritia ſacra, quam Simoniã appellant, in Papa vitii nomen amittit, quid obſtat, quò minùs cœterorum quoque ſcelerum quantumvis enormium virus, quod habent inſitum, facilè Pontificia ſanctitas exugat, & abſorbeat: imò bonitatis quoque lumen iis de ſuo lumine fœneret? Ex quo illud denique conſequens eſt, ut quantò plus ſcelerum in Sanctam & Sanctificam illam Sedem confluxerit, tantò ſanctiorem eam reddi, cunctis, mirificâ illâ, ſanctum è non ſancto faciendi facultate, in boni naturam converſis. Huc deſcendunt ii, quibus omnia Pontificum honeſta atque inhoneſta laudare mos eſt; & tam altè illa magnæ Virtutis comes adulatio in illam Papalis Sanctitatis arcem ſeſe penetravit, tam peritis in hac arte magiſtris inſtructam, qui vel ſacris Herculis operari queant.

& verbis Friderici II, Imp.

XIII. Adeò ſcilicet res Romana à moribus antiquis declinavit, *ut homo ille* (liceat Friderici II. Imperatoris apud Aventi-

Aventinum *lib. vij.* verba, ad Othonem Bavariæ Ducem ſcripta, mea facere) *qui dicitur Papa, divitiis nimiùm auctus, maximo pietatis Chriſtianæ detrimento, omnia ſibi licere, more tyrannorum peſſimorum, putet: rationem actuum nemini, quaſi ſit Deus, reddere velit: id quod ſoli Deo convenit, uſurpet: SE PECCARE NON POSSE, credi ſibi impudentiſſimè, ſimúlque imperiosè poſtulet: fraudes, dolos, commenta, fucum taceri jubeat.* Proin illa tantoperè jactata Pontificis ἀναμαρτησία quàm vel hac in re decipiat, & quàm illa ſacra Cleri avaritia ſit ἀναπλέγητος, liquebit magis, ubi eum, quem is adhibet, opes acquirendi modum (de impendendi enim ratione jam ſuprà pluſcula diximus) deinceps explicaverimus. *exaggeratur.*

XIV. Omittere hac occaſione non poſſum commemorare impudentiam Theologiæ Moralis Jeſuitarum, qui Simoniam Cleri notoriam palliaturi, ejuſmodi Simoniæ definitionem commenti ſunt, ut eâ in conſilium adhibitâ, univerſa ferè cleri impia nundinatio defendi valeat. Nam inter arcana Theologiæ Caſuiſticæ & Moralis Jeſuitarum haud poſtremum eſt, Ars mutandi virtutum & vitiorum definitiones, quæ arte, quam ſubtiliter admodùm exercent, nullo negotio peccata quævis purgant. Ita ergò Simonia iis non ampliùs eſt ablatio rei ſpiritualis pro temporali, quomodo jàm olim Thomas Aquinas abſolutè docuit, *ſpirituale pro temporali dari ſine Simonia non poſſe, cùm propter temporale datur.* Sic enim Eccleſiæ Romanæ Simoniam nimis in propatulo futuram omnium, iis ſuboluit. Nova igitur definitione lenocinandum ſceleri putârunt. *Dupliciter*, ita Greg. de Valentia *Tom. iij. d. 6. q. 16. p. 3. p. 204. 2.* ſcribit, *poteſt quis conferre ſpirituale propter temporale principaliter, & tanquam propter finem. Uno modo, ſi temporale æſtimet pluris, quàm ipſum ſpirituale; & tunc omninò committit talis Simoniam. Altero modo*

Moralis Ieſuitarum Theologia, falſam Simoniæ definitionem excogitavit, ut Clerum crimine faciliùs liberet.

modo poteſt quis conferre ſpirituale propter temporale ſimpliciter, tanquam propter finem, ita ut temporale apud eum non ſit finis ipſius rei ſpiritualis; quaſi temporale pluris ab eo quàm ſpirituale æſtimetur: ſed tantummodò voluntatis, ſive applicationis animi ad actum conferendi ſpirituale: & hoc non eſt Simonia. Et infra: *Cùm petitur temporale pro ſpirituali, non tanquam pretium debitum ex juſtitia, ſed tanquam finis applicationis animi ad conferendum ſpirituale, minimè erit Simonia, etiamſi principaliter intendatur & expectetur.* Valentiæ ſubſcribit Tannerus, quamvis fateatur, Thomam verbis, quæ ſuprà citavimus, huic ſententiæ adverſari. Hac via univerſam Eccleſiæ Romanæ Simoniam ſubtiliter illi ſcelerum doctores purgârunt, expiárúntque. Quis enim tam perditus eſt, qui rem ſpiritualem pro temporali, vel temporalem pro ſpirituali offerens, profiteri velit, ſe majoris rem temporalem, quàm ſpritualem æſtimare, vel non malit pecuniam potiùs tanquam conferendæ rei ſpiritualis invitamentum & illicem offerre vel accipere, quàm tanquam rei ſpiritualis pretium? Nemo ſic à Deo deſertus eſt, ut hoc recuſet. Et de interiori æſtimatione ſic nundinantium, quis, præter Deum, idoneus judex erit? Sed hæc παρέργου ἐδόν.

Mercatores Magnates terræ ſunt, inprimis Cardinales, quorum nonnulli etiam Regio ſanguine creti ſunt.

XV. Mercatores Babylonis, ut ad eos redeam, non quivis ſordidi cerdones, inſtitores, ex fœce populi, ſed μεγιστᾶνες τῆς γῆς *Magnates terræ* ſunt Apoc. XVIII. 23. Nam qui docere ac regere debebant Eccleſiam Chriſtóque lucrari animas, ii ſe converterunt ad quæſtum & mercedem injuſtitiæ, quam diligebat Bileamus: & mediante quæſtu ſe fecerunt Dominos *terræ*, ſive per terram intelligamus, territoria, ſive ſtylo Prophetico, Eccleſiam. Ita Cant. VIII. 11. accuſantur *cuſtodes vineæ* Domini, quòd *pro fructu vineæ quiſque illorum domum retulerit mille argenteos.*

teos. Cui non ſtatim Hierarchici Proceres, magnifici Cardinales, Archiepiſcopi, Epiſcopi, qui nundinationes animarum maxima cum induſtria exercent, & ex commercio gloriâ Magnatum Procerúmque terræ florent, mentem ſubeant? Cardinales inprimis Regibus pridem æquiparati, Electoribus & Principibus prælati. Ita Thomas Wolſejus Cardinalis Anglus crebro ſermone dicere non erubuit: *Ego & Rex meus*. Hoc Cardinalitium ſupercilium eſt. Quidni verò tam ſuperbè ſe jactent, cùm viderint pridem, maximos quoſque Principes hanc ſuam Regiæ æmulam dignitatem ambire, neque minùs impetrata ea gloriari, quàm præcipuo Majeſtatis ornamento? Nam Regia ſtirpe ſatos dignitatem eam affectâſſe, ſatis conſtat. Apud Anglos Cardinalis Polus Regali proſapia ortus eſt: apud Gallos Borbonius Regio ſanguine cretus; & Lotharingus frater Ducis Guiſii: apud Germanos Albertus Auſtriacus, Rodolphi Imperatoris frater. Magnates Terræ ſalutaveris magis, ſi conſeſſum Magnificorum Dominorum Romæ oculis uſurpaveris. Ibi enim ſi Princeps quiſpiam Sereniſſimus compareat, quem Papa honoris gratia in cœtu Cardinalium admittere velit, quem ei locum aſſignabit? Nempe, ante ultimum Cardinalem Diaconum, at ſi frequens & plenus ſenatus fuerit, ipſe Princeps poſt ſexaginta octo purpuratos ſedeat penultimus, uti A. MDXCIII. Principi Bavariæ Maximiliano contigit. Hic ille faſtus intolerabilis eſt, Romanæ Curiæ congruens tamen, ubi vel Imperatores pedes Summi Pontificis oſculantur. Quidni ergò qui Pontifici à conſiliis ſunt reliquos Principes dignitate ſuperent? Sed de Cardinalium, Magnatum terræ, & in Emporio Romano Mercatorum ſummatum faſtu plura in Hiſtoria Papatûs diximus.

XVI. Neque ſoli Cardinales, ſed alii etiam Hierarchiæ Præſules, Archiepiſcopi inprimis, in Mercatorum, *Archiepiſcopi nundinationum*

ſuarum induſtriâ, ex humili ſorte ad dignitatem tantam quandoque provecti. Ipſi etiam Reges nonnulli, Hierarchiæ hac in re inſervientes.

Magnatum terræ cenſu ſuit. Nam & hi tanquam purpuratæ Babylonis negotiatores, emptores, venditores, ex mercatura ſua ditati ſuprà modum, denique Principes terræ facti ſunt. Sic Auguſtinus, Monachus, forſan domi nullius numeri, quòd Britannos ſub jugum Romanum miſiſſet, Archiepiſcopus Cantuarienſis conſtitutus eſt. Venefridus Anglus, mutato nomine, Bonifacius, hac via Moguntinus Archiepiſcopus, ſimulque Præfectus Eccleſiæ Colonienſis evaſit. Alanus Anglus, transfuga, fidem patriam Principem Pontifici prodens, hàc mercaturâ meruit, ut eſſet in Proceribus terræ, rubri inſuper galeri dignitatem mercatus. Quis omnes enumeret, qui hac eadem ratione ſibi aditum ad ſummas dignitates ſtruxerunt? Et quis inficias iverit Archiepiſcopos, quæſtuoſiſſimam hanc artem exercentes, Principes, Proceres, Magnates terræ, Regnorum, Diœceſeon & Provinciarum Primates eſſe, & haberi? Imò ne frigeret hæc negotiatio, quos lucrum & commoda non movebant, eos callida meretrix honore & gloria inflammatum ivit. Ita Rex Hiſpaniarum *Catholicus*, Galliarum, *Chriſtianiſſimus*, Helvetii, *Defenſores Eccleſiæ*, duobus majoribus vexillis, nec non pileo & gladio, redhoſtimenti gratia donati, audiunt. Nemini enim deeſt liberale aliquod prœmium, quò fructuoſam negotiationem ſtudioſiùs colat.

Naucleri Babylonis Epiſcopi; Nautæ Canonici. Regulares, Seculares, Jeſuitæ inprimis.

XVII. Mercatoribus illis, Magnatibus terræ, accedunt in famoſo hoc Emporio *Gubernatores*, & *omnis in maribus turba & nautæ, mare* iſthoc *exercentes*. Eſto *Mare* mundus. *Naves* Eccleſiæ particulares per mundum diſperſæ. *Naucleri* ſeu Gubernatores qui alii erunt, quàm Epiſcopi, diœceſion rectores, quibus Archimandritæ, Generales Ordinum, Abbates, quorum nonnulli Principes S. R. Imperii, ſalutari geſtiunt? *Nautæ* denique Canonici Clerici, Monachi regulares, qui omnes in mari hoc rem

faciunt,

Digitized by Google

faciunt, & ceu circumforanei inſtitores magnorum Mercatorum & Gubernatorum merces per tabernas diſtrahunt. Quos inter Jeſuitæ facilè reliquis palmam præripiunt, qui gnaviter incumbunt remis, & omnibus viribus hoc mare pulſant; abſque quibus ſi fuiſſet, jam pridem navicula piſcatoris ad ſcopulos alliſa, peſſum iviſſet. Quanquam illi dum Scyllam remigando vitare ſtudent, in Charybdin incidunt, & fœditatem Meretricis hujus, quam diſputando tegere ſtudent, magis in propatulo collocant.

Hami & unci, quibus opes totius orbis Hierarchici ad ſe pertrahunt, innumerabiles ſunt. Præcipui ex Eraſmo compendio proponuntur.

XVIII. Hi ſunt Mercatores, Magnates terræ, Gubernatores, Naucleri, & Nautæ ſpirituales Babylonis. Quòd, ſi ſcire jam quis aveat, quibus hamis, quibus tandem uncis opes Europæas in ſuum illud fœdum prædarum receptaculum attraxerint, atque etiamnum attrahant, næ idem ille volet

Noſſe, quot Jonii veniant ad littora fluctus.

Eſt enim eorum tanta varietas, ut nominibus tantùm comprehendendis vix Calepini volumen ſufficiat. Fas mihi eſto Deſiderii Eraſmi, cui ingenia Babyloniorum mercatorum notiſſima fuerunt, verbis præfari, & multa paucis conſtringere, deinceps certo ordine digerenda. Sic autem ille in *Adagiorum Chiliad.* 1. *cent.* 9. *pag.* 196. ſub Adagio *A mortuo tributum exigere*, mercaturam Hierarchicorum ſtrictim depingit: *Quanquam fœdum eſt Chriſtianos Principes in hiſce rebus inhumaniores videri, quàm ulli fuerunt ethnici tyranni, tamen aliquantò minùs execrandum hoc, quàm quod apud ſacerdotes quoque, quibus oportebat omnem pecuniam eſſe viliſſimam, & quorum erat, ſuas doteis gratis acceptas, gratis item communicare, nihil non venale eſt, nihil immune. Quas non tragœdias movent pro ſuis illis decimis, quàm odioſè divexant miſeram plebeculam? Non datur baptiſmus, hoc eſt, non licet fieri Chriſtianum, niſi numeres, atque his præclaris auſpiciis fo-*

 reis

reis ingrederis Eccleſiæ. Non comprobant matrimonium, niſi numeres: non audiunt pœnitentium commiſſa, niſi ſperent præmium. Sacrificant conducti. Non pſallunt gratis, non imponunt manum gratis. Vix procul mota manu benedicunt, niſi dederis. Non conſecrant ſaxum aut calicem, niſi data mercede. Quin & illud verè Pontificium munus docendi populum, quæſtu vitiatum eſt. Denique non impertiunt corpus Chriſti, niſi numeres. Ut ne dicam interim quanta meſſis colligatur, ex litibus, ex diſpenſationibus, ſic enim vocant, ex condonationibus, quas vulgus appellat indulgentias, è conferendis Sacerdotiis, confirmandis Epiſcopis & Abbatibus. Sed quid apud iſtos gratuitum eſt, apud quos emitur & ſepultura, etiam in alieno ſolo? Apud ethnicos miſeræ plebi ſtabat commune ſepulchrum: erat ubi gratis, quos velles, ſepelires. Apud Chriſtianos nec mortuis terra aperiri licet, niſi à Sacerdote tantum ſpatii conduxeris, & pro pretii modo dabitur locus amplus & magnificus. Si plurimùm numeraveris, in templo proximè ſummum altare licebit putreſcere: ſin parcè dederis, inter plebejos ſub dio complueris. Turpe, ſi pretium acciperent oblatum: nunc jus ſuum vocant, & dictu mirum, quanta exigant improbitate. Barbarus ille & gentilis Hebron, offert Abrahæ ignoto hoſpiti gratuitum ſepulchri munus, & vix adduci precibus poteſt, ut oblatam accipiat pecuniam, & Sacerdotes ſepulturæ jus vendimus in alieno? vel potiùs quod publicum eſt, id ceu privatum ære locamus. Atque hujuſmodi meſſem nemo metit avidiùs, quàm hi, qui nihil ſerunt populo, ſed toti ſibi vivunt, aut certè Principi. Alii cantionem illam nobis occinunt: Dignus eſt operarius mercede, perinde, quaſi nihil interſit inter Epiſcopum, & conductum militem aut foſſorem. Serviles operæ præmio penſantur. Principum & Sacerdotum munus ſublimiùs eſt, quàm ut

mercede

mercede ſit æſtimandum. Hactenus Eraſmus, cujus vel ſolius teſtimonium, perpetuâ experientiâ confirmatum, & piorum omnium querelis comprobatum, abundè Hierarchicorum Babylonicam nundinationem convincit. Cui ſuffragatur Baptiſtæ Mantuani de Romanæ Curiæ quotidiana conſuetudine notiſſimum, veriſſimúmque carmen:

——————————— *Venalia nobis*
Templa; Sacerdotes, Altaria, Sacra, Coronæ,
Ignis, thura, preces, Cœlum eſt venale Deúſque.

XIX. Sed ex dogmatibus Hierarchiæ ad faciendum lucrum fictis factíſque ejuſdem merces Babylonicæ, univerſáque ſpiritualis ἐμπορία optimè cognoſcitur. Hanc enim præcipuam fraudem frauſa eſt, quod ſui quæſtûs cauſa fictas ſuſcitavit ſententias, quas πλαστοὺς λόγους *fictos* & affabrè factos *ſermones* S. Petrus appellat; eaque in re ſuperiorum temporum ſimplicitate mirificè ad commodum ſuum abuſa eſt, cùm ſecura eſſet de facilitate credentium. Nam ſimplices ac religioſi illi homines, ſemel acri illo thyrſo percuſſi, quò magis talia credebant, eò etiam plura fingebantur: pro eo ac fieri amat, *cùm creduntur* (ſic ſapienter Cicero *de Divinat. lib. ij.* loquitur) *faciliùs, tum finguntur impuniùs: ac minimis etiam rebus prava religio Deos inſerit.* Quis autem vir pius probúſque probet hoc inſtitutum ſacrificulorum ac votum, ſi in id mentes hominum capiant, ut quæſtum ex alieno errore facilem, velut ex conceſſæ artis uſu exerceant, ſive, ut cum S. Petro loquar, in avaritia fictis verbis de hominibus negotientur? Cùm enim, Thucydide *lib. iv. in orat. Braſidæ* judice, habeatur αἴσχιον, ἀπάτῃ εὐπρεπεῖ πλεονεκτῆσαι, ἢ βίᾳ ἐμφανεῖ, *turpiùs fraude ſpecioſa, quàm vi aperta ſibi aliquid vindicare:* ac Cicerone *Offic. lib.* 1. arbitro, *totius injuſtitiæ nulla capitalior* ſit, *quàm eorum, qui tum, cùm maximè fallunt, id tamen agunt, ut viri boni*, pii, religioſi, ſancti,

Hierarchia nundinationem ſuam ex cogitatis falſis dogmatis, quibus merces ſuas exponit, exercet.

cti, *eſſe videantur*: profectò eos, quibus quæſtui ſunt capti ſuperſtitione animi, eſſe quàm injuſtiſſimos, avariſſimos oportet.

Ejus religio propria tota quæſtui inſervit,

XX. Hoc ergò mihi onus impoſitum video demonſtrandi, ipſam Hierarchicorum religionem propriam ad quæſtum ſuperſtitionibus ab avaris hominibus interpolatam, ac veluti dilutam fuiſſe;

Rem nulli obſcuram, noſtra nec vocis egentem,

Nam quia, S. Auguſtino *lib. de utilit. credendi*, docente, *Hæreticus eſt, qui alicujus temporalis commodi, & maximè gloriæ principatúſque ſui gratia falſas ac novas opiniones vel gignit vel ſequitur;* concinente S. Hieronymo *in Jerem. cap. iij. quòd nulla hæreſis niſi propter gulam ventremque conſtruatur, ut ſeducat* cùm alios fraudibus opportunos, tum *mulierculas oneratas peccatis, ſemper diſcentes, & nunquam ad ſcientiam veritatis pervenientes; de quibus verè dicatur: Qui devorant populum meum velut eſcam panis; & quos Chriſtus notat devorantes domos viduarum*: Cúmque præterea *Avarus* omnis *idololatra*, ipſáque *avaritia* ſit *idololatria*, Epheſ. v. 5. Col. III. 5. quicunque hæreſeos & idololatriæ convincuntur, non poſſunt non quæſtuoſarum ſuperſtitionum invectarum arceſſi. Nos autem Hierarchiam Hæreſeos & idololatriæ ſuprà manifeſtè convicimus.

quod inductione dogmatum Hierarchiæ propriorum, per quæ fictitias ſuas merces extrudit, probatur,

XXI. Verùm inſuper res ipſa loquitur. Nam κύριαι δόξαι ſeu principalia Hierarchiæ dogmata, planè adamuſſim quæſtuoſiſſimæ nundinationis facta & ficta ſunt. Sic enim in *Miſſa* aurum, argentum, purpuram, hoc eſt, Deum, Chriſtum, remiſſionem peccatorum: *in Cultu Sanctorum, imaginum, reliquiarum* lapidem pretioſum, margaritas, thus, hoc eſt, Divos Cœlites, & eorum interceſſionem ac merita: in Orationibus & oblationibus pro *viventibus, & mortuis in purgatorio* ſuffitum, thus, &c. hoc eſt

preces

preces & officia Eccleſiæ, Monachorum inprimis votis ad talia officia obſtrictorum: in *abuſu clavium*, obtinente tum in *Sacramento Pœnitentiæ*, tum extra illud in *applicatione theſauri Eccleſiæ* per *indulgentias*, aurum &c. byſſum, purpuram, coccinum, hoc eſt, claves Regni cœlorum, remiſſionem peccatorum, & vitam æternam: in *Sacramento Ordinis* itidem aurum, argentum, triticum, hoc eſt, Spiritum S. ejus dona & beneficia Eccleſiæ: in *regimine Eccleſiæ* leges per diſpenſationem in iiſdem: in *operibus charitatis* &c. eleemoſynas: in *benedictionibus & conſecrationibus* unguentum, ſeu gratias Dei ſpirituales, ipſámque ſepulturam: in univerſa *juriſdictione Papali* jumenta, rhedas, equos, animas, hoc eſt, corpora & animas ſubjectorum omnium in commercio ſuo habet. Sunt autem hæ fictitiæ merces, quas meretrix illa, carbones pro theſauris, hoc eſt, res nihili viliſſimáſque omnium pro pecuniis, aliiſque rebus, quas quantivis homines mundani faciunt, vendens, extrudere perfricta fronte ſatagit. Neque enim qui finguntur in Miſſa, cultu Sanctorum, orationibus pro viventibus & mortuis, purgatorio, Sacramento Pœnitentiæ, indulgentiis, Ordine &c. præſentes adſunt, vel præſtantur Deus, Chriſtus, Spiritus S. remiſſio & purgatio peccatorum, gratia Dei ſalutifera; ſed præſentes adeſſe, præſtarique à Quæſtoribus & Trapezitis Hierarchicis, quæſtûs occupandi gratia, finguntur.

XXII. Hierarchiæ anima *Miſſa* eſt. In ea enim ſub larvis accidentium ſpumæ Deus ipſe, Chriſtus, atque is ſacrificatus Deo ad expiationem peccatorum tum viventium tum mortuorum, promittitur; qua re nihil majùs, præſtabilùs nihil promitti poterat. Ejus uſus ſub Papatu ad omnes actus extenditur, in quibus Papa ſecundùm duplicem juriſdictionem ſuam invenit, quod agat. Per Miſſam enim non ſolùm Templa, altaria, imagines, &c. conſecrantur,

veluti Miſſa, quæ Hierarchiæ anima eſt,

tur, ſed regna per eandem eriguntur, ineuntur, comitia celebrantur, ſtatuta ſanciuntur, dignitates conferuntur, imperia auſpicatò traduntur, privilegia confirmantur, nuptiæ benedicuntur &c. Omnes denique Creaturæ papales Miſſæ interventu creantur, & ab eadem vitam & ſpiritum accipiunt.

quam ad quæſtum indè occipiendum planè comparatam eſſe, oſtenditur.

XXIII. Dogma hoc, quod verbo Dei & religioni Chriſtianæ univerſæ adverſari, alibi comprobavimus, ad quæſtum occipiendum planè comparatum eſt. Etenim ſacrificulo cuivis tribuitur immenſa illa & verè θαυματουργικὴ poteſtas; pronuntiatis quinque voculis, & Divino veluti carmine θεὸν ἀπὸ μηχανῆς *Deum* Chriſtum ipſum ex machina Cœli devocandi, ut ibi ſpirituali ratione ſub accidentibus panis præſtò ſit, & maxima quæque efficiat. Hoc præterquam quòd Sacerdoti Divinam exiſtimationem conciliat, inſuper etiam apud homines ſuperſtitione captos perſuaſionem, commendante virtutem Miſſæ eodem, gignit, quòd ſacrificium hoc valeat pro vivis & mortuis, pro ſanis & ægris, hominibus & beſtiis, quòd per illud animæ liberentur è purgatorio, homines præſerventur à peſtilentia, quòd medeatur pecoribus, febres depellat, dentium dolorem prævertat, bona perdita recuperet, oculorum lippitudinem curet, victoriam adversùs inimicos procuret, conjugia ſalutaria efficiat. Aliáque ejuſmodi Miſſæ πλεονεκτήματα, iidem plenis buccis decantant. Cùm ergò tam eximia poteſtate inſtructus ſacrificulus creditur, ſi conſtiterit, cum prece vel pretio adduci poſſe, ut pro re nata facultatem illam ſuam applicet, quis non ei ſe totum, quis non facultates ſuas æquo animo eidem impenderit? Unde manifeſtum eſt, in Sacerdotis poteſtate planè eſſe, an hac ratione ungi ditarique velit?

Quæſtui eandem actu haberi, ex

XXIV. Velle autem, res ipſa, applicatio ſcilicet ſacrificii hujus, clamat. Nam applicatur illud vel toti Eccleſiæ,

ſiæ, vel ſingulis fidelibus, unde publicarum & privatarum Miſſarum diſcrimen inceſſit. Et privatæ quidem ferè infinitæ ſunt. Celebrantur enim pro divitibus, pro pauperibus, pro navigantibus, militantibus, peregrinantibus, ægrotantibus, negotiantibus, nubentibus, res perditas quærentibus, criminis patrati ſuſpicione laborantibus, urbibus aut munitionibus ſacrandis, ſterilibus, gravidis, parturientibus, medicinâ utentibus, belligerantibus, fœdus ineuntibus, veneficio læſis; denique ut numero dicam, pro vivis, & defunctis quibuſvis, quibus prodeſſe Miſſam ex opere Sacerdotis operato, hoc eſt, uti Albertus M. *in cap. vj. Job.* explicat, *perfectione externi operis ſine motu interno*, abſentibus, nihil agentibus, dormientibus, de Miſſa non cogitantibus, ſed alia omnia agentibus, illi ſciſcunt. Si Miſſa eſt de S. Gregorio, animas è purgatorio liberat; Si de S. Rocho, à peſte; Si de S. Antonio, pecoribus medetur; de S. Sigiſmundo, febrim pellit; de S. Antonio Paduano, amiſſa recuperat; de S. Apolonia, dentium dolores ſedat; de S. Lucia oculos ſanat &c.

applicatione ejuſdem ad univerſos & ſingulos;

XXV. In univerſum autem obtinet regula, quam Emmanuel Sa, *Aphoriſm. in verbo Miſſa, ſ.* 43. his verbis conſignavit: *Miſſa illis plus prodeſt, pro quibus particulariter offertur. Quòd ſi pro multis offertur, non tantùm ſingulis prodeſſe, ac ſi pro illis offerretur, docent Sylveſter, Navarrus, Soto, Toletus, Suarezius, Scotus.* Idque Cardinalis Toletus *de Inſtructione Sacerd. lib. ij.* 8. declarat hoc exemplo: *Sicut, ſi ego jejunem pro quatuor, minùs prodeſt ad ſatisfactionem ſingulis, quàm uni prodeſſet, ſi pro uno tantùm jejunâſſem.* Quis non arcanum ſubolfacit? Si pro duobus tantundem valeret una Miſſa, quantum pro uno: pro tribus etiam, quatuor, decem, centum, tantundem valeret. Si ergò pro centum laborantibus ex æquo una Miſſa pecuniæ pretio redempta, vale-

juxta Caſuiſtarum veterum & recentiorum regulas;

ret, conclamatum eſſet de quæſtu ſacrificulorum, atque lentis maxillis comedendum longè pluribus eſſet. Idem, qui ſuprà Emmanuel Sa, *ꝟ.* 44. ſcribit: *Illud certum eſt, Sacerdotem, ſi uni debeat unam Miſſam, & alteri alteram, non ſatisfacere, ſi unam dicat pro utroque ſimul: Iidem Doctores, qui ſuprà.* Addit tamen: *Duas eleemoſynas pro una Miſſa accipi poſſe, docet Soto.* Eleemoſynam vocat quæſtum pro Miſſa. Toletus vocat *pitantiam*, hoc eſt, contributionem. Sic enim Inſtruct. *Sacerd. lib. ij.* 8. loquitur: *Soto tenet, quòd pauper poteſt ſaltem duas pitantias recipere pro una Miſſa ad ſuſtentationem.* Idem Toletus eodem libro *cap.* 6. negat Miſſam per modum ſatisfactionis & juſtitiæ conferre; *niſi*, ſic excipit, *mortui, dum vixerunt, ad miſſas ſibi celebrandas pecunias erogârunt. Tunc enim per modum ſatisfactionis & juſtitiæ conferunt.* Pecuniam ergò erogantibus Deus ipſe conſtituitur debitor, ut Miſſæ pro iis obitæ ſatisfactionis & juſtitiæ rationem habeant, atque ſic demum remiſſionem peccatorum promereantur. Hinc adeò Miſſæ cariori vel viliori pretio venduntur, prout in ejus celebratione ornamenta ſumptuoſiora, vel minùs ſumptuoſa adhibentur. Sunt enim Miſſæ aureæ, ſunt ſtanneæ, ſunt cupreæ, ſunt ligneæ, ſunt ſummæ, ſunt medioxumæ, ſunt infimæ. Accedit regula inter trapeziticas haud poſtrema, quam idem Emanuel Sa in verbo *Miſſa*, his verbis prodidit: *Cui datur certa ſumma pecuniæ pro Miſſis à ſe dicendis, poteſt alios pro pretio minore conducere, qui adjuvent, & reliquum ſibi retinere.* Sic Sacerdos quiſpiam altioris ſubſellii adhibito ſervientium famelicorum ſacerdotum miniſterio, non contemnendum quæſtum ex Miſſa facere poteſt, licet ipſe raro vel nunquam miſſificet.

Solidè probatur. XXVI. Iam ergò fœda miſſantium nundinatio in propatulo omnium eſt. Si enim ſordidum illi quæſtum miſ-

ſando

ſando præcipuè non intendunt, cur privatas quæſtuoſas, quàm publicas non quæſtuoſas Miſſas, frequentiores: imò has cum illis comparatas ferè nullas habent? Cur privatas Miſſas, communicantibus orbatas, tanquam unicè ſalutares inſatiabiliter commendant, publicas non item? Cur publicis Miſſis tantundem efficaciæ pro ſingulis, quàm privatis pro ſingulis, non tribuunt? An enim ſanguinis Chriſti ſacrificium publicè & ſine pretio applicatum, minorem efficaciam habet, quàm applicatum ſeorſim, & numerato pretio? Si, quod Gabriel Biel *Lect.* 26. ſuſtinet, non ſolus Deus, ſed etiam *Sacerdos offerens Sacrificium in perſona Eccleſiæ poteſt ejus fructum & virtutem alicui, vel aliquibus ſpecialiter applicare, & ſacerdotis eſt virtutem Sacrificii & oblationis determinare, ut illis, vel illis indigentibus præmium reddendum pro hujuſmodi Eccleſiæ ſacrificio conferatur*, cur igitur Sacerdos non determinat, ut vel Miſſa publica eandem erga ſingulos virtutem exerat, quam privata erga ſingulos exerit: vel privata pro pluribus celebrata eandem virtutem ſingulis communicet: vel una Miſſa, ſeu Chriſtus, cujus victima infiniti pretii eſt, ſemel oblatus, idem præſtet, atque Miſſa frequentata, ſeu Chriſtus identidem oblatus? Manifeſtum eſt, ſolam Reginam pecuniam totam hanc differentiam invexiſſe. Sed & rationem Miſſifici reddant velim, quare divitis, qui largius pretium contulit, vel conſcientiâ ſcelerum preſſus, & ſuppliciorum poſt hanc vitam gravi metu anxius, altare exſtrui curavit, vel proventus Sacerdoti pro ſe Miſſanti liberaliter legavit, anima ad ſui redemtionem pluribus Miſſis indigeat, pauperis contra, ſive piè ille, ſive impiè vixit, qui æra, quæ Sacerdoti largiatur, nulla habet, anima, longè paucioribus, fortè unâ, & quandoque nullâ? vel hujus animam ob ſolum pecuniæ defectum, diuturniora & pertinaciora tormenta pati ſinant: vel

unâ, imò quandóque nullâ Miſſâ, eas æquè ac divitum animas redimant? Illud Sacrificulorum animum barbarum, crudeliſſimúmque, hoc ſordidiſſimè avarum arguit. Cùm dives moritur, vix ullum in Templo altare non occupatur à miſſificibus ad redemptionem animæ ejus, non in exequiis duntaxat, ſed etiam trigeſimâ ſeptimâ, uti appellant, & feriis anniverſariis, quandiu Pactoli fluvius ſtagnat. Hinc adeò præbendæ pingueſcere, proventus Altarium, Sacellorum, Templorum, incrementa capere, denique Papa bonorum Eccleſiaſticorum adminiſter præbendas & proventus emungendi, & irrigua illa Pactoli fluenta ad Romanam Datariam, atque inde ad Cameram Apoſtolicam derivandi occaſione oblata ſtrenuè uti. Atque querelam hac de re ſuam jam pridem Alvarus Pelagius *de Planctu Eccleſiæ lib. ij. art. 5.* conſignavit his verbis: *Tot hodiè dicuntur Miſſæ quaſi QUÆSTUARIÆ, vel conſuetudinariæ, & ad complacentiam, vel ad ſcelera cooperienda, vel propriam juſtificationem, quòd apud populum vel Clerum Sacroſanctum corpus Domini jam vileſcit.* Dixerat paulò antè: *Noſtra Eccleſia eſt plena & ſuperplena altaribus, miſſis & ſacrificiis. Sed cum hoc plena in ſacrificantibus, homicidiis, ſacrilegiis, & immunditiis, & SIMONIIS, & aliis ſceleribus.* Unum addo inſignem, & imò immanem mercaturam Miſſalem vel inde etiam agnoſci, quòd in Gallia Sacerdotes non ſuos duntaxat ex fundis reditus locant, ſed etiam illud, quod vocant *Les dedans de l'Egliſe*, hoc eſt, quicquid ex oblationibus, quæ fiunt intra ſepta Templorum, corradunt, publicè licitatum addicunt. An fœdior rerum ſacrarum nundinatio excogitari poteſt?

Miſſa etiam civilis in Papatu nundinationis.

XXVII. Quid quòd Miſſa etiam civilis in Papatu nundinationis fundamentum conſtituitur, ut ad χάραγμα ſeu characterem illum, quo ſignatus poteſtatem accipit emen-

di & vendendi, quæ lex Antichriſti eſt Apoc. XIII. 16. 17. præprimis referri debeat. Unde celeberrimæ nundinæ Miſſæ nomine pridem venerunt. Quam in rem aliquid B. Rhenanus *Præf. ad Liturgiam Chryſoſtomi* dixit his verbis: *Miſſæ publicæ tanta populi religione, & tam frequenti conventu fiebant ſolennibus duntaxat diebus, ut in Francorum legibus, quæ ipſi capitula vocitabant, & aliis ſcriptoribus præcedentium ſeculorum, quorum præfinitum terminum nominare opus eſt; ad Miſſam Johannis vel Andreæ, vel candelarum Miſſam, aut inter duas D. Mariæ Miſſas, Aſſumptionem & Nativitatem intelligentes, aliquid faciendum intelligunt. Quemadmodum autem ad publicam Miſſam tanta populi vis undique confluebat, ita ſolebant & mercatores publico peracto ſacro, res venales proponere, ex opportunitate frequentiæ popularis quæſtum captantes. Unde factum eſt, ut à Gallis & Germanis Miſſæ vocabulum nundinis ac mercatui tribuatur. Vocant enim Miſſam Lugdunenſem, Francofordienſem, Antverpienſem &c. ubi merces ſolenni negotiatorum conventu diſtrahuntur. Proindè non eſt mirandum, cur Calixtus Pontifex Romanus prohibuerit, ne Abbas publicas Miſſas cantet, & Gregorius, ne Epiſcopi, vel Clerici in Monaſterio idem facere tentent, ne videlicet, ut idem ad Caſtorium ſcribit, in Dei ſervorum receſſibus, & eorum receptaculis ulla popularis præbeatur occaſio conventûs. Siquidem promiſcua hominum multitudo, viri, mulieres, adoleſcentes, & puellæ ſacram etiam communionem ſi quibus collibuiſſet, unà cum ſacerdote percipiebant.* Quàm verò jus mercaturæ, cum jure miſſandi arcto nexu conjunctum fuerit, maximè ex interdictis illis perſpicere licuit, per quæ olim R. Pontifices Miſſæ uſum & cultum in Regno, Provincia, Ducatu, vel Urbe, dicto eorum minùs obedientes, ſuſpendere ſolebant, qua calamitate

in nocte illa temporum nihil calamitoſiùs, triſtiùs nihil judicabatur, ſol enim & luna illis nigreſcere videbatur, ſi vel uno die Miſſâ carere cogerentur: Ideóque Pontifices hoc ceu fulmine, & maximè penetrabili telo hoſtes ſuos terrere, & vires eorum frangere conſueverunt. Id quòd, Reſp. Veneta ſub Julio II. non ſine damno ſuo experta eſt. Qui idem deinceps telum in Ludovicum XII. direxerat, Lugdunenſibus minitatus, ſe, ſi pergant Regi ſuo contra Eccleſiam opitulari, Miſſam, quà hactenùs anteceſſorum ſuorum indultu fruerentur, iis ereptam, Avinionenſibus collaturum. Sub *Miſſa* autem celeberrimas nundinas intellexit, quarum videlicet jus ſuper Miſſæ idolo fundatum erat. Quòd ſi tum Gallia Jeſuitas concionatores & turbatores habuiſſet, res planè ex ſententia Papæ ſucceſſiſſet, & Lugdunenſis Miſſa colonias ſuas haud dubiè migrâſſet.

nec non incolumitatis & jurium Imperiorum, Regnorum, Provinciarum, Urbium, &c. fundamentum habetur.

XXVIII. Accedit & hoc non poſtremum, quòd non tantùm Imperiorum, Regnorum, Provinciarum, Urbium, & potentiſſimarum familiarum jura, immunitates, previlegia, honor, ſtemmata, adeòque incolumitas ipſa; ſed etiam Eccleſiæ Collegiatæ, quas vocant, & Templorum Cathedralium Baſilicæ cum cenſibus, reditibus, & privilegiis ſuis, nec non diverſarum religionum diverſi ordines cum ſuis regulis, cœnobiis, approbationibus & indulgentiis: denique Clerus omnis & Sacerdotium univerſum cum omnibus ſuis plus quàm Regalibus divitiis, cum Miſſali hoc idolo adeò arctè colligata ſunt, ut nemo hoc vel uno digitulo tangere poſſit, vel potuerit unquam, quin hæc omnia unà convellere, atque ſic totum orbem turbare videretur.

Cultus externus Divorum, imaginum, reli-

XXIX. Sic fuit Miſſalis Hierarchicorum nundinatio. Cui proxima eſt, quam in cultu externo circa *Sanctos, eorúmque imagines & reliquias* exercent. Ibi enim ſanctorum

rum fictitia merita, & meritis innixa ſuffragia interceſſio- néſque ad impetranda beneficia corporalia & ſpiritualia, publico quæſtui novi hi publicani exponunt. Neque enim hic etiam conſilia eorum tam altè abſcondita ſunt, quin quivis, etiam ſine emiſſitiis oculis diſpicere poſſint, dum- modò ne datâ operâ cœcutiant. Et ſanè niſi cultui huic Divorum, imaginum & reliquiarum eorum craſsè idolo- latrico temporalis emolumenti myſterium ſubeſſet ejuſmo- di, quale olim etiam cultui idololatrico Belis, Babylo- niorum Sacerdotum impia machinatione, ſubfuiſſe, in Epiſtola Jeremiæ v. 28. &c. narratur, mirum profectò eſſet, à Chriſtianis Sacerdotibus cultum iſtiuſmodi retine- ri, qui Dei verbo tam manifeſtè repugnat, primo & ſecun- do Decalogi præcepto è diametro adverſatur; & imma- ne adeò ſcandalum piis & ſobriis Chriſtianis, ipſiſque de- nique infidelibus Judæis & Turcis objicit.

quiarum totum ad quæſtum inde faciendum comparatus eſt.

XXX. Sanctorum invocatio cum imaginum & reli- quiarum earundem cultu conjunctiſſima eſt. Quemadmo- dum autem cultus ille univerſus ſuâ naturâ ad quæſtum fa- ciendum comparatus ſit, nullo negotio cognoſcere poterit, quiſquis ſecum reputaverit, ſtatuam hujus vel illius Sancti, puta B. Virginis Mariæ, S. Petri Janitoris Cœli, S. Ja- cobi, Sebaſtiani, Rochi, aliorúmque quorumvis ſcitè adeò & decorè exornatorum, & ſatis vivis coloribus depictorum, aptam natam eſſe movere & irritare populum ad fornicatio- nem ſpiritualem ſuâpte naturâ, cum verbo Dei non dirigi- tur & lenocinantium contra ductorum ſuorum conſilio & exemplo ſeducitur, proclivem, ut non ſolùm ora ſua in orationes reſolvat, ſed etiam manus ſportis & oblationi- bus muniat, anxio ſcilicet jam metu imbutum, ne Sanctu- lum ſuum vacuâ manu adeuntes, minùs propitium ad faci- enda deſiderata experiatur. Inprimis ſi potentior accedat illecebra, & arte quadam idolorum quæſtores efficiant, ut imago

imago nunc frontem caperare, nunc ſuaviùs arridere, pro donorum tenuitate vel amplitudine videatur; vel ſtatuarum cultores, ſuſpenſis in omnium conſpectu donationibus, & donantium religioſorum, liberaliúmque clientum nominibus publicè conſignatis, ad æmulationem provocent. Neque levior ad liberalitatem exercendam ſtimulus erit, ſi quæſtores iidem publicam fidem fecerint, quod hic vel ille Sanctus eximiam virtutem, hæc vel illa miracula patrandi, huic vel illi morbo medendi, his, aliiſque anguſtiis & calamitatibus ſuccurrendi habeat, magnáque inſuper indulgentiarum vi, ab earundem diribitore Papa dotatus ſit. Quàm hæc aliáque potenter in animos ſuperſtitione imbutos influant, ut vota in morbis, periculis, calamitatibus huic vel illi Sancto & Patrono nuncupent, & ad Sanctorum Templa vel Sacella, eorum imagines & reliquias, peregrinationes religioſas promtè inſtituant? Ubi introducti ad viſibilem quaſi Sancti illius præſentiam, non poterunt præ pudore, quin ob beneficia ab eo jam præſtita vel præſtanda, pro facultatum ſuarum ratione, pretium offerant, certa ſpe freti, fore ut par vel majus pretio mercimonium reportent.

Actu quæſtui eandem ſubſervire ex Apotheoſi Sanctorum;

XXXI. Manifeſtum hinc eſt, cultum Sanctorum, imaginum & reliquiarum eorum ad mangonum ſeu mercatorum horum Babylonicorum incudem formatũ exactúmque eſſe. Sed & opportunitate illa mercandi ab aliquot jam ſeculis iidem utuntur ſtrenuè, & Sanctorum illo cultu defunguntur ad inſaniam uſque, majore profectò lucro *νεωκόρων ædituorum* Clericorum, quàm pietatis. Etenim primò, ipſa Apotheoſis, ſeu Canonizatio Sanctorum, quid aliud eſt, quàm ars χρυσοποιητικὴ, qua Sancti creantur non ſine Regiis Regum & Principum muneribus, Papæ, Bileami hîc viam inſiſtenti, oblatis, ne non per auream ſcalam thronum ſuum Sancti conſcendere cogantur. Niſi enim San-

Sanctis illis primùm eſſent propitii cultores ſui, eorum ſanctitas intra privatos lateret lares, laterémque lavaret, qui pecuniâ non numeratâ ſuum in album referri candidatum ſuum peteret. Exemplnm in Apotheoſi Franciſci Saleſii Hiſtoria Papatûs ſſ. CCLXXIV. repræſentavit. Neque ipſi hoc Jeſuitæ diſſimulabunt, memores, non ſine ingentibus impenſis ſuis, novos ſuos Apoſtolos Beatitudinis & Sanctitatis ſuæ gradum conſcendiſſe. Quidni autem iſthoc τοῦ ἐκθειάζειν ſeu Deificandi artificium magno conſtet, cùm ii, qui ſic creantur Divi, & quorum ipſa oſſa, veſtes, ſupellectilia canonizantur, regnorum, nationum, provinciarum, urbium, arcium, collegiorum, ſodalitatum, communitatum, opificiorum, religionum, ordinum, Epiſcopatuum, ſtudiorum, facultatum, commerciorum, meretricum, militiæ, terra naſcentium, aurifodinarum, illuſtrium familiarum, ipſorúmque animalium Patroni, Diíſque Tutelares conſtituantur, adeóque ad Divinam authoritatem evehantur?

XXXII. Neque Canonizatio duntaxat, ſed Canonizati etiam Divi, eorum imagines & reliquiæ ingenti lucro mactantur. Nihil dicam de feſtis Sanctorum, quorum nullum non eſt deſtinatum nundinis: nihil de exactionibus, cùm fortè per Diœceſin Epiſcopi alicujus nova effertur Sancti celebritas, ad quam paſſim fit concurſus. *Tum* enim (ſic Germani in Gravamine ſuo LII. conqueruntur) *Epiſcopi aut Prælati eò loci oblationum omnium tertiam, aut certè quartam partem ſibi vendicare præſumunt.* Dicam pauca de religioſis ad loca Divorum imaginibus & reliquiis inclyta peregrinationibus. Sunt autem eæ ſecundariæ penè innumeræ: primariæ, Buſæo diſtribuente, quatuor, Hieroſolymitana, Romana, Compoſtellenſis & Lauretena. Scopus omnium unus idémque eſt, beatis quibuſdam, & ad compendium quæſtúmque affabrè confictis

Feſtis eorundem, & peregrinationibus ad imagines & memorias eorum, Lauretana inprimis;

nugis, homines ſuperſtitione illa captos, emungere, eorúmque loculis gnaviter inſidiari. Excellit hodie Lauretana, fabuloſæ tranſportatæ Nazaretho per aëra Cameræ Deiparæ innixa, quæ quantum aſſertoribus ſuis profuerit, ex eo perſpicitur, quòd non tantùm Curio Lauretanus, nomine Teremanus author narrationis, luculentum culinæ ſuæ focum inde inſtruxit: verùm etiam ex pago, vix unum antè ſacrificulum alente, frequens oppidum, cinctum mœnibus & propugnaculis munitiſſimis effectum eſt, ubi Canonici & Capellani plurimi habitant, & deliciis luxúque diffluunt. Quin uſque adeò ſimul exiſtimatio & commoditas loci crevit, ut Cardinales inter ſe de præfectura loci digladiari ſoleant. Turſelinus ipſe Jeſuita quinque hac de fabula perſcriptis libris, hoc unum ferè agit, ut quàm tenuibus à principiis Lauretanum cum oppido Templum, quantis auctibus accreverit, exponat: & invidendas, ſtupendas, ſuperbas opes explicet hac æruſcatione comparatas, & in illam humilem pauperculámque Mariam collatas. Quæ benigna Diva non ita tamen rerum ſuarum tenax eſt, quin eas cum aliis quoque communicet. Nam & fama certa conſtat, & ex Turſellini locis aliquot haud obſcurè colligitur, Papam non raró ſolere Lauretanos illos theſauros excutere; & ſumtâ ſibi parte ſuperfluâ, relinquere reliquas, quarum oſtentatione Diva munificentiam aliorum provocet. Nam etiam Eleuſina, uti proverbium habet, ſervat, quod oſtendat. Conſtat planè, Papam ex iſto Europæ ſpoliario, fœdóque prædonum receptaculo, quotannis ad centena millia nummorum aureorum collegiſſe, quanquam illi reditus admodùm acciſi & imminuti fuerint, ab eo tempore, quo παχυπειθια nimiáque credulitas in orbis Europæi parte meliore deſiit, & animadverti cœptum eſt, ſacrificulos non vero Zelo domûs Dei, ſed utilitatis ſuæ, turpis lucri, viſcerationúmque ſuarum ratione ductos,

ductos, commentis ejuſmodi fidem adſtruere. Sufficiat, Lauretanam peregrinationem ſolam produxiſſe in exemplum reliquarum, quarum nulla abjecta adeò & vilis eſt, quin ſacerdotibus Divi cujuſpiam, imaginis, vel reliquiarum ejus cuſtodibus, qui merces haſce licitatum addicunt, opes non contemnendas conciliet. Et idolorum illorum veſtibula ſciunt omnes non magis peregrinis trita, quàm mercatoribus quiſquilias vendentibus. Ubicunque enim ejuſmodi fana, & fanis incluſa Numina adeuntur, ibi tabernæ etiam inſtitoriæ, ibi collybiſticæ trapezitarum menſæ iiſdem individuo nexu cohærentes, & extremâ impudentiâ exercitæ, palam proſtant, & ſacerrimam illam cauponationem apertiſſimè produnt.

XXXIII. Quàm impudenter Babylonii hi mercatores Divorum cultum jam olim etiam cauponati ſint, uno adhuc ſpecimine pandam. Erat ſuperioribus ſeculis genus quoddam ſacrorum quæſtorum, quos *Stationarios*, quippe *ſtationes* ſeu Eccleſias certis Divis dedicatas obeuntes, & inde orbem circumeuntes, cultoréſque Divorum iſtorum quæſitantes, appellavêre. De his inter gravamina centum ſtatuum Imperii Pontificiorum & Poteſtantium A. MDXXIII. collecta, ſeptimum ſic ſonat: *Eſt & aliud indulgentiis vendendis addictum hominum genus, quod Stationarios vulgò vocant. Hi ruſticorum plerunque abutuntur ſimplicitate, dum omnes vicos, villas, pagos, angiportus, omniáque peragrant caſtella & oppidula, prædicantes ſancti cujuſpiam Valentini puta, Huperti, Cornelii, Anaſtaſiive ſanctimoniam: ac quantum ad rem familiarem conducat, ſi quotannis hunc vel illum munuſculo aliquo, quod eis, Stationariis ſcilicet in commodum cedat, demulceas. Inſcribentéſque dehinc ſimplices ſub ſancti alicujus nomen ac tutelam, promittentéſque, ut hoc aut altero genere morborum vacaturus ſit, qui eis annuum*

Stationariorum veterum aruſcatione probatur.

 nuum

nuum cenſum penderet. Quæ omnia ad hoc excogitata ſunt, ut ſimplices illi ad vivum exugantur. Nam primùm hoc negotium à S. Antonio cæptum, in innumera morborum genera dehinc aſſuevit diduci: ita ut vix ſuperſit nunc morbus aliquis, cui Stationarii non & peculiarem Sanctum, tanquam tabernæ, vel negotiationi præpoſuerit. Proceſſitque eo uſque ejus mali ſerpigo, ut pauperum ac ſimplicium illorũ Quæſtuarii & Stationarii Prædicatores, ſanguinem vorent & medullam. Dúmque illi unà cum liberis ſuis neceſſariis ſpoliantur, in deliciis & luxu plus quàm Sybaritico Stationarii degunt. Hactenus illi. In Gallia quoque veteratorias illas artes exercuiſſe Antonianos, alióſque, teſtis eſt magnus Galliæ Juriſconſultus Rivallius, cujus hæc in Hiſtor. Juris, verba ſunt: *Hodie quidem hujus legis* (XII. nempe tabularum) *reliquiæ extant. Nam cùm æs & pecuniam, tum fructus & alia pro alimentis Divorum Antonii & Franciſci Sacerdotes, aliique id genus homines cogunt, & domos exhauriunt. Sed Chriſti ratione his omnibus Chriſtiani libenter bona largiuntur* &c.

Orationes vicariæ Monachorum inprimis pro viventibus, & defunctis in Purgatorio, nundinationi ſpirituali ancillantur.

XXXIV. Proxima pecuniarum aucupia ſunt *Orationes vicariæ*, tum pro viventibus, tum pro defunctis in purgatorio laborantibus. Neque enim tot *religioſorum ordines*, ipſúmque *Purgatorii* commentum vicariis Monachorum pro viventibus, & Clericorum omnium pro mortuis orationibus meritiſque ſuperſtructæ, alium certiorem finem habent, quàm ut populi pecuniæ & facultates âd religioſum Clerum, & à Clero ad Culinæ Romanæ voraginem inexplebilem migrent.

Monachatus ad exercendam eam aptus natus eſt.

XXXV. Monachatus ſpecioſa equidem profeſſio eſt. Euangelica enim perfectio, orationes pro reliquo populo, mundo interea, uti loquuntur illi, inſerviente, & vice populi fundendæ, efficaciam ſuam à meritis & ſupererogationis

rogationis operibus acquiſituræ, aliæque ejuſmodi ad populum phaleræ prætexuntur. Si tamen penitiùs introſpicias, vix aliud eſt, quàm Babylonicum vaframentum, uti *Diſſert. viij. ſſ.* 1. *th.* LVII. *&c.* fidem abundè fecimus, demonſtrantes fuſiùs, exceptis paucis bonis viris, quos ſic ſuperſtitio dementavit, ut animarum ſuarum, & alienarum ſaluti ita conſuli poſſe perperam confidant: pleróſque alia omnia, quàm religionis curam, Monachos facere. Quemadmodum verò inſtitutum ordinum,avaritiæ & nundinationi inſerviat, nullo negotio cognoſcitur. Dum enim hac perſuaſione populus, qui curis hujus ſeculi ſecurè implicari & diſtringi amat, occupatur, Monachos, mundo in univerſum renunciantes, & per vota irrevocabilia pietati eximiæ & auſteræ vitæ obſtrictos, multúmque ea ratione apud Deum promerentes, hoc unum ferè agere, ut tum pro ſe quiſque Deo favorabilis eſſe contendat, tum vice reliqui populi fungatur, orando, pſallendo, jejunando, aliáque religioſæ pietatis opera, obeundo: ingens pietatis hujus vicariæ hoſtimentū iis ſe debere meritò agnoſcet, & profitebitur ultrò. Quomodo S. Paulus alio licet planè animo & ſcopo de Macedonibus & Achivis dixit Rom. XV. 27. *Si* (pauperes) *ſpiritualia ſua communicaverunt gentibus, debent &* (hæ) *in carnalibus illis miniſtrare.* Sed & ii,qui religioſam illam pietatem ſectari ſive ſuâ ſponte, ſive ſic à parentibus avaris, ſic liberos ſuos nonnullos immolantibus, ut cœteri ſplendidiore in mundo fortuna fruantur, inducti, geſtiunt, perſuaſi videlicet, ſe in ordinibus aureolas promerituros, & ſibi aliiſque ἀσκήσει ſuâ Deum propitium reddituros; promtè illi terreſtres facultates ſuas univerſas, quas in poteſtate ſua habent, eáſque quandoque ampliſſimas Deo devovebunt, & ex temporalibus ſpirituales facient, eáſque ſic ordini, quem jamjam ſubituri ſunt, legabunt. Sic planè occaſio dabitur immen-

ſas divitias illo fictitiæ pietatis hamo in naſſam illam Monaſticam pertrahendi, & partem ejus non modicam pro lubitu Papæ in Romanam Culinam infundendi.

Actu etiam quæſtuariam per Monachatum exerceri, ex Monachorum, Ieſuitarum inprimis ſtatu, oſtenditur.

XXXVI. Neque occaſione adeò commoda, & ad comparandas divitias, atque ex iis alendum luxum propitia non uti ſtrenuè Monachos, affirmabit, quiſquis Simonias illorum artes, quæſtuariam omnem & divitias inde conflatas incredibiles non planè ignorat. De ſui temporis Monachis nonnullis S. Hieronymus *ad Nepotianum* ſic conqueritur: *Nonnulli ſunt ditiores Monachi, quàm fuerant Seculares & Clerici, qui poſſident opes ſub Chriſto paupere, quas ſub locuplete & fallace Diabolo non habuerant; at ſuſpiret Eccleſia eos divites, quos mundus tenuit antè mendicos.* Quid diceret ille, ſi hodie viveret, & magnifica ædificia, ingentes reditus, ſumptus immenſos, verbo, omnem maximæ partis Monachorum luxum videret? Si tertiam bonorum Italiæ v. g. partem à Monachis, malis belluis, pigris ventribus, occupari cerneret? Si Jeſuitarum collegia ingrederetur, ſi leges eorum perlegens animadverteret, mirè his pauperibus (nam Mendicantium Ordinibus eos Pius V. adſcripſit) curæ cordíque eſſe, ut benè habitent, ægri juxtà ſaníque delicatè habeantur, commodè ſint veſtiti, benè loti, ita ut magna iſtarum regularum pars Provinicialium ac Præfectorum inſtructioni impendatur, ut quæcunque ad reditus ſuos conſervandos augendóſque fieri poterunt, diligenter curent præfecti refectorii, ſimiléſque miniſtri; omnia nitida, terſa & abundanter parata habeant; denique curent enixè, ne qua re ulla indigeant. Neque divites paupertatem voventes, quamcunque præ ſe devotionem ferant, aliud agunt, quàm ut incertiora ſtabiliant, dum privata bona relinquentes, communionem divitiis affluentem ingrediantur. Quòd ſi quidam mendicantes fiunt, præterquam quòd hodie ferè omnes

omnes reditibus fruuntur, ita i''i ſe componunt, ut quandiu ignis purgatorius non extinguitur, ollam perpetuò ebullientem habeant.

Diteſcendi artes à Jeſuitis uſitata, ex Petro Aurelio, Sorbonico Doctore, & Petro Deza, explicantur.

XXXVII. Omittere non poſſum querelam Sorbonici Doctoris, Petri Aurelii adverſus Jeſuitarum nefarias diteſcendi artes motam, Monaſticæ cauponationis argumentum evidentiſſimum. Is nempe libro, cui *Spongiæ Jeſuitarum* titulum fecit *pag.* 307. teſtatur, *totius orbis fidem, & diuturnam rerum experientiam indigniſſimam oſtentationem Jeſuitarum reſpuere, quòd à terrenis opibus ſint alieniſſimi. Exiſtimare contra, ſicut religioſorum omnium ditiſſimos, ita diteſcendi cupidiſſimos & ſcientiſſimos, homines iniquiſſimos, qui non ſolùm divitiarum, ſed etiam paupertatis præ cæteris omnibus poſſeſſionem ad ſe trahunt. Longum eſt*, ſic *pag.* 308. pergit, *commemorare quos fructuum proventus in civitatibus decerpere, & quam ſuprà ullius operarii, quantumvis in temporalem, ut ajunt, mercedem intenti, votum, carnalia metere ſolent, ubi ſpiritualia ſeminaverunt. Quod beneficia Eccleſiaſtica, quibus nulla manifeſtiora laborum in Eccleſia ſtipendia ſunt, eorum poſſeſſionibus inſerta referam? tot Abbatias nobiles, tot optimos Prioratus etiam parochiales, undique tota Gallia longè latéque captârunt. In civitate Rhotomagenſi tres Prioratus ampliſſimos, invidioſos, urbis mœnibus circumquaque objacentes occupârunt, ſermonis hominum & publicæ famæ ſecuri. Hinc eſt*, ſic *pag.* 311. proſequitur, *ut omnes quæſtuum nôrint vias, & una eorum domus profeſſa Lutetiæ, privatarum largitionum tantum ad ſe contrahere dicatur, quantum cæteræ omnes Regularium domus, quæ in ea urbe frequentiſſimæ ſunt, non colligant, ut religioſos etiam inſtituti ſeverioris, teſtificantes audivimus &c. Cohibent denique & comprimunt publicæ offenſionis metu multò majorem opum copiam*

piam

piam, multò majorem animorum ſublimia ſpirantium elationem, quàm quantum cum omnium admiratione patefaciunt. Quid templum illud Antverpienſe, toto Belgio, aliiſque regionibus famoſum, marmore Italico, Genuâ per utraque maria delato, exædificatum, commemorem. Subjicit *pag.* 313. idem: *Quid rurſus enumerem non-jam ſpiritualia, ſed prorsùs temporalia eorum mercimonia plurimis in locis inſtituta, unde naves in oras Indicas, & variorum regiones deſtinârunt? An qui ne hoc quidem commercii genus ſibi inconceſſum putant, ii ſunt, quorum ſtatui à terreno quæſtu, & lucrorum temporalium cupidine, & quidem peculiaribus votis receſſiſſe debeat exiſtimari, cùm eum nec à mercatoria nauticaque fortuna, qua nihil terreniùs, terreniſque compendiis deditiùs, abhorrere, ſed cum ea bellè conſentire ipſimet judicaverint?* Paulò poſt: *Illi quidem fœminæ ſimillimos ſe exhibent, quæ* (Prov. 30.) *comedit, & tergens os ſuum dicit: Non operata ſum iniquitatem. Illi populo, qui exſatiatam cupidinum ſuarum ingluviem* (Jerem. 8.). *procaciter ingerebat: quid feci? Illi hominum ſocietati, qui excolabant culicem unum, camelum autem glutiebant.* (Matth. 23.) Tales nempe ſunt Jeſuitæ, qualis ille, qui

Impiger extremos currit mercator ad Indos.

En Jeſuitas Monachos mercatores Babylonios, vivis coloribus à Sorbonico Doctore depictos! Quibus ſi addatur teſtimoniũ Petri Dezæ, qui *Oratione de Ignatii Beatificat. pag.* 52. miraculum & velut digitum Dei interpretatur, *quòd Jeſuitæ hoc tempore adeò perverſo & avaro nôrint & poſſint abundè quicquid velint, extorquere.* Illudque Jeſuitarum miraculum (nam aliis miraculis illi deſtituuntur(cum eo confert, *quod Deus operatus eſt cum Ægyptiis in favorem populi ſui, cùm Judæis mutuò dederunt, quicquid petierunt; quod totum Deus ipſos voluerit auferre;*

ferre; quomodo ait Jeſuitas *totum auferre, quicquid petunt;* quod argumento ſit, *eos Deo curæ eſſe, & ab eo tenerrimo affectu diligi;* nihil ad cognoſcendam eorundem domeſticis teſtibus inexplebilem avaritiam, & nundinationem Babylonicam deſiderabimus.

XXXVIII. Pertinent huc *Terminarii* veteres, Monachi mendicantes, de quibus ejuſmodi querelam Principes Imperii in Gravaminibus centum, *Grav. vij.* conſignârunt: *Nec minùs & in hoc à Religioſis gravantur profani, maximè pauperes, quibus res eſt anguſta domi: nempè quòd mendicitas ordinum mendicantium nihil in rure, neque in Urbe ſinit non peragratum, dum à terminis, quos pervagantur, Terminarii dicuntur. Quas quidem pervagationes contra ordinis eorum ſtatuta, neque etiam ad neceſſitatem, per avaritiam (NB) inſatiabilem adinvenerunt. Ita enim fit, ut cùm in oppidulo aliquando non admodùm celebri, ſed perexiguo, duo, tria, aut eo ampliùs illorum ſint conventicula, in quæ omne, quicquid eleemoſynæ undique diſquiri poteſt, confertur, dum tamen interim morbo aut ſenio confecti cives vel incolæ, qui per ætatem ex laboribus & ſudoribus ſuis unà cum uxoribus & liberis honeſtè vixerant, egeant, ac famâ & inediâ perire neceſſe habeant.*

Monachorum mendicantium, quibus Terminariis nomen, impudens nundinatio.

XXXIX. Haud fortè de nihilo eſt, quòd Johanne XXIII. Pontifice, Monachos inter Dominicanos & Franciſcanos de divitiis & paupertate certamen acerrimùm exarſit; Pontifice eodem pro divitiarum aſſertoribus, Dominicanis, adversùs Franciſcanos, paupertatis hyperaſpiſtas, pronuntiante, paupertatem palam irridente, & Chriſtum divitem, in cruce ipſa non nudum, nec ſpineâ coronâ caput redimitum, ſed ornatum in capite coronâ aureâ & Regia, indutum verò togâ purpureâ, uſque ad talos demiſſâ, & limbis aureis prætextatâ, protervè effingente.

Dominicanorum & Franciſcanorum de divitiis & paupertate, Chriſto inprimis paupere, certamen; & Monachatûs arcana, eundem vaframentum Ba-

bylonicum eſſe, propalant.

Hiſtoriam fuſiùs *Hiſt. Pap. ſſ.* 129. narravimus. In certamine iſthoc Dominicani eorumque ſuffragator, Papa Johannes XXIII. levâſſe velum, &, quod res eſt, apud Monachos ingenuè profeſſi:. Franciſcani ὑπερχρώμενοι tegendis Monachatûs arcanis ſtuduiſſe paulò inixiùs mihi videntur. Arcana iſthæc Monachatûs poſt Tridentinum etiam Concilium cordatiores quidam Galli, teſte Suave *libr. viij. pag.* 740. referârunt, aſſerentes apertè, *in principiò Romanam curiam ſatagere, ut prætextu voti paupertatis, Monachi exiſtimationem acquirant; quaſi nullam rem temporalem intueantur, ſed omnia charitatis cauſa faciant in populi ſervitutem: poſt, exiſtimatione parta, curiam cum ipſis de voto diſpenſare, unde facilè diteſcant: cúmque bene opulenta facta ſunt Monaſteria, demendari in comendam, & id omne denique in curiam influere.*

Purgatorii fides nundinationi promovenda idonea inprimis eſt.

XL. Orationes vicariæ, oblationes & ſuffragia pro defunctis iis conducere feruntur, qui in purgatorio laborant. Ex *Purgatorio* igitur omnis illa orationum, ſuffragiorum, oblationum, atque aliorum etiam ejuſmodi operum plurium exiſtimatio pendet. Eſſe autem Purgatorii fidem planè ad quæſtum faciendum comparatum, dubitari nequit. Si enim fidelium animæ poſt mortem rectà ignem purgatorium ſubire, & in eo tormenta & cruciatus infernalibus planè æquipollentes, non unam horam, diem, menſem, annum, ſed quandóque centum, mille, pluresque annos ſuſtinere, adeóque horribilem & ineffabilem in modum uſtulari tenentur: ſi cruciatus & tormenta illa orationibus, oblationibus, ſuffragiis vicariis, indulgentiis mitigari vel contrahi: ſi denique orationes, oblationes, ſuffragia vicaria indulgentiæ tum liberalibus viventium adhuc collationibus, piis quinetiam legatis in uſum Monaſteriorum, Eccleſiarum, orantium, offerentium, ſuffragantium, indulgentium: tum conſanguineorum & amicorum defuncti ſimili-

ſimilibus pecuniarum diſpendiis redimi & impetrari poſſunt: quotuſquiſque eſt paulò ſalutis animæ ſuæ ſtudioſior, qui non promtiſſimè Monachis, Sacrificulis, Papæ facultates ſuas, ſaltem quibus carere commodè poteſt, erogare, eoſdémque quàm unctiſſimos reddere velit? Quantum enim opum ſuarum non profunderet libens damnatus vivicomburii, cujus cruciatus vix dimidiam horæ quadrantem durant, ſi profuſione illa vivicomburium redimi poſſe cognoſceret? Vel igitur homines in Papatu morientes Purgatorium ore quidem profitentur, at corde abnegant, & næniam illam, non ignari quippe doli, intùs ſuaviter rident: vel, quid de anima ſua poſt mortem fiat, penſi nil habent: vel parati ſunt ſæviſſimos, quos ſibi imminere credunt cruciatus, facultatum ſuarum quantarumvis impendio redimere.

Ejus hyperaſpiſtæ ficulneis præſidiis innixi,

XLI. Neque tantùm ſuapte indole Purgatorium ad faciendum quæſtum ſic comparatum eſt: ſed reapſe etiam Babylonicæ huic mercaturæ totum ancillatur, & impoſturarum clericalium arx unica eſt. Deum teſtamur & conſcientiam ipſius Cleri, cui morbus aliquis animi mentem non ademit. Nam cùm S. Auguſtino *contra literas Petiliani* judice, illud demum *quod de ſacris voluminibus ſumitur, firmum & ſolidum ſit*, ipſi, qui in Clero ingenui adhuc ſunt, ultrò fatentur, Purgatorium ad Scripturam ferri, non inde referri, neque veteris Eccleſiæ certa de eo haberi teſtimonia, quia ſerò admodùm illud Eccleſiæ innotuiſſe. Ita Petrus Soto *lect. j. de Purg.* Cæſar Bullengerus, Pereſius Ajata, Johannes Epiſcopus Roffenſis inprimis, qui *art.* 13. & 18. contra Lutherum ſcribit, *diligentiſſimos inquiſitores hactenùs latuiſſe Scripturam aliquam* Purgatorium probantem: & *ſerò admodùm illud Eccleſiæ innotuiſſe.* Quæ cauſa eſt, quòd Jeſuita Cottonus Sathana ipſo doctore & indice loci alicujus Scri-

pturæ uti voluit. Et tam clara, manifeſtáque paſſim in Scripturis teſtimonia occurrunt, ut allegoricis, tropicis, obſcuris, dubiis illis, quæ alii Scripturas ad concupiſcentiæ ſuæ lenocinium trahentes, in ſubſidium vocant, lucem addant, & verò purgatorii ignem penitùs extinguant. Cùm ergò in Scriptura Canonica nihil præſidii purgatorium habeat, architectis ejus eò deſcendere neceſſum fuit, ut vel ſuffragatores appellarent homines gentiles, Poëtas, Philoſophos, quos *hæreticorum eſſe Patriarchas*, Tertullianus olim dixit: vel apocrypha commenta nonnulla jactarent, quæ juxta Hieronymum, eadem facilitate contemnimus, qua illi probant; præſertim à Divinis literis non modò diverſa, ſed iis etiam adverſa: vel Origenicum Purgatorium, in quinta generali Synodo publicè ab Eccleſia Græca damnatum, aliáque Patrum, aliàs præcipua fundamenta, quæ hodie Purgatorio præſtrui ſolent, deſtruentium, dicta dubitabunda, ambigua, quædam etiam ψευδεπίγραφα in ſubſidium advocent: vel, quod ii, qui extremam Purgatorio manum admoverunt, de omnibus reliquis deſperantes, tentârunt, eorum teſtimonio firmarent, *qui ſe non*, ut iſti ſceptici diſputatores apud Ciceronem pro Archia, *opinari, ſed ſcire; non audiviſſe, ſed vidiſſe; non interfuiſſe* modò Purgatorio, ſed cruciatus illos ſuos ipſo corpore ſuſtinuiſſe *dixerunt;* &, quod apud Senecam *de Tranquill. animi cap.* 14. Caninius olim ſe facturum promiſerat, poſt mortem *circumierunt amicos, indicârúntque, quem explorâſſent animarũ ſtatum*, opémque adeò ſupplices orârunt. Extat authentica, imò aurea *Legenda*, quam *Lombardicam* appellant, Jacobi de Voragine, Archiepiſcopi Genuenſis: extat ſpeculum exemplorum: extant revelationes Brigittæ, & hujuſmodi commatis alii plures authores, talibus ſpectrorum purgatoriorum apparitionibus, revelationibúſque ſcatentes, in id unicè compara-

comparatis, ut & in purgatorio commodiùs agere, & citiùs eo carcere liberari nobis perſuadeant eos,qui pinguiori munere Sacerdotes Ditis oſtiarios demulſerint. Quantum verò viſionibus ejuſmodi revelationibuſque tribuendum ſit, alibi *Diſſert. Tomo ij. Diſſ. vj:* fuſiùs oſtendimus, & jam olim D. Chryſoſtomus *in Matth. cap.* 8. *homil.* 29. demonſtravit, conceptis verbis aſſerens, *orationem* illam *clamantium: Anima talis ego ſum; à fraude & deceptione Diabolica manare.* Etſi, mea quidem opinione, ſœpiùs hìc humanæ, quàm Diabolicæ fraudes intervenerunt, ut nimirum Sacerdotes ſuffragia ſua pro defunctis efficere vendibiliora & eò cariùs extrudere poſſint. Scilicet

——— cùm ſunt præmia falſi
Nulla, ratam debet teſtis habere fidem;

Si enim ſpectrorum è purgatorio viſiones illi memorarent, apud quos nullum mendacio pretium eſt, poſſent fortaſsè fidem alicui facere. Atqui fuit apud illos teſtes, & eſt etiamnum apud ſucceſſores eorum pretium inſanum grande.

XLII. Cùm ergò ipſi Purgatorii hyperaſpiſtæ ficulneis adeò fictiſque nitantur præſidiis; atque præterea commentum iſthoc jam dudum à noſtris nænia ſoricina confoſſius redditum ſit, quis dubitat, quin aſſertores ejus ipſi imposturas ſuas, & veram, unicam, genuinámque cauſam ejus aſſerti, ſacerrimum quæſtum interiùs agnoſcant, licet dicere non adeò ventri & culinæ ſuæ infenſi, muſſent. Cur enim Clerici quidem aperirent tam utilem ſibi fabulam? Quin potiùs, liceat Macrobii *Saturnal. lib.v.*17. verbis rem præſentem effari, *connivent fabulæ, & intra conſcientiam veri fidem prementes, malunt pro vero celebrari, quod pectoribus humanis fingentium calliditas infudit*: ſtultam in tot caveis prædam tacitis intra ſe cachinnis ipſi perſequuntur. Quòd ergò quondam Marcus Cato apud Cicero-

prodant, genuinam ejus cauſam eſſe auri ſacerrimam famem,

Ciceronem de *Divinat. lib. j.* mirari ſe ajebat, quòd non rideret aruſpex, aruſpicem cùm vidiſſet; idem de Clericorum illorum συνυποκρίσει haud incommodè pronuntiari poteſt, tot fraudium, quibus miſeram illi plebem circumſcribunt, ſibi mutuò conſciorum, ut mirum omninò ſit, ſi quis alteri obvius, quaſi quoddam exemplar intueatur ſui, non extemplò rideat effuſiſſimè.

Quod ex Bernhardino, Concilio Tridentino, Græcorum conſenſu, Epiſcopi Chemenſis ſuffragio, probatur.

XLIII. Quæſtui haberi totam hanc de Purgatorio doctrinam, res ipſa loquitur, & affluentes inde Sacerdotum Regales opes, qui non aliis magis viſcerationibus cibum ſibi poſteriſque æternum dapinaverunt. Produnt quinetiam ſubinde, uti veritas quandoque vi erumpere ſolet, æruſcatores ipſi, ex quorum genere Bernhardinus in Roſario, *VALDE UTILE EST*, inquit, *HABERE DEVOTOS HÆREDES*, qui multas ſcilicet, & ſumptuoſas ſuffragiorum ſacerdotalium nundinationes exerceant. Et quis neget, *valdè utile hoc eſſe*, ſi non animabus defunctorum, at certè Sacrificis,

Qui Curias ſimulant, & Bacchanalia vivunt;

Si non ad purgatorii refrigerandum ignem, ſaltem ad hoc, ut in iſtorum culinis

—— *aſſiduo luceat igne focus.*

Sed & Concilii Tridentini Patres *Seſſ. xxv. de Purgatorio* inter alia Epiſcopis præcipiunt, ut ea, quæ in materia hac de Purgatorio *ad curioſitatem quandam aut ſuperſtitionem ſpectant, vel (NB) turpe lucrum ſapiunt, tanquam ſcandala & fidelium offendicula prohibeant.* Multa ergò ante Concilium in Eccleſia obtinuiſſe, quæ turpe lucrum ſaperent, agnoſcunt: & prohibent ſolæ verborum pompæ, cùm lucrum eſſe Purgatorii animam nulli fortè ignoraverint. Subjiciunt iidem Concilii Patres: *Curent Epiſcopi, ut fidelium vivorum ſuffragia Miſſarum ſcilicet ſacrificia, orationes, eleemoſynæ* (hoc nomine iis lucroſæ collationes

tiones veniunt) *aliaque pietatis opera, quæ à fidelibus pro aliis defunctis fieri conſueverunt, ſecundùm Eccleſiæ inſtituta piè & devotè fiant; & quæ pro illis ex teſtatorum fundationibus, vel alia ratione debentur, non perfunctoriè, ſed à ſacerdotibus & Eccleſiæ Miniſtris, & aliis, qui hoc præſtare tenentur, diligenter & accuratè perſolvantur.* Et mercaturam genuinam, contractum videlicet ementes inter vendentéſque, & *perſolventes* qui *debitum*, ſeu obligationem perſolvendi, ob datas ſcilicet *eleemoſynas, fundationes, aliaſque* ejuſmodi *rationes* inducit. Si tamen rem rectè putaveris, malæ fidei contractus hic eſt, quia ἄνθρακες ὁ θησαυρὸς πέφυκε *carbones pro theſauro dantur*, ut eſt in Proverbio. Carbones autem? imò NIHIL, quia nullæ in Purgatorio ſunt animæ, adeóque nihil orationes, ſuffragia, Miſſarum ſacrificia, quæ pro *fundationibus* & *eleemoſynis perſolvi* dicuntur, iis proſunt. Sic æruſcatores illi ne illam quidem ſolertiam Diomedis in permutando munere imitantur,

χρύσεα donanti, χάλκεα qui dederat;

ſed hanc potiùs illudentium jocantiúmque parœmiam ſequuntur: λαβὲ μηδὲν, καὶ κράτει καλῶς. *Cape* NIHIL *& ſerva bene*. Niſi forſan *ALIQUID* alicui videantur chartæ & plumbum, applicandarum indulgentiarum inſtrumenta: quibus eſt equidem ab igne purgatorio magnoperè metuendum, ne & ipſa redigantur in NIHILUM, eò quòd Diaboli tam calentes dicuntur habere manus, ut & membranæ comburantur, & plumbum colliqueſcat inter eas priùs, quàm legendo percurrerint. Hinc adeò eſt, quòd jam olim Græci, ut refert Cardinalis Aureolus *in 4. d. 21. art. j. pag. 151. d.* Latinos graviter accuſârunt, *quòd Purgatorium propter lucrum invenerint.* Denique Epiſcopi Salisburgenſis, & Chemnenſis Suffraganeus, libro, cui *Onus Eccleſiæ* titulum fecit Landshutæ in Bavaria A.

MDXXIV.

Digitized by Google

MDXXIV. impreſſo, de quæſtoribus his queritur, *quòd ſuis prædicationibus decipiant ſimplices, & aurum ſubtili, vel fallaci potiùs ingenio ab eis extorqueant, de purgatorio mendaciter extrahendo animas, quæ Dei judicio reſarvatæ ſunt.* Nam ſi domum vendere malè materiatam, ruinoſam, peſtilentem, & hæc tamen emptorem vitia celare, Cicero *de Offic. libr. iij.* 3. judicavit, eſſe *hominis non aperti, non ſimplicis, non ingenui, non juſti, non viri boni, verſuti potiùs, obcuri, aſtuti, fallacis, malitioſi, callidi, veteratoris, vafri*: quinimò Plato *in Hipparcho verè ſceleratos & impios eſſe* dixit *eos, qui ſciunt, nullius eſſe pretii ea, ex quibus lucrantur, & tamen ex impudentia lucrum amplecti audent*: quid de iis ſtatuendum putamus, qui, non dicam è re vitioſa, ſed planè NULLA tantum lucri capiunt? Et *ſi*, uti Cicero idem *loc. cit.* loquitur, *vituperandi ſunt, qui reticuerunt rem, quam vendunt, aut vitioſam, aut nullam eſſe; quid de iis exiſtimandum eſt, qui orationis vanitatem inſuper adhibuerunt?* Quod cùm ab omnibus aliis circa Purgatorii mercatum occupatis: tum præcipuè præconibus indulgentiarum factitatum eſſe conſtat, miro verborum lenocinio, promiſſionum illicio merces ſuas extrudere ſolitis.

Progreſſus ad abuſum clavium, in Sacramento Pœnitentiæ.

XLIV. Eſt & aliud mercaturæ Babylonicæ genus in *uſu*, ſeu potiùs nefario abuſu *clavium*, ſeu *abſolutionis*, quæ gemina ſtatuitur. Altera enim locum habet in *Sacramento Pœnitentiæ*, quo abſolutio, ſeu remiſſio peccatorum contritis, confitentibus & ſatisfacientibus ſaltem pro pœna temporali promittitur: altera, *extra Sacramentum Pœnitentiæ*, cùm Papa pro nutu & arbitrio ſuo peccata remittit. Utramque ad quæſtum faciendum aptam natam eſſe, & quæſtui inſervire, paucis demonſtrabimus.

XLV.

XLV. Ac priorem quod attinet, ſatis conſtat, Sacrificulo cuivis poteſtatem eximiàm eſſe ſedendi pro tribunali, confeſſiones peccatorum audiendi, peccata judiciali authoritate remittendi, vel retinendi, & pro pœna temporali peccatis debita idoneas ſatisfactiones præſcribendi. Quis non hîc, ut Clemente & benigno judice, confeſſionem æquo animo audiente, peccata ἐπιεικῶς dijudicante, ab iisdem abſolvente, & ſatisfactionem pro reliqua pœna temporali tolerabilem præſcribente utatur, libens pretium aliquod penſitet, ſi penſitato pretio tali judice uti poſſit? Inprimis ſi perſuaſio animum confitentis & pœnitentis occupaverit, abſque tali confeſſione & abſolutione Sacerdotis nemini in foro Divino peccata remitti poſſe, vel ad Regnum Cœlorum viam patere? Accedit, quòd inter ſpecies ſatisfactionum Sacramentalium (nam ab his ſpontaneæ diſtinguuntur) quas Sacerdos præſcribere jure ſuo poteſt, non tantùm pœnæ corporales, ſed etiam pecuniariæ numerentur. Irrogat ergò Sacerdos pro lubitu ſuo mulctas pecuniarias ſub titulo *eleemoſynæ*. Nam quæ dantur Monachis aqualiculo diſtentis, & ipſi Papæ, eleemoſynæ appellantur, neque, uti eleemoſynæ ſolent, ſponte, ſed ex imperio perſolvuntur. His ergò artibus venerandi illi Patres populum emungunt argento, & in corpora fortunasque laicorum, ne Regibus quidem exceptis, imperium exercent. Atque adeò frequens & luculentus eſt hic ex confeſſione & abſolutione adminiſtrata Sacerdotum quæſtus, ut Jeſuitæ perfectionem ſuam ſuprà reliquos ordines, inter alia in eo etiam collocare ſoleant, quòd confeſſiones gratis audiant. Sed callidi ſcilicet trapezitæ illi hoc agunt, ut pecunias in loco negligant, quod interdum maximum lucrum eſt. Nam ſic neglectâ exiguâ pecuniâ, lucrantur illi animos, quos ubi ſemel in poteſtatem ſuam redegerunt, opportunos deinceps ad ſubeunda imperia

In quo Sacerdos judex ſedens pro tribunali, & abſolutionem promittens, facilè miſeros ad impendenda ſua omnia pellicit.

longè graviora, faciendúmque ex iis quæſtum non vulgarem, ſed Jeſuitis dignum, habent.

Pœnitentiæ in mulctas pecuniarias, Burchardi tempore converti cœpta ſunt.

XLVI. Quia pœnæ temporales, jejunia, peregrinationes, flagellationes, nudipedalia, χαμευνίαι, aliáque ejuſmodi pœnalia opera, in foro pœnitentiæ à Sacerdote pœnitentibus præſcripta, & per aliquot annorum ſpatium extracta, uti quidem illa à Burchardo *lib. xix.* & Gratiano paſſim deſcribuntur, moleſta & exercita nimis viſa ſunt, placuit Sacerdotibus eadem pro lubitu & circumſtantiarum ratione in pecuniarias mulctas convertere: Sic enim in Decreto Burchardi *lib. xix.* 19. legere eſt: *Si quis fortè non potuerit jejunare, & habuerit, unde poſſit redimere, ſi dives fuerit, pro ſeptem hebdomadibus det ſolidos viginti. Si non habuerit, unde totidem dare poſſit, det ſolidos decem. Si autem multùm pauper fuerit, det ſolidos tres.* Addit, pecunias inde redactas vel redimendis captivis, vel altari, vel ſervis Dei (Sacrificulis) vel in uſum eleemoſynarum Eccleſiæ ſcilicet conferendarum impendi debere. Concilium Lateranenſe ultimum *Seſſ. ix.* ſic definit: *Laicus blaſphemans, ſi nobilis fuerit, pœnâ 25. ducatorum mulctetur, & pro ſecunda vice quinquaginta fabricæ Baſilicæ Principis Apoſtolorum de urbe applicandis.* Emmanuel Sa Aphoriſmis in verbo Epiſcopus: *Poteſt*, inquit, *Epiſcopus laicos cohibere à peccatis per pœnam pecuniariam vel exilii.* Baronius *ad A.* 1055. *ſſ.* 9. Cardinalis Petri Damiani iſthæc verba allegat: *Non ignoras, quia cùm à pœnitentibus terras, poſſeſſiones agrorum videlicet accipimus, juxta menſuram muneris, eis de quantitate pœnitentiæ relaxamus. Sicut ſcriptum eſt: Divitiæ hominis, redemtio ejus Prov xiij.* 8. Rem acu tetigit Cardinalis, inſignis ſcilicet Scripturæ interpres, quaſi ſapiens ibi egiſſet de redemptione remiſſionis peccatorum apud Deum, à qua pauper excluderetur. Subjicit Baronius: *Qui-*

bus

bus plane oſtendit Damianus, bona Eccleſiaſtica ejuſmodi fieri ſolita, redemptione aucta creviſſe. Sic eſt, Cardinales vos, bona Eccleſiaſtica redemptione hac creverunt, in immenſum creverunt; & claves Petri feliciter reſerârunt pridem ciſtas, abditóſque theſauros populi, ut rapinæ veſtræ paterent promtiùs.

XLVII. Hæc equidem jam Seculo undecimo acta ſunt. Sed vergente Papatu Lutetiæ A. M. D. xx. apud Toſſanum Denis prodiit infauſtus ille, Lucina obſtetricante, partus, Taxa Cancellariæ Apoſtolicæ, ipſo tenore verborum, utque ſono Babylonicam mercaturam & nundinationem clamans, à Datario quodam, ſeu Cancellariæ Publicano, Pontificia authoritate cuſa, & quibuſlibet flagitioſis Neratiis opportuniſſima. Nullum enim tam tetrum aut horrendum ſcelus cogitari poteſt, cujus venia parari non potuerit, aut abſolutio ac diſpenſatio non impetrari, dummodò pecunia ad eam rem pro ratione Taxæ neceſſaria interveniret. Prodiit quoque (uti quidem non una, ſed plures taxæ reperiuntur paſſim in tractatibus Od. juris, præſertim in volumine ſexto, editione veteri A. M. D. XXXIII.) Imperii Procerum juſſu altera *Taxa Sacra Pœnitentiaria* dicta, cujus compendium ſuprà *Differt. xiv. ſſ. 49.* repræſentavimus, quod hunc etiam in locum ſtudioſus lector ſevocabit. Ibidem *ſſ.* 48. Claudii Eſpencæi graviſſimam de Taxæ Cancellariæ Apoſtolicæ nundinatione querelam conſignatis verbis expreſſam recitavimus. In eadem ſub rubrica *de cauſis matrimonialibus*, diſertis verbis ſcribit: *Nota diligenter, quòd hujuſmodi gratias & diſpenſationes non conceduntur pauperibus, quia non habent, & ideò non poſſunt conſolari.* Extat in ea quoque peculiare caput *de abſolutionibus*, in quo ſic legere eſt: *Abſolutio pro eo, qui in Eccleſia cognovit mulierem, & alia mala commiſit, groſ. 6. Abſolutio pro eo, qui deflo-*

Nundinatio Pœnitentiaria ex Taxis, inprimis Cancellaria & Pœnitentiaria, demonſtratur.

ravit virginem, groſ. 6. Abſolutio pro perjuro, groſ. 6. Abſolutio pro eo, qui revelavit confeſſione n alterius, groſ. 7. Abſolutio pro eo, qui falſificavit literas Apoſtolicas, groſ. 16. vel 18. Abſolutio pro eo, qui interfecit patrem, matrem, &c. groſ. 5. Exiguum videri poterat, & leve nimis groſſorum pretium. Cœterùm, ſub finem mirè taxa augetur, & groſſi in ducatos permutantur. Sed & *pag.* 32. diplomatis mentio eſt, cui *Confeſſionale* nomen impoſitum, quo Papa permittit, ut in extremo vitæ diſcrimine poſitus, Confeſſarium pro lubitu deligat, qui poteſtatem habeat perfectam ei omnium peccatorum remiſſionem impertiendi. Additur tamen, non cuivis, ſed ſummis duntaxat Principibus, neque ita facilè hoc concedi. Cùm igitur hæc illorum mercatura, juxtà Taxas illas, aliáſque etiam (ſunt enim multiplices illæ & prolixæ) in omnibus Regnis, totiúſque orbis Chriſtiani Provinciis agitata fuerit, promtum eſt hinc perſpicere, quàm uberes, nulló queterminati numero proventus, ex iſtius Babylonicæ negotiationis deliciis Romana Curia perceperit.

In quibus etiam Iudais numeratâ pecuniâ facultas blaſphemandi Chriſtum conceditur.

XLVIII. In Taxa Pœnitentiaria, ut hoc obiter aſpergam, ſub rubrica *de Hebræis* hæc legere eſt: *Ut Hebræus poſſit habere Synagogam in domo propria, taxatur tur. 30. duc. 7. Cart. 6. Pro licentia erigendi de novo publicam Synagogam, taxa eſt tur. 60. duc. 15.* Eò ergò res juſto Dei judicio devenit in Regno illo Babylonico, ut ſi Judæi Domino Papæ numerent pecuniam in Sacra Taxa proſcriptam & expreſſam, ilicò ad blaſphemias ſuas in Jeſum Nazarenum impunè effundendas, Synagogæ illis ædificandæ permittantur; qui contra in Jeſum hunc Nazarenum omnem ſuam ſpem, fiduciam, juſtitiæ ſummam, & æternæ ſalutis anchoram, ita defigunt, ut ſolo ipſius merito in æternum ſalvari cupiant, hi Papæ & Cardinalium

lium Collegio tanti admiſſi ſceleris rei habeantur, ut eos ferro flammâque necandos, & rebus humanis eximendos eſſe clamitent. Agite Jeſuitæ, Purpuratæ Meretricis lenones, pulcherrimum hoc facinus excuſate, palliate, fingite, pingite, fucate, colorate: & pudenda hæc Babylonici ſcorti tam fœdè prominentia, quibus tandem poteſtis cinctoriis contegite. Excuſare, palliare, fingere, pingere, fucare, colorare, contegere ſatis poteritis nunquam. In aperto impietas eſt.

XLIX. Ne tamen vel Sacerdotes quivis, vel Epiſcopi etiam nimium ſibi in impertienda abſolutione indulgerent, & quæſtum omnem ſoli devorarent, viſum eſt Papæ, reſervare caſus quoſdam à Sacerdotibus ad Superiores, & ab his (certos quidem & definitos) Romam ad ſuum pœnitentiæ ſacræ tribunal ſevocandos, ubi abſolutio ex arbitrio Papæ ſolius expediatur. Extat ſuper caſuum horum Reſervatione Decretum Clementis VIII. die 26. May, A. MDXCIII. Romæ ſolenni Bulla publicatum, ab omnibus Regularium Superioribus obſervandum; quo Superioribus reſerventur undecim caſus, veluti 1. *Veneficia, incantationes & ſortilegia.* 2. *Apoſtaſia à religione, ſive habitu dimiſſo, ſive detento; quando eò pervenerit, ut extra ſepta Monaſterii, ſeu Conventûs fiat egreſſio.* 3. *Nocturna & furtiva à Monaſterio ſive conventu egreſſio, etiam non animo apoſtolandi facta.* 4. *Proprietas contra votum paupertatis, quæ ſit peccatum mortale.* 5. *Juramentum falſum in judicio Regulari, ſeu legitimo.* 6. *Procuratio, conſilium ſeu auxilium ad abortum faciendum poſt animatum fœtum, etiam effectu non ſecuto.* 7. *Falſificatio manûs aut ſigilli Officialium Monaſterii, aut Conventûs.* 8. *Furtum de rebus Monaſterii ſeu Conventûs, in ea quantitate, quæ ſit peccatum mortale.* 9. *Lapſus carnis voluntarius, opere conſummatus.* 10. *Occiſio aut vulneratio, ſeu gravis percuſſio cujuſcunque perſonæ.*

Papa ſibi caſus certos, in quibus Sacerdotes abſolvere nequeunt, reſervavit.

ſonæ. 11. *Malitioſum impedimentum, aut retardatio, aut apertio literarum à Superioribus ad inferiores, & ab inferioribus ad Superiores.* Hi quidem ſunt caſus confitentium Regularium reſervati. Alii caſus ſunt confitentium non Regularium. Sunt etiam caſus ſoli Papæ reſervati, ipſorum Epiſcoporum poteſtatem ſupergreſſi, qui in Bulla de Cœna Domini recenſentur; ubi etiam habetur forma excommunicationis, cujus fulmina Papa anniverſariis diebus Jovis, Paſcha præcedentibus, delinquentes circa caſus illos, jacta ex ſublimi ardente face, ferit. Fruſtrà ibi homicidia, adulteria, inceſtus, veneficia, à quibus ſinguli Epiſcopi abſolvere poſſunt, requiras. Longè graviora Papæ ſcilicet, pro Suprematu & temporali elatione, ceu pupilla oculi ſui, ſoliciti exiſtimatione, crimina ſunt, quæ illi reſervare ſolent, puta eorum, *qui ad futurum Concilium appellare audent: qui piraticam exercent proximè territorium Papæ, inde à monte Argentario Terracinam uſque: qui Apoſtolicas literas falſant; qui hæreticis arma ſuppeditant: qui commeatum Aulæ Pontificis afferentes, morantur: qui Prælatum quempiam occidunt: qui decimas à Clero exigunt: qui jura Eccleſiæ violant, Reges imprimis, Cancellarii & Parlamenta: qui receptioni Concilii Tridentini adverſantur: qui Romipetas impediunt, aut lædunt.* Hæc ſcilicet atrocia & inexpiabilia illa crimina ſunt, quæ de facto Papæ anathemata incurrunt, neque niſi à Papa abſolvi, & anathematis nexu exui poſſunt.

ad ſtabiliendam ſcilicet tyrannidem, augendúmque quæſtum.

L. Quò verò hæc aurigentur, obſcurum non eſt. Olim quidem enormia crimina contra Dei, non Papæ legem admiſſa, quibus excommunicationis cenſuræ annexa eſt, referebantur ad Epiſcopos, ut de ipſorum conſilio, certa publicæ pœnitentiæ ratio, reis ad ipſorum emendationem, & Eccleſiæ ædificationem imponeretur. Innocentii conſtitutio *cap. Omnis utriuſque* dicit: *Si Confeſſarius opus habuerit,*

rit, ut in enormi aliquo crimine ſe majores & doctiores conſulat, ut illud abſque ulla expreſſione perſonæ cautè requirat. Inde poſteà emerſerunt *Caſus Reſervati* puriori antiquitati, uti ipſi in Concilio Tridentino Colonienſes & Lovanienſes Theologi pertenderunt, prorsùs incogniti, in quibus verbum Dei peccatorum pœnitentum per nullum miniſtrum, quantumvis legitimè vocatum, in foro Divino, abſolvere poſſit, niſi id faciat Epiſcopus, vel Romanus Pontifex, utpote in quo ſolo plenitudo poteſtatis remittendi peccata reſideat, quique pro arbitrio ſuo vel ipſe remittere, vel remittendi poteſtatem aliis inferioribus delegare poſſit. Unde Concilium Tridentinum *Seſſ. xiv. cap. 7.* aſſerit, *nullius momenti abſolutionem eſſe, quam Sacerdos in eum profert, in quem ordinariam, aut ſubdelegatam non habet juriſdictionem. Magnoperè verò ad Chriſtiani populi diſciplinam pertinere viſum eſt*, inquit, *ut atrociora quædam & graviora crimina, non à quibuſvis, ſed à ſummis duntaxat Sacerdotibus abſolverentur. Unde meritò Pontifices Maximi pro ſumma poteſtate ſibi in Eccleſia univerſa tradita, cauſas aliquas criminum graviores ſuò potuerunt peculiari judicio reſervare.* Quaſi ſcilicet verbum Dei non poſſit remittere peccata, niſi ubi, in quantum, & quibus in caſibus ipſi poteſtas ex ſcrinio pectoris Papalis derivata aſſiſtat, vel ejus vis & potentia pro differentia eorum, à quibus adminiſtratur, variet; ita ut per quoſdam tantùm parva peccata, hoc eſt ea, quæ contra legem Divinam militant, per Papam verò quævis, inprimis maxima, ſcilicet ea, quæ contra legem ejus, culinariam præcipuè, militant, remitti poſſint. Quod verbi Divini poteſtas, & Chriſti ipſius authoritas non præſtat, Papæ poteſtas & authoritas præſtat. Satis apparet, id omne à Babyloniis mercatoribus, ad ſtabiliendam tyrannidem, alendum, conſervandum, & augendum Regni Papalis

palis

palis quæſtum excogitatum eſſe, quod vel ſola caſuum reſervatorum ex Bulla Cænæ Domini ſuprà repetitorum nativa indoles, & Romanæ in caſibus hiſce licitationes, manifeſtè arguunt. De qua re Imperii Romani ſtatus A. MDXXII. graviter ſic queſti ſunt, inter gravamina centum, tertio: *Papalis ſanctitas, & cæteri Epiſcopi caſus aliquot ſuæ tantùm abſolutioni reliquos fecerunt &c. ut inde nummorum aliquid eis accreſcat. Quod ex eo conjicere licet, quòd in caſibus etiam quantumvis pro tempore honeſtis, aut neceſſariis, nunquam tamen, niſi numeretur aliquid, diſpenſant. At ſi nihil attuleris, indiſpenſatus perpetuò maneas oportet.*

Imperii R. de pœnitentia in aucupium pecuniæ converſa, querela.

LI. Cùm ergò ſic Hierarchici reſipiſcentiam primò in pœnas pœnitentiales, in argenteas, aureáſque fodinas permutaverint, haud immeritò ſtatibus Imperii Romani tum Pontificii, tum Proteſtantes iidem inter gravamina ſua adversùs Romanam Curiam collecta, iſthoc etiam numero LXVII. retulerunt. Rubrica eſt: *Quemadmodum plus pecuniæ quàm pœnitentiæ peccatoribus imponunt.* Textus ſequitur: *Patrum Canonibus ſancitum eſt, ſpiritualibus ac manifeſtis peccatis ſpiritualem pœnitentiam ſeu ſatisfactionem imponendam eſſe, ut ſic non pecuniæ lucrum, ſed potiùs animarum ſalus quæri intelligatur. At Eccleſiaſtici judices & Officiales perperàm animadverſis Canonibus, dictam ſpiritualem pœnitentiam in tantum exaſperant, aggravant, & augent, ut laici priuſquam eam ſatisfactionem acceptare velint, pecuniâ magis ſibi ab ipſis immunitatem comparent. Quare laici multùm premuntur, Eccleſiaſtici contra multùm ditantur, utpote qui in ſuum privatum commodum & partis, agunt munus & judicis: quod tamen omnibus juribus diſſonum eſt.*

Papa extra Pœnitentiæ Sacramen-

LII. Sic fuit abuſus Clavium, ſeu Abſolutionis Hierarchicorum in Sacramento Pœnitentiæ. Gravior eſt abuſus

ſus

ſus Clavium ſeu Abſolutionis alterius, qua extra Sacramentum Pœnitentiæ Papa, Hierarchicorum caput, pro plenitudine poteſtatis à peccatis abſolvit, & per merita aliena ex Eccleſiæ fictitio theſauro, liberè applicata, indulgentias diſpenſat, quibus, quando & qua lege vult. Pecuniæ autem pro indulgentia expendendæ lege maximè vult. Et poteſtas quidem hæc Papæ à Doctore Angelico, Thoma Aquinate, ſic *Opuſc.* XXI. 10. deſcribitur: *Cùm Summus Pontifex ſit caput in corpore myſtico omnium fidelium Chriſti, & à capite ſit omnis motus & ſenſus in corpore vero, ſic etiam in propoſito. Propter quod oportet dicere, in Summo Pontifice eſſe plenitudinem omnium gratiarum, quia ipſe ſolus confert plenam indulgentiam omnium peccatorum. Ut competat ſibi, quod de primo Principe Domino dicimus, quia de plenitudine ejus nos omnes accipimus.* Hæc licet nihil à blaſphemia abſint, exprimunt tamen ſententiam Hierarchiæ, juxta quam Papa tum in Sacramento Pœnitentiæ Sacerdotibus & Epiſcopis poteſtatem remittendi peccata delegat: tum eadem extra Sacramentum pro lubitu utitur. Innixus enim paſſionibus meritiſque Chriſti & Sanctorum ſuperabundantibus, quas ille pro ejuſdem poteſtatis ſuæ plenitudine, & ſingulari frugalitate illa, qua nihil ex heſternis fragmentis perire patitur, in Eccleſiæ theſaurum, conjungendas ſcilicet cum auro & argento Papæ, ut horum contactu & ipſæ in aurum & argentum transſubſtantientur, & ab eodem ceu radicali horrei hujus cuſtode conſervandas, importat pro lubitu ſuo auxiliares manus porrigentibus indulgentias pleniſſimas, pleniores, plenas, quibus peccata, & peccatorum pœnæ, etiam illæ, quæ à Sacerdotibus in Pœnitentiæ foro jam impoſitæ ſunt, remittantur, diſpenſat. Neque tantùm à pœnis & peccatis, ſed ab ipſa etiam obligatione faciendi fructus pœnitentia dignos, indulgentiæ relaxant,

tum ſummam ſibi poteſtatem abſolvendi vendicat; prætextu theſauri meritorum Chriſti & Sanctorum abundantium poſſeſſi, & per indulgentias conceſſas applicandi;

Bellarmino ipſo eò impudentiæ provecto, ut de *Pœnit. lib. j.* 13. apertè aſſereret, *indulgentias facere, ut pro pœnis, quæ nobis per indulgentiam condonantur, non teneamur præcepto illo de faciendis dignis pœnitentiæ fructibus,* utque non teneamur *Domino, quem ſuperbia, cupiditate, atque illicita delectatione offendimus, humilitate, largitione, compunctione & afflictione voluntaria ſatisfacere.* Siccine pretio neceſſitas veræ pænitentiæ agendæ eximi poteſt?

Indulgentiarum origo & progreſſus.

LIII. Satisfactionum Pœnitentialium in pecuniarias mulctas Seculo circiter undecimo, Burchardi tempore ortas eſſe, ſuprà oſtendimus. Indulgentiarum verò nulla in Burchardi vel Gratiani ſcriptis mentio occurrit. Paulò ante Seculum decimum tertium exortæ ſunt. Scribit Aſtexanus in Summa ſua, quòd *pœnitens, ſi ſentiat ſatisfactionem ſibi injunctam nimis eſſe gravem, aut ad ſervandum periculoſam, poſſet ad eundem ſuum confeſſorem, vel alium recurrere, & petere vel commutationem, vel relaxationem ſeu indulgentiam injunctæ ſatisfactionis: & ſacerdotem habere poteſtatem vel commutandi, vel etiam relaxandi ſatisfactionem priùs injunctam.* Hæc de Sacerdotum ſeu confeſſorum indulgentiis in foro Pœnitentiali ex multis Canoniſtis probat Bernhardinus. Poſteà diſputari cœptum eſt, à quonam remiſſiones tales fieri poſſint, à proprio ſacerdote, æquali an ſuperiore? Poſtremò ad ſolos Epiſcopos & Archiepiſcopos relaxatio illa tranſlata eſt. Tandem de plenariis Papæ indulgentiis diſputari magnificè cœptum eſt. Cùmque primùm Aſtexano teſte, relaxationes illæ factæ ſint ad petitionem pœnitentium, ſi imbecillitatem ſuam ad ſuſtinendas ſatisfactiones ſatis probâſſent, poſteà ad corrogationes eleemoſynarum, dedicationes Templorum, peregrinationes, & tandem ad tinnitum munerum in genere cœperunt variæ indulgentiæ concedi.

LIV. In

Digitized by Google

LIV. In Decretalibus Gregorii IX. *lib. v. tit.* 38. *Capitulo Cùm ex ea*, ponitur forma literarum, à Sede Romana *quæſtoribus illis eleemoſynarum* (ſic disertè vocantur,) dari ſolitarum ejusmodi: *Quia ſcriptum eſt, qui parcè ſeminat, parcè & metet, qui verò ſeminant in benedictionibus, de benedictionibus metent vitam æternam. Cùm igitur ad ſuſtentationem fratrum & egenorum ad hoſpitale confluentium propriæ non ſuppetant facultates, univerſitatem veſtram monemus, atque in remiſſionem vobis injungimus peccatorum, ut de bonis vobis à Deo collatis, eis erogetis, ut per ſubventionem veſtram ipſorum inopiæ conſulatur, & vos per hæc bona & alia, ad æterna poſſitis gaudia pervenire.* En indulgentiam non petitam, ſed ultrò oblatam: & oblatam occaſione inopiæ facultatum: & ſub conditione *erogandi bona à Deo collata*, ne dubitari poſſit, primariò intentum quæſtum, contractumque *Do ut des*, exercitum fuiſſe. Eodem titulo Alexander III. loquitur de remiſſionibus, quæ fiebant in dedicationibus Eccleſiarum, aut conferentibus aliquid ad ædificationem pontium. Mox A. MCCXV. in Lateranenſi Concilio ejusmodi conſtitutio prodiit: *Quia per indiſcretas & ſuperfluas indulgentias, quas quidem Eccleſiarum Prælati facere non verentur, & claves Eccleſiæ contemnuntur, & pœnitentialis ſatisfactio enervatur: decernimus, ut, cùm dedicatur Baſilica, non extendatur indulgentia ultra annum, ac deinde in anniverſario dedicationis tempore* 40. *dies de injunctis pœnitentiis indulta remiſſio non excedat. Hunc quoque dierum numerum indulgentiarum literis præcipimus moderari* &c. Poſt A. MCCXLIV. Innocentius IV. uti habetur in Sexto Decret. *lib. v. tit.* 10. pro fabrica Eccleſiæ Rhemenſis permiſit concedere indulgentias vel unius anni, vel 40. dierum.

Veteres indulgentiarum formulæ.

Per Scholaſticorum de indulgentiis diſputationes, nundinationi feneſtra aperta eſt; & pecunia pro iis data ut ſpirituales, non ut corporales conſiderata ſunt. Quæſtorum impudentia Concilii Viennenſis decreto reprimitur; mox tamen Pontificum falſa interpretatione enervato.

LV. Hoc argumentum deinceps ſcholaſticis diſceptationibus exercitum, eóque perductum eſt, ut eorundem operâ nundinationibus indulgentiarum non tam feneſtræ, quàm decumanæ portæ aperirentur, aſſerentibus pleriſque, *principaliter dari indulgentias, ſi quis manus adjutrices porrexerit* (hac phraſi Sixtus IV. in bulla, quæ *Extravag. com. lib. v. tit. 9. extat) ad hoſpitalia, ad Baſilicas & ſimilia, ſi modò temporalia, quæ exponuntur, ordinentur ad ſpiritualia. Sic enim Simoniam non committi.* Sic planè pecuniæ pro remiſſione peccatorum exactæ & datæ, juxta inſtitores Romanos, non ut *corporales*, ſed ut *ſpirituales* conſiderantur, adeóque Simoniæ admittendæ metus nullus eſt. Nam *indulgentiæ fiunt;* ſic Auguſtinus de Ancona, *de poteſtate Papæ quæſt. 30. art.* 3. loquitur; *ad relevandam indigentiam Eccleſiæ.* Unde non ſolam voluntatem, ſed actum dantis requiri, ſubjicit: *Indigentia, inquiens, Eccleſiæ non revelatur per ſolam voluntatem dandi, ſed per datum.* Proin divitis conditionem hîc meliorem eſſe, quàm pauperis idem infert. Acceſſerunt indulgentiarum quæſtores, qui ſuis artificiis mirè negotiationem illam promoverunt, atque eò impudentiæ progreſſi ſunt, ut A. MCCCXI. in Viennenſi Concilio, cui Clemens V. præfuit, nonnihil reprimi debuerint, peculiari edita conſtitutione *contra quæſtores indulgentiarum*, quæ in Clementinarum *libro quinto tit.* 9. extat. Ibi inter alia habetur, quæſtores illos eleemoſynarum in ſuis prædicationibus proponere abuſus, ut ſimplices decipiant, & aurum ſubtili, vel fallaci potiùs ingenio ab illis extorqueant, quod in animarum periculum & ſcandalum plurimorum cedat. Abuſus recitantur ſequentes, *quòd non ſine temeritate, audacia & deceptione multiplici animarum, indulgentias populo motu ſuo proprio de facto concedant, ſuper votis diſpenſent, à perjuriis, homicidiis & peccatis*

catis aliis ſibi confitentes abſolvant, malè ablata incerta (data ſibi aliqua pecuniæ quantitate) remittant, tertiam aut quartam partem de pœnitentiis injunctis relaxent, animas tres vel plures parentum vel amicorum illorum, qui eleemoſynas ei conferunt de purgatorio (ut aſſerunt mendaciter) extrahant, & ad gaudia Paradiſi perducant, benefactoribus locorum, quorum quæſtores exiſtunt remiſſionem plenariam peccatorum indulgeant, & aliqui ex ipſis eos à pœna & à culpa abſolvant. Decretum Concilii adversùs quæſtores illos ejusmodi cuſum eſt: *Nos abuſus hujusmodi, per quos cenſura vileſcit Eccleſiaſtica, & clavium Eccleſiæ authoritas ducitur in contemptum, omnimodè aboleri volentes, per quoscunque quæſtores fieri vel attentari de cœtero diſtrictiùs inhibemus: Omnia & ſingula privilegia, ſi qua ſuper præmiſſis, vel eorum aliquo, ſive aliquibus locis, ordinibus vel perſonis quæſtorum hujusmodi quomodocunque conceſſa (ne ipſorum prætextu ſit eis materia ulteriùs præſumendi) authoritate Apoſtolica, quantum ad præmiſſa penitùs revocamus. Quæſtores autem, qui deinceps in præmiſſis, vel aliquo præmiſſorum deliquerint &c. ſic per locorum Epiſcopos puniri volumus (nullo prorsùs Quæſtoribus privilegio in hac parte ſuffragante) quòd à ſuis temerariis abuſibus, qui* (NB.) UBIQUE *(ut communis habet aſſertio)* NIMIUM EXCREVERUNT, *pœnæ formidine propenſiùs compeſcantur.* Videbantur ſic abuſus illi indulgentiarum per Clementinam illam ſatis taxari, damnari & aboleri. Cœterùm Pontifices mox ipſo facto decreti hujus interpretationem ediderunt, quòd videlicet abuſus illi ſint damnabiles & abolendi, ſi fiant à quæſtoribus hoſpitalium, ſi verò à Pontificibus ipſis exerceantur jubentúrque, opus maximè pium eſſe.

LVI. Sic ergò deinceps Pontifices aliis quæſtoribus in- *Plenam diſpenſandi*

eaſdem poteſtatem ſibi Pontifices reſervant, & eaſdem diſtinguunt, atque ad mortuos etiam, ſaltem per modum ſuffragii extendunt.

indulgentiarum conceſſionem ſimpliciter prohibuerunt; Epiſcopis verò, vel Archiepiſcopis indulgentias duntaxat partiales & limitatas, anni puta, vel 40. dierum conceſſerunt: ſibi verò ex plenitudine poteſtatis plenarias indulgentias omnium peccatorum ad tempus longiſſimum, nulliſque niſi papalibus arbitrii finibus limitatum, reſervarunt, ſic tamen ut jus illud indulgentias illas conferendi & applicandi committere poſſint, cui voluerint, & laicis. Placuit autem diſcrimen indulgentias inter plenas & pleniſſimas. Ita Petrus de Palude indulgentiam *plenam* vocari ait, *reſpectu remiſſionis pœnæ mortalium & venialium, & pleniſſimam* dici *reſpectu non ſolùm pœnæ, ſed etiam culpæ venialium; quia,* inquit, *indulgentia habet rationem cujusdam abſolutionis.* Alii medias, *pleniores* addiderunt. Ut ergò Pontifices opinionem vulgi de indulgentiis alerent, confirmaréntque, cùm anteà in literis indulgentiarum uſi fuiſſent hac forma, *remitti vel totum, vel partem de injunctis pœnitentiis:* aut, *fieri remiſſionem vel totalem vel partialem pœnæ temporalis pro peccatis debitæ,* ſicut Innocentii III. Bulla ſonat: recentiores hac generalitate uſi ſunt: *Plenam, pleniorem, pleniſſimam omnium peccatorum veniam* Cajo Sejo *concedimus & indulgemus.* Neque viventibus duntaxat, ſed etiam mortuis indulgentias dare conſueverunt. In Taxa Cancellariæ Apoſtolicæ *pag.* 41. pretium à conſanguineis ſuperſtitibus pro mortuis expendendum, ſic definitur: *Pro mortuo excommunicato, pro quo ſupplicant conſanguinei, litura abſolutionis venit duc.* 1. *Carl.* 9. *pro muliere, quæ ſe ſuſpendit, ſive pro viro, ut poſſit Eccleſiæ tradi cenſuræ duc.* 1. *Carl.* 9. Toletus quoque *de Inſtruct. Sacerd. lib.* 1. 7. ſic definit: *poteſt excommunicatione contracta in vita abſolvi poſt mortem.* Teſtes ejus rei ſunt crebræ adeò indulgentiæ, mortuis conceſſæ, ſa-

cræ

Digitized by Google

eræ quinetiam aræ, Romæ inprimis, privilegiis ſolenniter munitæ, ut toties liberetur anima, quoties in iis litatur: Navarrus Commentario *de Jubilæo & indulg.* concedit, indulgentias ad mortuos in Purgatorio laborantes extendi poſſe, negat tamen, cuiquam Papa inferiori, hoc eſt, alii quàm Papæ fas eſſe ad mortuos extendere. An verò extendi ad mortuos poſſint per modum *authoritatis judicialis*, an *ſuffragii*, *deprecationis*, vel *interceſſionis*, certant Doctores, & adhuc ſub judice lis eſt. Per modum ſuffragii duntaxat mortuis prodeſſe, Bonaventura, Richardus, Cajetanus, Cordubus, alii affirmant, metuentes, ne aliàs ſtudium pro redimendis Miſſis, & orationibus in uſum mortuorum frigeſceret. Sed hanc ſententiam Valentia *incautam*, nullo modo audiendam, appellat: Bellarminus *probabilem*, ſed contrariam magis *piam* vocat. Parùm tamen refert quo modo mortuis proſint (nam indulgentiæ quidem per modum deprecationis collatæ, nîl minùs quàm indulgentiæ ſunt) dummodò quod adagio nefas putatur, ἀπὸ νεκρῦ φορολογεῖν *à mortuo tributum exigere*. Papæ fas integrúmque putetur.

LVII. Indulgentiarum Panegyres & nundinæ Jubilæa ſunt. Anno nempe MCCC. cùm Jubilæum verè Chriſtianum, quod unico Chriſti merito afflictas conſcientias confidere docet, fatali hominum ſuperſtitione obſolevisſet, Bonifacius VIII. tempus idoneum nactus, hunc novum & ſolennem indulgentiarum mercatum in ejus locum ſubſtituendum putans, bullato edicto Chriſtianos invitavit Romam ad Baſilicam S. Petri & Pauli, obſequentibus non ſolùm *plena* & *pleniore*, ſed etiam *pleniſſima peccatorum omnium remiſſione* promiſſa. Quid potiſſimùm ille ſpectaverit, ex vita & moribus ejus æſtimandum eſt. Præclarè enim alicubi Cicero omnibus in rebus, quæ grauiores majoréſque ſunt, quid quiſque voluerit, cogitârit, admiſerit, non

Indulgentiarum nundinæ ſunt Jubilæa, auri ſacra fame à Bonifacio VIII. primùm inſtituta,

non ex crimine, ſed ex moribus ejus, qui arguitur, ponderandum eſſe, monet. Anne ergò hic Papa, ut nomine, ita re quoque fuit Bonifacius? Imò omnium hominum, quos ſol vidit, peſſimus & flagitioſiſſimus fuit, procella Eccleſiæ, turbo & tempeſtas Reipublicæ Chriſtianæ, idemque gurges profundiſſimus & inſatiabilis, aurum undiquaque conquiſitum plus quàm dici poteſt ſitiens. Hoc enim præclaro ſcilicet teſtimonio à Sabellico, Nauclero, Platina, aliis mactatur. Ex mera igitur auri fame, omnium malorum radice, ingenioſus Bonifacius novum aucupium iſthoc excogitavit, & hominibus ſuperſtitione occœcatis, purgatoriiſque terriculamentis dementatis obtruſit.

Et à ſucceſſoribus continuata, ac ad breviorem temporis terminum contracta.

LVIII. Ingenioſa res quæſtura eſt. Lucri enim odor bonus ex re qualibet eſt, &

Creſcit amor nummi, quantum pecunia creſcit.

Sic planè Romani Pontifices ſubindè alia & nova excogitaverunt pecuniarum aucupia, ut indulgentiarum quæſtum, cujus jam ſuavitate mirè afficiebantur, retinerent, & confirmarent. Quæ igitur Bonifacio jubilæi centeſimo quoque anno inſtituendi, eadem ſequentibus Papis ejuſdem ad brevius temporis ſpatium contrahendi cauſa fuit. Quid enim Clementem VI. ut hanc feſtivitatem centeſimo quoque anno ſecundùm Bonifacium celebrandam, ad quinquageſimum reduceret induxit? Auri ſacra fames, & offertoriorum ex indulgentiis ampliſſimorum magna ſpes, qua ſic elatus & dementatus eſt, ut in Bulla ſua Angelis Paradiſi mandaret, ut animas morientium in itinere à Purgatorio penitùs abſolutas, in Paradiſi gloriam introduceret. Neque intra hanc ſanctionem res ſtetit. Nam quæſtûs dulcedine allectus Urbanus VI. Jubilæum ad trigeſimum tertium quemque annum, prætextu ſimilis ætatis Chriſti, reducere conatus eſt. Sed cum fato ille præoccuparetur, pro eo quæſtum hunc accepit Bonifacius IX, reclamante in frau-

fraudibus tam manifeſtis conſcientia, quod de eo teſtatur Platina, ſcribens, *quòd aliquoties is conſtituerit profuſionem plenariarum indulgentiarum revocare, ſed ob agnatos locupletandos coactus fuerit ad aucupium illud maximè compendiarium reverti.* Hic ergò quæſtor calliſſimus, Cranzio *Metropol. lib. xj.* 10. teſte, *gratias & indulgentias fecit inauditas: & quàm facilè dedit, tam revocavit leviter, fabulas excitans in orbe Chriſtiano, quòd auro expleri non poſſet.* Adeò impudenter ab eo venditas eſſe indulgentias, Platina teſtatur, ut eviluerit clavium & literarum Apoſtolicarum authoritas. De eodem ſic Theodoricus à Nyem, conſiliarius ejus ſcribit: *Aliquando* (quæſtores ejus) *in uno Regno ſeu in una Provincia hujuſmodi venditionibus ultrà centum millia florenorum reportârunt, quia omnia peccata, etiam ſine pœnitentia confitentibus relaxârunt, ſuper quibuslibet irregularitatibus diſpenſando interventu pecuniæ.* Sed en Sacram Piſcatoris hujus Romani ſagenam! Non contentus enim Jubilæi hujus proventu Bonifacius poſt paucos exactos annos, nimirum A. MCCCC. alterum Jubilæum, quod Pontifici nulli contigit, celebravit. Denique ad quintum & viceſimum annum nundinas haſce Sixtus IV. reſtrinxit, auri ſacra fame & πλεονεξία concitus; tam avarus quippe, & impurus, ut ædificato lupanari publico, ex meretricio etiam quæſtu plurimùm emolumenti ærario ſuo accumulaverit. Atque intra hanc Jubilæi ordinarii definitionem res ſtetit ſtabitque, donec novum Papam aliquem libido mutandi inceſſet. Neque enim unquam prætextus deerunt. Quidni enim argutulus quiſpiam, Nepotibus ſuis velificaturus eo prætextu, quòd apud Judæos veteres annus quiſque ſeptimus שמטה *remiſſionis* annus fuerit, concludere poterit, apud Chriſtianos æquè convenire, ut annus quiſque ſeptimus ſit annus *remiſſionis*

peccatorum, adeóque Jubilæus? Hoc unum ſcilicet reſtat.

Iis qui Jubilæi tempore Romam adire non poſſunt, Papa Legatis miſſis, & facultate certis Collegiis, Eccleſiis &c. data, aliiſque modis lucroſis proſpexit.

LIX. Non omnibus tamen datum fuit, vel datur etiamnum adire Romam. Ne ergò non adeuntes ἀσύμβολοι abirent, & ab expilationibus ejusmodi immunes eſſent, bonum factum Papæ viſum, vel negotiationem iſtam per alios exercere, vel facultatem exercendi cum certis limitationibus aliis vendere. Legatos enim ſuos per varias miſit provincias, aſſignatis certis legationis terminis, cum plenitudine poteſtatis concedendi Papæ nomine plenarias indulgentias adinſtar Jubilæi. Sed & certis Eccleſiis, Collegiis, Monaſteriis, Capitulis, Conventibus, Hoſpitalibus, Confraternitatibus, Univerſitatibus privilegia & facultatem concedendi indulgentias plenarias, certis cum limitationibus vendidit. Sed poterant ſic proſtantibus paſſim indulgentiis Romæ Jubilæi nundinationes frigeſcere. Ut ergò incommodum hoc Pontifices averterent, imminentibus Jubilæis venditas priùs facultates & conceſſiones ſuſpenderunt poſt jubilæum uſque, vel ad beneplacitum, ſæpiùs etiam poſteriores Pontifices indulgentiarum privilegia à prædeceſſoribus vendita, revocàrunt, ut de novo cariore pretio redimerentur. Quòd à moderno etiam Pontifice Innocentio XI. factitatum fama fert. Alexander verò VI. Polydoro Vergilio teſte, ut ſpurios ſuos locupletaret A. MD. ſtationes Jubilæi non in Romanæ Eccleſiæ Baſilicis duntaxat, ſed in longinquis etiam Provinciis ubipue gentium vicatim ferè conſtituit, ut & abſentes datâ pecuniâ plenarias Jubilæi indulgentias mercari poſſent.

Indulgentia in articulo mortis conceſſa, cariſſimo pretio empta; nec ſine novis

LX. Haud poſtremum pecuniarum aucupium fuit de indulgentiis plenariis in articulo mortis conferendis. Nam in vita quidem mercatus plenariam indulgentiam, poterat tamen relabi, & nova peccata peccare, novúmque adeò reatum contrahere. Ut igitur à pœnis Purgatorii ani-

animam prorsùs metu vacuam redderent, confinxerunt nundinationem indulgentiarum in articulo mortis conferendarum, ut acceptis pro illis pecuniis, anima defuncti ilicò ſuperas ad auras evaderet. Hæ indulgentiæ omnium cariſſimo pretio diſtrahi ſueverunt; Eugenio IV. Pontifice maximè, circa A. MCCCCXL, licet ante ipſum etiam Gerſon earum meminerit. Cœterùm & hoc aucupium varias impoſturas peperit, ut eò luculentior quæſtus eſſet. Cœptum enim eſt diſputari de articulo vero & præſumto. Si enim quis moriturus præſumeretur, & convaleſceret, indulgentiæ conceſſæ gratiam expiràſſe, novàſque adeò indulgentias redimendas eſſe, placuit. Eugenius verò IV. acceptâ pecuniâ hanc declarationem addidit, valere illam indulgentiam in articulo mortis vero, non præſumto, & non expirare etiamſi anteà recitata fuiſſet. Cùmque in repentinis caſibus ſæpè Sacerdos vel Clericus in promtu non ſit, denuò pretium numerandum fuit, ut valeret etiamſi laicus indulti formam pronuntiaret. Cùmque primùm in bullis talibus addita fuerit hæc exceptio: *Concedo tibi plenariam indulgentiam omnium peccatorum, præter ea, quæ ex confidentia hujus indulti commiſiſti;* novo contractu opus fuit, ut illa clauſula vel omitteretur, vel expungeretur. Demùm magno ſtudio diſceptatum eſt, tanquam pro focis, ſi non pro aris, an illi, cui in articulo mortis indulgentia talis collata fuit, poſt mortem exequiis & ſuffragiis opus ſit. Ne igitur propter ejuſmodi indulgentias Sacerdotum exequias curantium culinæ algerent, illis etiam indulgentiis variæ additæ limitationes ſunt de peccatis oblivione præteritis, cùm tamen indulgentiæ de peccatis talibus non loquantur, ſed de contritis & confeſſis, nec non de peccatis venialibus, ad quæ ſe contritio non extendit. Sic una indulgentia in fœcunda negotiatione iſta, non alteram, ſed ter geminam ſemper

impoſturis; & diſputatione de articulo mortis vero & præſumpto.

peperit. Et tam multiplex forma fuit impoſturarum illarum, ut non ab alio, quàm à Curtiſano quopiam in officina illa nundinationum probè exercitato, accuratè explicari valeat. Tot videlicet artibus, tot calidis callidisque inventionibus opus fuit, ut quæſtus ille pinguis ſatis, & ex deſiderio inexplebili negotiantium proveniret.

Indulgentiis inſervivevunt tum confeßionalia, magno pretio redempta,

LXI. Indulgentiis *Confeßionalia* & *ſtationes* ac *ſtationarii* inſerviverunt. Non ſufficiebat efficaciæ erroris indulgentias vendere illo tempore & in locis illis, ubi & quando publicè proſtabant ad remiſſionem peccatorum præteritorum, ſed ad futuros etiam caſus, pro peccatis adhuc committendis emebantur, & vendebantur. Ergò pro numerata pecunia vendebantur Bullæ, ut cùm quis inpoſterum crimen aliquod perpetrâſſet, poteſtatem haberet eligendi, quem vellet, confeſſorem, qui & ipſe vigore Bullæ coëmptæ haberet poteſtatem ſibi hac in parte commiſſam, ut vel in certis, vel in quibuſcunque caſibus poſſet confitentem abſolvere, & plenariam ipſi indulgentiam conferre, vel ſemel in vita, vel bis in anno, vel toties, quoties, prout cariùs quis Bullas licitatus fuerat. Hæc diplomata *Confeßionalium* nomine veniebant, diverſa ab indulgentiis hactenùs, quòd indulgentiarum valor, & menſura à Pontifice, plenam vel pleniſſimam peccatorum veniam concedente, & modò contractiùs, modò latiùs fimbrias ſuas expandente, nec reſervatos caſus eodem ſemper numero exprimente, determinari ſuevit: Confeſſionalium verò candidati ipſi petitionis ſuæ modum & rationem præſcripſerunt, & ſignato, quantum ſibi ſatis exiſtimârunt catalogo Papæ obtulerunt; nec peccatorum liberam tantùm confeſſionem aut remiſſionem, ſed etiam, ut peccatum in foro ſaltem Romano, peccatum eſſe desineret, effecerunt. Confeſſionalium ejuſmodi

di diplomata aliquot Celeb. Hottingerus, *Hiſt. Eccleſ. Tomo VII. pag.* 113. 114. &c. repræſentat.

LXII. Apud veteres mentio eſt *Stationum*, quæ iis fuerunt ſtatæ feriæ, quibus populus in certis templis conveniebat ad auditum verbi, communionem myſteriorum, & preces. *Stationum* nomine venerunt, quia *ſtantes* die inprimis Dominico, & toto tempore inde à Paſchate ad Pentecoſten, quo in memoriam reſurrectionis Chriſti non geniculabant, verbum audire, & preces fundere conſueverunt. *A militia*, uti apud Rigaltium ad Tertull. *in lib. ij. ad ux. cap.* 4. loquitur Rhenanus, *tractum & uſurpatum hoc vocabulum ut alia multa, hæſit in uſu Chriſtianorum. Faciebant ſtationem milites, certo loco præſidium agitantes. Unde & ſtationarii dicti Chriſtiani nunc in hac Baſilica, nunc in alia conveniente, nonnunquam apud Martyria, hoc eſt, Martyrum ſepulchra, Deum ſtantes precabantur. Stationis vocabulum in hoc ſenſu non ignotum urbi Romanæ &c.* Apud Gregorium M. extant Homiliæ ad populum in ſtationibus illis habitæ. Sed indulgentiarum mentio; ne leviſſima quidem eſt. Procedente tempore, cùm exercitia illa penè obſolevíſſent, & maneret tantùm opus operatum viſitationum Eccleſiarum illarum in quibus olim verbum Dei audire & precari mos erat, viſitantibus promiſſæ ſunt indulgentiæ, ut promtiùs invitati in Eccleſiis ſeu ſtationibus illis comparerent. Bonifacius VIII. privilegium hoc dedit Baſilicæ Petri & Pauli; Clemens VI. Eccleſiæ Lateranenſi; Sixtus IV. Eccleſiæ Mariæ majoris. Primùm autem jubilæorum tantùm tempore in Eccleſiis illis indulgentiæ vendebantur. Poſt feliciter ſuccedente negotiatione, additæ ſunt aliæ etiam urbis Eccleſiæ, & numerus indulgentiarum ſingulis fermè diebus in infinitum auctus eſt, uti id ex tabula ſtationum urbis Romæ, ex innumeris,

tum ſtationes, Romanæ inprimis, quarum multiplicatio miré nundinationem auxit.

quæ ibi ſunt, principalium ſeptem, Lateranenſis, Vaticanæ, ad S. Paulum, S. Mariam majorem, S. Laurentium, S. Sebaſtianum, & S. Crucem majori privilegio privilegiatarum, nec non minus principalium nonnullarum, Cl. Chemnitus *Exam. Concil. Trid. pag.* 738. &c. demonſtravit. Nos quoque ſuprà *Differt. xiv.* 50. ex eadem tabula unius Eccleſiæ Lateranenſis indulgentias, ſpeciminis gratia narravimus.

Stationum omnium indulgentia tantum in numerum excreverunt, ut iis nec vitæ præſentis, nec purgatorii tempus ſufficiat. Unde intricatæ quæſtorum diſputationes exortæ, & à nonnullis Geometrica proportio in ſubſidium vocata eſt.

LXIII. Omnium & ſingularum urbis Romanæ ſtationum indulgentias numerârunt Quæſtores Hoſpitalis Spiritus S. quod Romæ eſt, ſummámque earum ad decies centena millia annorum, & plus quàm quadraginta duas plenarias indulgentias redegerunt, præter animarum illarum, quæ ex Purgatorio liberantur, indulgentias. Quibus indulgentiis quomodo vel hujus vitæ, vel purgatorii tempus ſufficiat, ipſi viderint. Niſi fortè illis placet confugere ad uſitatum illud: *Superabundans cautela non nocet;* vel illud Franciſci Maironis recipitur, *ſuperfluas indulgentias ad augmentum gratiæ & gloriæ converti;* vel denique taxantur indulgentiæ juxta proportionem non arithmeticam, ſed geometricam, de qua diſputatum video ab Adriano Florentino. Is enim objicienti: *Si per primam eleemoſynam, quam quis dat fabricæ conſequitur remiſſionem tertiæ partis pœnæ totius debitæ: pari ratione per ſecundam conſequeretur remiſſionem alterius tertiæ, & per tertiam eleemoſynam relaxationem noviſſimæ tertiæ & reſtantis: & ſic per tres parvos denarios conſequeretur remiſſionem totius pœnæ: ut pro tunc decedens poſſet ſine purgatorio volare ad Cœlum;* ſatisfacere conatur ex Gloſſatore Gratiani *in caput, Tempus, quæſt.* 2. *C.* 13. ubi ſic ille: *Dico quòd ſi prima eleemoſyna tollit centeſimam pœnæ: ſecunda eleemoſyna etiam tantam tollit pœnam, ſed non tantam in quantitate, ſed tantam in proportione, & ſic*

ſemper

ſemper aliquid remanet de pœna. Subiicit Adrianus: *Et ſic ſolvo illud, quod objicitur de indulgentiis: quod ſi propter oblationem unius denarii tollitur quarta pars peccatorum mortalium & venialium, per oblationem ſecundi denarii tollitur tantum in proportione, non tantum in quantitate, & ſemper aliquid remanet, licet* (NB) *omne argentum effunderetur.* Satis acutè! Et neget quis, indulgentiarum hujuſmodi nundinationi utiliſsimam eſſe Geometriam! Profectò ſic nunquam adeò multiplicari poterit indulgentia, & cum indulgentia eleemoſyna; nunquam ejus fructus in millenos annos promitti poterit, quin aliquod ſaltem minutiſſimum Purgatorio ſuperſit. Nam quaternis eleemoſynis non, ut illi putant, conſumetur tota pœna: ſed de ducentis quinquaginta ſex partibus duntaxat centum ſeptuaginta quinque: atque ita purgatorio ſupererunt una & octoginta ne extinguatur, & ſic nihil frigidiùs, ut vulgus loquitur, Purgatorii culina fiat. Sed nunquam, dent veniam viri ſubtiliſſimi, paſſurus videtur Euclides, nedum S. Paulus eandem eſſe rationem unius denarii ad quadrantem, quæ eſt ad quadrantem dodrantis, & deinceps; utpote qui docuit, eſſe duplam, & deinceps. Neque hæc ſubtilitas locum habere poteſt in indulgentiis, quarum menſura ſumitur à tempore, vel ſi quis non unam, duas aut tres eleemoſynas ſucceſſivè largiatur, ſed ſimul ſemélque, vel ſi indulgentias plenarias accipiat; ubi una eleemoſyna ſi abſtulit peccata omnia, nihil reſiduum faciet, unde proportionalis fiat diminutio. Manifeſtum igitur eſt, nîl niſi fraudes hîc graſſari, & vel cornicum oculos configi.

LXIV. Sed de hoc quicquid ſit, cùm ſtationum illarum indulgentias non ampliùs Romani & Itali curarent, alias gentes longiùs diſſitas ad ſuſcipiendas ad illas Eccleſias & urbis ſtationes invitandas Pontifices putârunt. Atque primùm

Stationum indulgentiæ abſentibus pro pecunia per quæſtores vendi incipiunt.

primùm illi incredibili numero confluxerunt. Sed deferveſcente mox eorum Zelo, & peregrinis rariùs adventantibus, aliud aucupium excogitatum eſt, ut indulgentiæ illarum ſtationum abſentibus pro pecunia in omnibus terris per legatos ſeu quæſtores venderentur. Hæc nundinatio, cujus formam ſuprà deſcripſimus, adeò frequens & impudens fuit, ut oppidatim, vicatim, templatim, oſtiatim ab emiſſis illis à Papa quæſtoribus indulgentiæ ſint adſcriptæ; ut, ſi quis hunc vel illum locum viſitaverit, ſi Miſſam audiverit, ante imaginem candelam accenderit, tot Patres noſtros, Avéque Marias dixerit, inprimis verò *manus adjutrices porrexerit*, tot ille dierum, annorum ab hoc vel illo Pontifice indulgentiis conceſſis potiatur. Ut vel uno ſpecimine exhibito fidem faciam, Biturigibus in Templo Cathedrali D. Stephani, ad altare Cardinalis, lapidi antiquo inſcriptum ejuſmodi carmen, Babylonicæ negotiationis luculentum teſtimonium, repertum, & à Vecheldio, Reip. Lubecenſis Conſule deſcriptum; Clariſſimóque Chemnitio exhibitum eſt:

Hic des devote, Cæleſtibus aſſocia te
Mentes ægrotæ per munera ſunt tibi lotæ.
Ergò venitote gentes à ſede remotæ,
Qui datis, eſtote certi de divite dote.
Te precor, accelera, ſpargas hic, dum potes æra.
Et ſic reverà ſecurè Cœlica ſpera.
O ſi tu ſcires, quantum data proſit ibi res,
Tu juxta vires donares, quod dare quires.
Te miſer à pœna, dum tempus habes, aliena,
Ut tibi ſit pœnæ venia, ſit aperta crumena:
Conſors Cæleſtis fabricæ, qui porrigit, eſt is,
Ex hoc ſum teſtis, vos hic mundare poteſtis.
Crede mihi, Crede Cœli donaberis æde,
Nam pro mercede, Chriſto dices, mihi cede.

Digitized by Google

Hic datur exponi paradiſus venditioni,
Currant ergò boni, rapientes culmina throni
Vis retinere forum, mihi pendas pauca obolorum
Pro ſumma quorum reſerabitur aula polorum.
Hic ſi largè des, in Cœlo ſit tua ſedes.
Qui ſerit hic parcè, parcè comprendit in arce.
Cur tardas, tantum nummi des aliquantum,
Pro ſolo nummo, gaudebis in æthere ſummo.

Fabula putidiſſima de plenaria indulgentia ſine pecunia in Eccleſia S. Mariæ de Angelis apud Aſſiſſium per Franciſcum à Chriſto impetrata, indulgentiariæ illorum temporum nundinationis teſtis eſt.

LXV. Horribilem illam in nocte illorum temporum Babylonicæ nundinationis faciem prodit fabula illa putidiſſima & blaſphema, de plenaria indulgentia abſque pecunia in Eccleſia S. Mariæ de Angelis apud Aſſiſſium à S. Franciſco impetrata, quam in Roſario ſuo Bernhardinus de Buſtis deſcribere, & poſteritati mandare haud erubuit. Referam Bernhardini verbis: *Cùm*, inquit ille, *Franciſcus apud illum locum in Cella ſua oraret, apparuit ei Angelus, dicens, ut iret ad Eccleſiam, quoniam Chriſtus & Beata Virgo cum Angelis eum exſpectaret. Chriſtus autem dixit: Franciſce, poſtula quid circa ſalutem animarum, qui datus es in lucem gentium. Franciſcus dixit: Supplico, ut digneris facere hanc gratiam generi humano, concedere ſcilicet omnibus & ſingulis venientibus ad locum iſtum, veniam & indulgentiam omnium peccatorum ſuorum univerſaliter & generaliter. Et ſupplico beatæ Virgini, advocatæ humani generis, ut pro hac petitione impetranda me adjuvare digneris, &c. Chriſtus verò reſpondit dicens: Satis grande eſt, quod petiiſti, ſed majoribus dignus es, frater Franciſce. Admitto igitur ſupplicationem tuam: ſed volo ut vadas ad meum vicarium, cui dedi poteſtatem ligandi & ſolvendi in Cœlo & terra, & petas ab eo ex parte mea dictam indulgentiam. Franciſcus manè ſe contulit ad Papam Honorium, & petiit, ut ad honorem Virginis Mariæ dignaretur in*

ipſa Eccleſia Portiunculæ ponere indulgentiam plenariam ſine oblationibus. Papa reſpondit, ſe non poſſe hoc facere, ut qui vult indulgentiam, eam non mereatur ponendo manus adjutrices. Interrogavit autem Franciſcum Pontifex, quot annos vellet ibi poni de indulgentia. Qui reſpondit, ſe non velle annos, ſed animas, ut quicunque dictam Eccleſiam intrarent contriti & confeſſi, plenam peccatorum omnium ſuorum à culpa & à pœna, quæ peccata commiſiſſent à die Baptiſmi uſque ad diem & horam introitûs in Eccleſiam: Addens quòd non ex ſe hoc peteret, ſed ex parte Chriſti, qui eum miſerat. Tunc Papa annuit, & quod poſtulaverat conceſſit. Egrediente autem Franciſco, Papa dixit: Ubi habes Bullam? At ille reſpondit: Nullum de hac re volo inſtrumentum, ſed ſit B. Virgo charta, Notarius ſeu plumbator, Chriſtus, Angeli, teſtes, ſigilla, ſtigmata Franciſci. Poſtmodùm ad petitionem Cardinalium Papæ indulgentiam illam ad unam diem naturalem ſingulis annis in perpetuum extendi declaravit, prima ſcilicet die Auguſti, à primis veſperis, uſque ad veſperas ſecundæ diei. Hæc & plura ille fabularum & blaſphemiarum hamaxarius Bernhardinus. Quid videtur, Mercatores Babylonii? Si vera ſunt, quæ vera eſſe creditis, efficacia erroris acti tranſverſi, ut libentes mendacio credatis, Papa, ne ipſo Chriſto mandante, æquo animo fert indulgentias dari gratis non ementibus, non merentibus ponendo manus adjutrices.

Nundinationi eidem optimi quinque contradixerunt, inprimis Wilhelmus Durandus, Schola Pari-

LXVI. Hinc adeò viri pii & cordati nundinationi huic per Emulgentias (ita non immeritò non nemo inſignit) contradixerunt. Lateranenſis & Viennenſis Concilii decreta ſuprà adduximus. Wilhelmus Durandus Speculator inſignitus, conſilio de celebrando Concilio, juſſu Clementis V. ſcripto, ſic *parte* III. *tit.* 15. de Indulgentiis ſcri-

ſcribit: *Cùm in univerſali Eccleſia quæſtores indulgentiarum multos errores diſſeminent, multóſque ſeducant ſimplices, & multas abuſiones procurent, & vitam gerant enormiter diſſolutam &c. poteſtáſque Clavium contemnitur, cùm pro uno obolo, vel nihilo indulgentia conceditur, nec proficiat proviſio Concilii Lateranenſis, unde populi contemnunt pœnitentias à Confeſſoribus impoſitas adimplere &c. videretur ſuper hoc de competenti remedio providendum, & inſuper ut ceſſarent quæſtus curſorum & nuntiorum Romanæ Curiæ.* Notæ ſunt querelæ Waldenſium, Wiclefi, Ruthenorum, Huſſi, Hieronymi Pragenſis, Bohemorum, qui impudentes nundinatores in carcerem compegerunt, totius Scholæ Pariſienſis, quæ Clementi VI. contradixit, &, Aventino teſte, Indulgentiarias ejus Bullas, ſolenniter adhibitis tubis & campanis, damnavit. Weſſelus Groningenſis, qui ob ſuas contra indulgentias diſputationes dictus eſt *Magiſter contradictionis*, Monachorum ſui temporis opinionem recitat, *quòd indulgentiæ ſint piæ fraudes, & dolus non malus, quo plebs officioſo errore ad pietatem trahatur.* Quam eandem etiam opinionem Thomas Aquinas *Supplem. p.* III. *q.* 25. *art.* 3. narrat. Taceo Johannem Veſalienſem & Savanarolam, qui παῤῥησίαν ſuam, quæ indulgentias eſſe *veram deceptionem piorum ad Cleri quæſtum comparatam* declamârunt apertè, igne piârunt. Tandem A. MDX. tota Natio Germanica inter Gravamina ſua Imp. Maximiliano I. oblata, loco decimo, retulit, *quòd indulgentiæ novæ, cum revocatione aut ſuſpenſione veterum (laicis contra Clerum murmurantibus) ad corradendas pecunias concedantur.*

ſienſis, Weſſelus Groningenſis, Ioh. Veſalienſis, &c.

LXVII. Sed ſurdis illi, aliique plures, fabulam cecinerunt. Venter enim, beſtia peſſima, aures non habet. Creſcebat indies magis nundinationis indulgentiarum impuden-

donec Deus collybiſticas illas menſas Leone X,

authore impudentiſſimè exercitas, in Germania per Lutherum;

pudentia, ut quò tandem progrederetur ampliùs, haud inveniret, nec ubi conſiſteret haberet. Leo Papa decimus, cui ſucceſſus nundinationis præteritæ, Alexandri VI. inprimis ſalivam movit, cùm Jubilæum novum operiri provectior ætas, & lucri flagrantior cupido (auri enim ſitientiſſimum fuiſſe, *accedente Romanorum avaritiæ, Florentinorum cupiditate*, Langius ejus σύγχρονος Monachus Cittizenſis *Chron. ad A.* 1513. teſtatur) eum non ſineret, novo exemplo A. MDXV. & deinceps, impulſore, uti putabatur, Cardinale quatuor Sanctorum, miſſis per omnia Regna quæſtoribus, eandem gratiam, quæ in Jubilæo Romam venientibus concedi ſolet, extra Jubilæi terminum pro numerata pecunia, poſitis publicè in Eccleſiis ærariis, ſeu menſis collybiſticis, venalem obtulit. Prætextus erat bellum Turcicum, & apud Germanos ſtructura Templi S. Petri à Julio II. inchoata; ſed prætextus ſanè, non res, uti Hiſt. Pap. §. CLII. oſtendimus, & paulò poſt oſtendemus fuſiùs. Ut impoſtura illa procederet ordine, & cum authoritate in Germania cumprimis exerceretur, Archiepiſcopo Moguntino, Germaniæ Primati, id negotii dedit, qui ea conditione illud ſuſcepit, ut pars prœdæ Romano Pontifici, pars ſibi ad ſolvendum pallium cederet. Uſus ille eſt ſordidi hujus miniſterii ſatellite, nebulone inſigni, Johanne Tezelio, Dominicano, quem paulò antè Imp. Maximilianus in adulterio deprehenſum Oeniponte ſacco ad ſubmerſionem adjudicaverat, liberatum interceſſione Ducis Friderici. Cùmque ordini militari in Livonia ex indulgentiis ampliſſimum quæſtum confeciſſet, viſus ille Moguntino ad ſaltandam hanc fabulam maximè idoneus fuit, qui Commiſſarius Apoſtolicus, & hæreticæ pravitatis Inquiſitor à Papa crearetur, quò inquiſitoriis artibus opprimere contradicentes poſſet. Sic ille tam pro ſuggeſtu impudentiſſimis præconiis, & orationibus artificiosè compoſitis, tum

tum ſparſo libello quem *Summariam Inſtructionem* appellavit, indulgentiarum merces per Germaniam venales expoſuit. Quibus ille artibus paſſim Germanos ſuam pro illorum ſalute animam, ſi ciſtæ modò pecunias imponerent, oppignorans emunxerit, donec collybiſticæ ejus menſæ à Luthero everſæ ſunt, C. Chemnitius *Exam. Concil. Trid. p.* 744. aliique fuſiùs expoſuêre. Orationis pro ſuggeſtu ſummam liceat attexere. *En*, ſic Babylonius Stentor declamavit, *Cælum undique jam apertum eſt, ſi nunc non intres, quando unquam intrabis? O inſenſatos & craſſi cordis homines, beſtiis propè ſimiles, qui non percipitis tantam effuſionem gratiarum! En tot poteſtis redimere animas! O duri, duri, negligentes! Duodecim denariis patrem extrahere potes, & tam ingratus parenti in tantis pœnis non ſuccurris? Ego ſanè in extremo judicio excuſatus ſum. Vos videritis. Dico tibi, ſi unam ſolam tunicam haberes, hanc quoque exuendam & diſtrahendam judico, ut tantas gratias obtineres.* Amplificationes addebat, *Si quis literas indulgentiarum redimeret, ejus animam ſecuram eſſe de ſalute ſua. Animas in Purgatorio exiſtentes, pro quibus indulgentiæ redimantur, ſtatim ubi conjectus in ciſtam nummus tinniret, in Cælum evolare. Tantas eſſe illas gratias, ut nullum ſit adeò magnum peccatum, etiamſi per impoſſibile matrem Dei violâſſet, quin per indulgentias ſolvi poſſet. Liberum per indulgentias iſtas fieri hominem ab omni culpa & pœna. Eſſe enim gratias iſtas donum illud Dei inæſtimabile, quo homo reconcilietur Deo, & omnes pœnæ Purgatorii deleantur. Nec neceſſariam eſſe contritionem his, qui vel animas, vel confeſſionalia redimerent.* Finis Concionis fuit: *Impone, impone, impone.* Et ne verbis duntaxat diſtento gutture declamatis, ſed exemplo etiam moverent quæſtores, primi ad ciſtam in omnium conſpectu procedebant ſplendido ge-

ſtu, & aſtantes imponentibus arridebant, omittentibus indignabantur.

In Helvetia per Zwinglium detexit evertitque.

LXVIII. Similium in Helvetia Baccharum fuit Bernhardinus Samſon, Mediolanenſis, Franciſcanus Monachus, qui ab eodem Leone Papa Commiſſarius Apoſtolicæ ſedis ad eos miſſus, brevi ſuo indulgentiarum mercimonio tam feliciter Helvetios circumſcripſit, ut ciſtas argento & argenteis vaſis refertas in Italiam deportari curaverit. Cùm Tugii magno emturientium confluxu is turbaretur: *Ne quæſo*, inquiebat ille, *vobis mutuò ita moleſti eſtote. Illis primus pateat aditus, qui pecunias ferunt. De cæteris poſt viderimus.* Bernæ duobus *urſis* (nummi hoc genus erat, ab impreſſo urſo) pauperioribus, cœteris majore longè pretio, coronato, ampliore etiam merces ſuas addixit. Bernâ digreſſurus, populo campanæ ſigno in Templum majus convocato, triplicem Papæ gratiam promulgavit. *Primò* enim, ex ſuperabundanti Chriſti & Sanctorum omnium theſauro, cunctis præſentibus, qui flexis genubus peccata confiterentur, Orationem Dominicam, & Ave Maria ter recitarent, omnium peccatorum à culpa & pœna remiſſionem indulſit, & ei integritati, quam in Baptiſmo habuiſſent, eoſdem reſtituit. *Secundò*, ex Purgatorii flammis animam quam vellent liberandi facultatem conceſſit iis, qui quotidiè Templum majus ter orantes circumirent. *Tertiò*, poſtquam ſinguli genubus flexis quinquies tum Orationem Dominicam, tum Salutationem Angelicam in defunctorum ſubſidium recitâſſent, elata voce exclamavit: *Ab eo momento omnes Bernenſium defunctos, ubicunque exceſſiſſent ſimul liberatos tam ab inferorum, quàm Purgatorii cruciatibus, in Cœlum transferri.* Sed & memoratu digniſſimum eſt Confeſſionale, quod idem ille agyrta authoritate Leonis X. Bernæ Antonio Spilmanno tredecim florenorum

renorum

Digitized by Google

renorum Rhenenſium pretio venditum, à Cel. Hottingero *Hiſt. Eccleſ. Tom. VII. pag.* 165 —— 171. αὐτολεξεὶ inſertum, indulgentiariæ mercaturæ lernam & ſentinam prodit. Badæ Miſſâ, & cœteris pro defunctis officiis peractis, in cœmiterium quotidiè magna cum pompa excurrere ſolitus clamavit: *Ecce volant!* Bremogardi Decanum Bullingerum Simoniæ huic obnitentem, & merces exponere vetantem, Samſonius anathemate perculit, obnuntians eo expeditum non iri, niſi numeratis aureis trecentis. Tiguri cùm appuliſſet Mercator, Huldricum Zwinglium, authoritate Hugonis, Epiſcopi Conſtantienſis nequitiæ ſuæ graviſſimè adverſantem expertus, Italiam cum rapinis ſuis repetiit, & Helvetiis poſthac rectiùs animabus ſuis conſulendi uberrimam anſam reliquit.

LXIX. Parùm equidem refert quem in finem ſic Leo Papa indulgentias ſuas promercales fecerit, an ex pecuniis inde redactis, quod quæſtores in diplomatis ſuis præferebant, fabricam Baſilicæ D. Petri à Julio cœptam ad finem perducere paraverit; an, quod plus veriſimilitudinis habet, & authoribus hac in re fide dignis, Guicciardino, Papæ illius Miniſtro, & Paulo Jovio, Epiſcopo Nucerino, proditum, & à Paulo Langio Cittizenſi Monacho inſinuatum eſt, Saxoniæ, & totius ejus tractus Germaniæ, qui Saxoniam & Mare interjacet, Magdalenæ ſorori, Franciſco Cibo, Innocentii VIII. Pontificis ſpurio connubio junctæ, dono dederit, non tam ſorori gratificaturus, quàm hoſtimentum aliquod redditurus familiæ Ciborum, cujus ſumtibus Genuæ Florentia extorris ſuſtentatus fuerat. Sufficit ad convincendum ſpiritualis nundinationis flagitium, quòd ſic indulgentias per quæſtores emiſſos, pecuniarum præſentaneo pretio vendidit, & teſſeras illas ſuas propoſuit, *non modò*, uti Budæus *de*

Simonia Leonis X. demonſtrata.

Aſſe eas deſcribit, *veniales, ſed etiam venales, impunitatem ſcelerum, & ſolutionem ſacrarum legum ſordida benignitate largientes*, capturam ſuprà fidem modumque quæſtuoſiſſimam propoſuit, de qua non immeritò Legatus ille Venetus Michaël Surianus apud Folietam *lib. I. de S. fœdere*, & Thuanum *lib. xlvij.* dixit, *nullum eſſe opulentius toto terrarum Orbe Vectigal Pontificis calamo, cujus ſimplex ductus quantumvis ingentem pecuniæ vim momento pariat*; & feſtivè neſcio quis alius Juris Canonici Doctor, Curiam Romanam multò ſolertiore μεταμορφώζει, quàm è Paracelſi ſchola diſcipulos, plumbum in aurum convertere, pronuntiavit, quia ſcilicet Romanenſes illa ſua arte immenſùm aucti, nitidi & ſplendidi incedant, hi verò ſqualore inediáque contabeſcant.

& nequicquam è Pallavicino defenſa.

LXX. Neque Papalis hujus nundinationis idonea defenſio eſt, quam Sfortia Pallavicinus Cardinalis *Hiſt. Concil. Trid. lib. I. cap. 2. ſſ.* 8. meditatus eſt. Objicienti enim, *quòd ſic Papa Cœleſtes theſauros pretio venales fecerit*, adeòque criminis Simoniæ ſe alligaverit, reſpondet, accuſationi huic facilè occurri, *ſi animo recolamus, pecuniam eſſe neceſſarium inſtrumentum ad obtinendum, quicquid eſt in aliorum hominum poteſtate, ſive id opes ſint ab illis poſſeſſæ, ſive illorum labores & opificia. Quocirca*, inquit ille, *cùm fieri non poſſet, ut Vaticana Baſilica extrueretur, abſque ſubſtantiis multorum millium hominum, & abſque multorum etiam millium ſudoribus; perindè erat, impertiri indulgentias & privilegia cuicunque partem aliquam illius Baſilicæ ædificanti, atque eadem concedere tribuenti pecuniam idoneam ad cœmentorum partem aliquam comparandam, & aliquibus operis mercedem perſolvendam. Ceterùm, quis ignoret, hominem nihil habere, & nihil eſſe niſi terram? Deus autem*

hac

hac terra contentus pro ea nobis ſolvit, non quanti ea eſt, ſed quanti à nobis æſtimatur. Idcirò Regem illum hortatus eſt Daniel, ut eleemoſynis peccata ſua redimeret, Sacrilegus quidem eſt, qui Cœli theſauros argento commutat in propria lucra converſo, non qui eos ſpondet uti præmium oblatæ Deo pecuniæ, & ad ejuſdem cultum expenſæ. Enim verò ſi opus hujuſmodi æternum Divinæ amicitiæ, claræque Dei viſionis incrementum mereri poteſt, quidni mereri poſſit condonationem alicujus pœnæ certo tempore poſt mortem luendæ, & alicujus Eccleſiaſticæ legis laxationem, modò id ritè & ordine fiat? Hactenùs ille.

LXXI. In defenſione ea probamus, quòd Pallavicinus Pontificem in hac negotiatione non æquè, ut alii mangones ſolent, à culpa eximere tentat, & culpam omnem in quæſtores derivare non conatur. Noverat enim, hanc eſſe campanam ſine piſtillo. Si enim maximè nullo Pontifice authore quæſturam ſic Romani nebulones exercuiſſent, (exercuerunt autem conſciis, volentibus, lucrum captantibus,) quem tamen Papam nobis demonſtrabunt, qui quæſturas & impoſturas illas Italicas in re tanti momenti ſeveritate diſciplinæ caſtigaverit? Hic ſiluère leges, atque ſemel fixæ, citò refixæ ſunt. In cœteris defenſio Pallavicini titubat, & ipſi Simoni Mago purgando idonea eſt. Nam & ipſi æquè ac purpuratis noſtris facilè ſuboluit, *pecuniam eſſe neceſſarium inſtrumentum ad obtinendum quicquid in aliorum hominum poteſtate eſt.* Sicut ergò Pontifices pro pecunia, neceſſario adeò inſtrumento ad obtinendum id, quod in aliena poteſtate eſt, remiſſionem peccatorum vendunt, ita Simon pro pecunia Spiritum S. & ejus dona vendere inſtituerat. Neque fucus publicæ Eccleſiæ utilitatis & privati quæſtûs labem illam à Pontificibus abſtergit, tum

quia Leonem Papam fabricam Baſilicæ falsò prætendiſſe oſtendimus: tum quia quæſtus ex re ſpirituali, ſive ad unum, ſive ad plures, ipsámque adeò communitatem, redundet, criminis Simoniæ ſpeciem non mutat; imò impietatem eam auget potiùs, eò quòd quæſtus ille Eccleſiæ impenſus eandem polluit & profanat, neque magis, quàm meretricia olim merces in Sanctuarium Domini inferri poteſt: tum quia ſicut Eccleſia indigere poteſt Baſilica vel Templo, ſic privatus domo vel tugurio: tum quia non ea magnificè adeò extruendæ Baſilicæ neceſſitas incubuit, ut ex ſudore & ſanguine pauperum, peccatiſque hominum ære redemtis provehenda, turpitérque adeò per Quirinales iſtos prædones Chriſtianorum ſimplicitati illudendum fuerit. Neque, quicquid Pallavicinus ſpirituali ſeu Babylonica ſua politica machinetur, peccata auro vel argento corruptibili, ſed ſolo pretioſo ſanguine Agni immaculati Chriſti piantur, & redimuntur 1 Petr. 1. 18, 19. Neque Nebucadnezar pecuniis ſuis peccata redimere, ſed juſtitiâ ea abrumpere, hoc eſt, peccata cum juſtitia commutare juſſus eſt. Quòd ſi neceſſitas fidelium operam & collationem flagitâſſent, non illa turpi illa rerum ſpiritualium, quæ in commercio eſſe nequeunt, nundinatione provocari, ſed liberali prece ſolicitari, vel Papali imperio, cui omnia ſubeſſe ſciſcunt illi, extorqueri debuiſſet. Denique ſive ſpiritualia, ut prœmium pecuniæ Deo oblatæ, ſive ut merces rependantur, rependuntur certè, & rependuntur ex pacto, quod obligationem inducit. Imò propriè non rependuntur ut prœmium, ſed offeruntur ſub conditione pecuniæ & manûs adjutricis. Hoc ergò ſi Simoniacum non eſt, quid Simoniacum verè ſit, velim Pallavicinus nos edoceat. Nam κυρίως Jeſuitarum de Simonia δόξας, quibus Babyloni ſuæ lenocinari ſolent, non ſoli nos aſpernamur validè, ſed ipſa etiam

etiam non ita pridem Facultas Theologica Pariſienſis, ex Amedei Guimenii opere extractas damnavit his verbis: *Hæ Propoſitiones* (quas inter etiam hanc retulit: *Non eſt Simonia, pacto expreſſo ſe obligare ad aliquid temporale pro ſpirituali ex gratitudine conferendum*) *falſæ ſunt, & Simoniam contra jus Divinum apertiſſimè approbantes, atque aliàs à Facultate damnatæ.*

LXXII. Dicit Pallavicinus: *Deum pro terra*, hoc eſt, pecunia, vel rebus terreſtribus, *nobis ſolvere non quanti ea eſt, ſed quanti à nobis æſtimatur.* Plus ergò ſolvet illi, qui majoris æſtimat terram, quàm qui minoris; hoc eſt, plus avaro, fiduciam in pecuniis collocanti, mundo abutenti, quàm ei, qui αὐτάρκης eſt, ſorte ſua contentus, & propter Chriſtum omnia pro ſtercoribus habens, mundo præſente utitur, non abutitur. Sed prætereà, annon vera Simonia eſt, ubi intervenit *æſtimatio* pecuniæ, ceu rei terreſtris & temporalis, & ſolutio rei ſpiritualis? ubi emtio, venditio? Tametſi enim indulgentiariis *vendendi* vocabulum diſplicet, nihil tamen aliud intelligunt per *cauſas juſtas*, ſine quibus indulgentiæ nullius ſunt fructûs. De quibus cauſis vehementer inter ſe litigant. Alii enim volunt, ut indulgentiis ſint proportionales (hoc eſt, ſtylo Pallavicini, ut tantùm ſolvatur ſpirituale, quanti æſtimatur terra, ſeu temporale) alii proportionales eſſe debere negant. Prior opinio obtinet apud gregales Pallavicini Jeſuitas, qui ſtatuunt, nullius valoris eſſe, ſi magna concedatur pro parva cauſa, id eſt, uti Bellarminus & ipſe Jeſuita *de Indulg. lib. j. cap.* 12. loquitur, ſi pro ſeſtertio, vel alio parvi momenti pretio daretur indulgentia pro decem annis: niſi fortè hæc *Emulgentia* univerſo cuipiam populo data ſit, ut ex univerſa multitudine pretium pontificali dono dignum colligi queat. *Nam* (ita Joſephus Angles, ex Ordine Minorum Epiſcopus Hiſpanus

Digitized by Google

nus *Quæſt. de indulg. in 4. ſent. art. 2. diffic. 5. in concl.* loquitur) *conceditur toti Hiſpaniæ, & omnibus Regnis invictiſſimi noſtri Regis Philippi pro* INGENTI THESAURO *qui explicatione diplomatis ad expugnandos Turcas aggregatur: & cùm tantus theſaurus non poſſit ab uno offerri, hac de cauſa omnibus, qui partem illius* THESAURI SOLVERINT *conceditur. Quemadmodum eſſet ſufficiens cauſa ſi Rex centum mille ducatos Romano Pontifici offerret, ut illas indulgentias omnibus Regnis Hiſpaniæ conferret, etiamſi Rex poſteà à ſingulis civibus partem iſtius ſummæ* EXEGERIT. Id eſt, poſſe Reges magno pretio, ac merci proportionato, Bullam à Papa emere, eámque poſteà minutatim inter ementes diſtràhere. Ibi ſcilicet SOLVERE, EXIGERE, Romanâ hodiernâ linguâ ſignificat *eleemoſynas dare* non *emere*. Nos verò, quibus tam acutis eſſe datum non eſt, exiſtimamus, *dare* pro indulgentiis *ingentem theſaurum*, vel *ſummam*, & eam poſteà à ſingulis *exigere*, eſſe ἀγοράζαι ἢ πωλῆζαι *emere* & *vendere*, quod Beſtiæ characterem habentibus tribuitur Apoc. xiij. 17. Quamvis mercium harum inſtitores aliter loquantur. Qui ipſi tamen apud Auguſtinum de Ancona *Quæſt.* 30. *ad tertium* ſtatuunt, *ſolam voluntatem dandi aliquid temporale*, in paupere, qui actu dare non poteſt, non ſufficere ad indulgentiam, etſi ſufficiat ad vitam æternam. Ratio eſt, quia *indulgentiæ fiunt ad relevandam indigentiam Eccleſiæ, ſed indigentia Eccleſiæ non relevatur per ſolam voluntatem dandi, ſed per DATUM.* Sic in indulgentiarum collatione locum habet; *Do, ut des.* Unde eſt, quòd *quantum ad remiſſionem pœnæ, quæ acquiritur per indulgentiam, in tali caſu non eſt inconveniens, quòd dives ſit melioris conditionis, quàm pauper. Nec obſtat, quòd DARE eſt corporale, velle autem dare eſt ſpirituale: Ergò deberet magis dari indul-*

dulgentia pro voluntate dandi, quàm pro dato. Quia corporale, in quantum eſt pœnale & SOLUTORIUM pœnæ, vel COMMUTABILE in pœnam. Unde eſt ibi commutatio pœnæ majoris in minorem. Et ideò indulgentia, quæ eſt quædam relaxatio pœnæ, magis fit pro ipſo DATO, quàm pro voluntate dandi. Hactenus de Ancona. Hinc etiam ſequitur, pro ratione donationis majoris vel minoris intendi vel remitti indulgentias. Nam ſi *duo æquè divites largiantur, unus decem, alius viginti*, pro indulgentia quadraginta dierum, ille qui viginti largitus eſt, etſi quantum ad ex.enſionem non recipiat plures dies, *quantum ad intenſionem tamen valebunt, ac ſi duplo ſatisfeciſſet.* Ita idem, qui ſuprà, Joſephus Angles *in* 4. *Sent. q. de indulg. diff.* 6. definit. Quis nen hîc genuinam negotitaionem, mercaturam, cauponationem, qua peccata ſcilicet pecuniæ pretio redimi putantur, utraque manu palpat?

LXXIII. Sed larvam Pallavicino, aliiſque indulgentiarum Papalium hyperaſpiſtis detrahamus querelâ graviſſimâ ſtatuum Imperii Romani tum Pontificiorum, tum Proteſtantium, quam illi inter centum gravamina, tertio, quarto, quinto, ſexto, ſub rubrica *De Oneribus papalium indulgentiarum*, in ſinum Cæſareæ Majeſtatis depoſuerunt his verbis: *III. Illud importabile jam olim increbuit Romanarum indulgentiarum onus, quando (NB) ſub perſona pietatis, cùm aut Baſilicas Romanas inſtruere, aut profectionem in Turcam parare polliciti ſunt Romani Pontifices, omnem à ſimplicibus nimiúmque credulis Germanis exuxerunt pecuniarum medullam. Et, quod longè majoris eſt faciendum, per has impoſturas, ac eorum conductitios præcones & prædicatores, profligata eſt Germana Chriſtianorum pietas, dum, qui extrudere volebant venales ſuas bullas, laudes ſuis mercibus accinebant, miras & inauditas* *Statuum Imperii Gravamina adverſus indulgentiarum nundinationem.*

 condo-

condonari per emptitias has condonationes, nedum noxas præteritas aut futuras viventium, ſed & defunctorum vitâ, exiſtentium in Purgatorio (quod vocant cantores illi indulgentiarum) igni, modò numeretur aliquid, modò tinniat dextera. Atque his mercium nundinationibus ſimul & ſpoliata eſt ære Germania, & Chriſti pietas extincta: quando quilibet pro pretii, quod in has merces expenderat, modo, peccandi impunitatem ſibi pollicebatur. Hinc ſtupra, inceſtus, adulteria, perjuria, homicidia, furta, rapinæ, fœnora, ac tota malorum lerna ſemel originem ſibi traxerant. Quod enim malorum ampliùs jam horrebunt Mortales, quando ſibi peccandi licentiam ac impunitatem, nedum in vita, ſed & poſt obitum, ære licet immodico comparari poſſe à nundinationibus illis indulgentiariis, ſemel perſuaſum habent? maximè Germani, quibus per hos veræ pietatis fucos, ſub religionis perſona, nihil perſuaderi difficile eſt, ut ingenio planè ad pietatem credulo eſt Germania. IV. Et licet indulgentiæ hæ non ſemel in hoc ad Germanos miſſæ ſint, quaſi ex corraſa earum venditione, pecuniâ fideles contra barbaros eſſent tutandi, ac defendendi, eventu tamen compertum habent Germani, pecuniam hanc non in rem fidei, aut alioqui Reip. Chriſtianæ neceſſariam, ſed in propinquorum luxum, ac ſublevandam familiam ipſorum eſſe verſam, quo uno bina hæc nata ſunt perquàm maxima incommoda, quòd & offendicula ſunt nata, & quòd nunc Germani, toties ſentientes luſam fidem, cum verè jam res poſtulat, ut contra Turcas inſtituatur expeditio bellica, nullis rationibus ſe perſuaderi patiuntur, ut credant, quod res ipſa ferè notorium facit, ita ſcilicet inſtare cervicibus noſtris crudeles Turcas, ſuſpicantes ſemper, prioribus ſimile quidpiam agi. Quæ una ratio eſt, ut tam ægrè contra Turcas manus jungant. Quantorum ergò malorum, & in rebus temporalibus, ac Chriſti fidelium con-

Digitized by Google

ſcientiis, cauſa fuerint Romanæ indulgentiæ, Sanctitas Apoſtolica pro ſublimitate captûs ſui, exigua opera, vel inde, ſi non ex re ulla alia, conjectura conſequi poterint. V. Præterea Papalis ſanctitas, cæterique Epiſcopi caſus aliquos ſuæ abſolutioni reliquos fecerunt &c. (Gravamen hoc ſuprà *ſſ. xlviij.* recitavimus.) VI. *Verùm, ſi quis habeat, unde numeret, jam nedum præſentes indulgentur harum conſtitutionum tranſgreſſiones, ſed & in futurum impunè, ut eas ipſas tranſgredi liceat, indulto permittitur. Quo fit, ut anſam accipiant ii, cum quibus ita diſpenſatum eſt, pejerandi, homicidia, adulteria, & ſimilia flagitia perpetrandi, quando quilibet ex Sacerdotum vulgo abſolutionem emtitiam virtute indulti, his impartiri poteſt. Quæ malorum ſeges tota, ex habendi libidine, aurique ſacra fame, qua nunc Eccleſiaſticorum non nulli miſerè excruciantur, originem ducit.* Hactenùs Imperii Magnates, teſtes de illa ſuorum temporum indulgentiaria nundinatione omni exceptione majores, utpote qui ipſimet præſentis mali vim experti ſunt, & de quorum corio Romanæ harpyæ petulanter adeò luſerunt.

Tridentinum de indulgentiis decretum eidem finem non impoſuiſſe, ex verbis, declaratione ejuſdem, & praxi oſtenditur.

LXXIV. Querelis hiſce juſtiſſimis, & Theologorum ſubactiſſimorum Huldrici Zwinglii & Martini Lutheri παροξυσμῷ res eò perducta eſt, ut Supremus Indulgentiarius Papa diu licet, urſi adinſtar palo alligandi, reſtitans, coactus fuerit argumentum iſthoc Concilio Tridentino ſubjicere. Congregatio igitur Tridenti die 22. Nov. A. MDLXIII. inſtituta ad partes illud vocavit; ſed timidè profectò, ſuſpenſóque gradu, neque concordantibus initiò calculis. Erant, qui ſcopulum illum prætèrnavigandum, & tractationem de indulgentiis penitùs omittendam cenſerent. Alii hæreticorum, uti vocabant, metu omitti haud poſſe, pertendere. Quinquecclesienſis Epiſcopus, pudendum fore Synodo arguit, ſi argumentum adeò neceſſarium

condonari per emptitias has condonationes, nedum noxas præteritas aut futuras viventium, ſed & defunctorum vitâ, exiſtentium in Purgatorio (quod vocant cantores illi indulgentiarum) igni, modò numeretur aliquid, modò tinniat dextera. Atque his mercium nundinationibus ſimul & ſpoliata eſt ære Germania, & Chriſti pietas extincta: quando quilibet pro pretii, quod in has merces expenderat, modo, peccandi impunitatem ſibi pollicebatur. Hinc ſtupra, inceſtus, adulteria, perjuria, homicidia, furta, rapinæ, fœnora, ac tota malorum lerna ſemel originem ſibi traxerant. Quod enim malorum ampliùs jam horrebunt Mortales, quando ſibi peccandi licentiam ac impunitatem, nedum in vita, ſed & poſt obitum, ære licet immodico comparari poſſe à nundinationibus illis indulgentiariis, ſemel perſuaſum habent? maximè Germani, quibus per hos veræ pietatis fucos, ſub religionis perſona, nihil perſuaderi difficile eſt, ut ingenio planè ad pietatem credulo eſt Germania. IV. Et licet indulgentiæ hæ non ſemel in hoc ad Germanos miſſæ ſint, quaſi ex corraſa earum venditione, pecuniâ fideles contra barbaros eſſent tutandi, ac defendendi, eventu tamen compertum habent Germani, pecuniam hanc non in rem fidei, aut alioqui Reip. Chriſtianæ neceſſariam, ſed in propinquorum luxum, ac ſublevandam familiam ipſorum eſſe verſam, quo uno bina hæc nata ſunt perquàm maxima incommoda, quòd & offendicula ſunt nata, & quòd nunc Germani, toties ſentientes luſam fidem, cum verè jam res poſtulat, ut contra Turcas inſtituatur expeditio bellica, nullis rationibus ſe perſuaderi patiuntur, ut credant, quod res ipſa ferè notorium facit, ita ſcilicet inſtare cervicibus noſtris crudeles Turcas, ſuſpicantes ſemper, prioribus ſimile quidpiam agi. Quæ una ratio eſt, ut tam ægrè contra Turcas manus jungant. Quantorum ergò malorum, & in rebus temporalibus, ac Chriſti fidelium conſcien-

Digitized by Google

ſcientiis, *cauſa fuerint Romanæ indulgentiæ*, *Sanctitas Apoſtolica pro ſublimitate captûs ſui*, *exigua opera*, *vel inde*, *ſi non ex re ulla alia*, *conjectura conſequi poterint. V. Præterea Papalis ſanctitas*, *cœterique Epiſcopi caſus aliquos ſuæ abſolutioni reliquos fecerunt* &c. (Gravamen hoc ſuprà *ſſ. xlviij.* recitavimus.) VI. *Verùm*, *ſi quis habeat*, *unde numeret*, *jam nedum præſentes indulgentur harum conſtitutionum tranſgreſſiones*, *ſed & in futurum impunè*, *ut eas ipſas tranſgredi liceat*, *indulto permittitur. Quo fit*, *ut anſam accipiant ii*, *cum quibus ita diſpenſatum eſt*, *pejerandi*, *homicidia*, *adulteria*, *& ſimilia flagitia perpetrandi*, *quando quilibet ex Sacerdotum vulgo abſolutionem emtitiam virtute indulti*, *his impartiri poteſt. Quæ malorum ſeges tota*, *ex habendi libidine*, *aurique ſacra fame*, *qua nunc Eccleſiaſticorum non nulli miſerè excruciantur*, *originem ducit.* Hactenùs Imperii Magnates, teſtes de illa ſuorum temporum indulgentiaria nundinatione omni exceptione majores, utpote qui ipſimet præſentis mali vim experti ſunt, & de quorum corio Romanæ harpyæ petulanter adeò luſerunt.

Tridentinum de indulgentiis decretum eidem finem non impoſuiſſe, ex verbis, declaratione ejuſdem, & praxi oſtenditur.

LXXIV. Querelis hiſce juſtiſſimis, & Theologorum ſubactiſſimorum Huldrici Zwinglii & Martini Lutheri παροξυσμῷ res eò perducta eſt, ut Supremus Indulgentiarius Papa diu licet, urſi adinſtar palo alligandi, reſtitans, coactus fuerit argumentum iſthoc Concilio Tridentino ſubjicere. Congregatio igitur Tridenti die 22. Nov. A. MDLXIII. inſtituta ad partes illud vocavit; ſed timidè profectò, ſuſpenſóque gradu, neque concordantibus initiò calculis. Erant, qui ſcopulum illum præternavigandum, & tractationem de indulgentiis penitùs omittendam cenſerent. Alii hæreticorum, uti vocabant, metu omitti haud poſſe, pertendere. Quinqueccleſienſis Epiſcopus, pudendum fore Synodo arguit, ſi argumentum adeò neceſſarium

rium molli brachio attingeret. Itum tandem in ſententiam Epiſcopi Molinenſis, ſic Patres admonentis? *Si de indulgentiis tractationem inſtituere vellent, eum in modum, quo de Juſtificatione tractatum eſſet, cauſis omnibus conſideratis, & quæſtionibus excuſſis, rem fore longam admodùm & difficilem, multúmque temporis deſideraturam. Neque enim caput illud ſatis dilucidè explicari poſſe, niſi prius illud conſtitutum ſit, an ſint abſolutiones, an verò compenſationes & ſuffragia: & utrum pœnas tantùm à Confeſſore impoſitas remittant, an quaſcunque debitas. Itidem an theſaurus, qui fundamenti loco ſubſternitur, ex ſolis Chriſti meritis conſtet, an verò opus ſit inſuper meritis Sanctorum: an dari poſſint ſine ulla accipientis opera: an ad mortuos ſe etiam extendant: & alia non minoris difficultatis. Verùm ad hæc determinanda, Eccleſia earum concedendarum poteſtatem habere ſemperque eas conceſſiſſe; quodque valdè utiles ſint, eas digne percipientibus, tanta diſputatione opus non eſſe. Nam authoritatem eas concedendi in S. literis haberi: uſum continuatum ex traditione Apoſtolica, & Conciliorum authoritate, totiúſque materiæ dilucidam cognitionem ex concordi doctrina Scholaſticorum. Hiſce de rebus condi poſſe decretum, nullis difficultatibus obnoxium.* Hæc ſententia, narrante ſic S. Polano *Hiſt. C. T. lib. viij. p. 722.* magno coronæ aſſenſu accepta eſt, confectumque decretum his verbis *Seſſ. xxv.* conceptum: *Cùm poteſtas conferendi indulgentias à Chriſto Eccleſiæ conceſſa ſit, atque hujuſmodi poteſtate Divinitùs ſibi tradita, antiquiſſimis etiam temporibus illa uſa fuerit; SS. Synodus Indulgentiaram uſum, Chriſtiano populo maximè ſalutarem, & S. Conciliorum authoritate probatum, in Eccleſia retinendum eſſe docet; & præcipit, eóſque anathemate damnat, qui aut inutiles eſſe aſſerunt; vel eas concedendi poteſtatem in Eccleſia eſſe negant. In his*

tamen

tamen concedendis, moderationem, juxta veterem probatámque in Eccleſia conſuetudinem, adhiberi cupit, ne nimia facilitate Eccleſiaſtica diſciplina enervetur. Abuſus verò qui in his irrepſerunt, & quorum occaſione inſigne hoc indulgentiarum nomen ab hæreticis blaſphematur, emendatos & correctos cupiens, præſenti decreto generaliter ſtatuit, pravos quæſtus omnes pro his conſequendis, unde plurima in Chriſtiano populo abuſuum cauſa fluxit, omninò abolendos eſſe. Cæteros verò, qui ex ſuperſtitione, ignorantia, irreverentia, aut aliundè quomodocunque provenerunt, cùm ob multiplices locorum & Provinciarum, apud quos hi committuntur, corruptelas, commodè nequeant ſpecialiter prohiberi, mandat omnibus Epiſcopis, ut diligenter quiſque hujuſmodi abuſus Eccleſiæ ſuæ colligat, eóſque in prima Provinciali Synodo referat, ut aliorum quoque Epiſcoporum ſententia cogniti, ſtatim ad Summum Romanum Pontificem referantur, cujus authoritate & prudentia, quod univerſali Eccleſiæ expedit, ſtatuatur, ut ita ſanctarum indulgentiarum munus piè, ſanctè & incorruptè omnibus fidelibus diſpenſetur. Sic omiſſo ſagaciore ſcrutinio, arbitrio Papæ, qui ipſe, ceu Summus in Eccleſia indulgentiarum Fœnerator & Inſtitor, & à quo Simoniam committi non poſſe, ejus paraſiti pertendunt, acri cenſura feriendus fuerat, Venerandi Patres, egregii ſcilicet Eccleſiæ Reformatores, totum iſthoc indulgentiarum thema ſubjiciunt, & *pravos quæſtus omnes abolendos eſſe* ſtatuunt. Nam quæſtus certè hactenùs à Papa exercitos *pravos* non reputàrunt. Proin nec ſimiles à ſequentibus Pontificibus exercendi in *pravorum quæſtuum* cenſum referri poterunt. Conſtat ergò ſatis nihil omninò à Concilio immutatum, & *quæſtum* indulgentiarum non abolitum, ſed hoc unum definitum eſſe, quæſtum licet ex indulgentiis factum, *pravum* tamen quæſtum non eſſe, ſi probante

Papa exerceatur. Quod ergò pretium pro indulgentiis dandum poſthàc erat? *Eleemoſynæ & charitatis ſubſidia*, definiente eadem Synodo *Seſſ. xxj. cap.* 9. quæ colligendi facultatem ordinariis, *nulla prorsùs accepta mercede* dedit; *ut tandem*, inquiunt Patres, *hos Eccleſiæ theſauros non ad quæſtum, ſed ad pietatem exerceri, omnes verò intelligant.* Tandem ergò intelligere debemus, quod nemo hactenùs intelligere potuit. En *πανουργίας* Babylonicæ meretricio nominum fuco imponentis ſpecimen inſigne! Non caſtiùs ſed cautiùs fortè deinceps mercati ſunt. Unde de quæſtoribus indulgentiarum querelas in Gallia Synodi Rhotomagenſis A. MDLXXXI. Aquenſis A. MDLXXXV. & Turonenſis A. MDLXXXIII. graves, à Bochello *Decret. Eccl. Gall. lib. ij.* conſignatas, moverunt.

LXXV. Et ſanè quæſtuarias indulgentias denuò Pius V. conceſſit, atque earundem revocatio paulatim variis limitationibus, quas venter ingenii, uti vulgò ajunt, largitor dictavit, eluſa eſt. Ita enim Auguſtinus Barboſa *Collect. in Concil. Trid. pag.* 151. de privilegiis mendicantium: *Privilegia*, inquit, *mendicantium, non prohibeantur petere eleemoſynas, per hoc decretum Concilii non ſunt abrogata, quia in eo tantùm abolentur quæſtores, qui prædicant, vel publicant indulgentias conceſſas his, qui manus adjutrices porrexerint piis locis, pro quibus petunt elleemoſynam: non verò in mendicantibus pro ſui ſuſtentatione* QUÆSTUANTIBUS, *juxta quoddam decretum Pii V. revocantis ſimiles indulgentiarias quæſtuarias porrigentibus manus adjutrices piis locis.* Sed & Cardinales ad Seſſ. XXI. cap. 9. declarârunt, *per decreti illius* (quo *loco citato*, non aliis, quàm ordinariis facultas datur publicandi indulgentias &c.) *poſteriorem partem non poſſe ordinarios prohibere, quò minùs Religioſi indulgentias, ſibi olim à Summo Pontifice conceſſas publi-*

publicent, nullo etiam verbo cum eis facto: at indulgentias, inquiunt, *ſibi ipſis denuò conceſſas abſque ordinarii licentia publicare non poſſunt*. Idem qui ſuprà Barboſa *Remiſſ. ad loc. cit.* Qeroldum inducit, aſſerentem, quòd in ſacra Cardinalium congregatione decrſum ſit; *dari poſſe licentiam petendi eleemoſynas* (hoc eſt, pecunias, aliáque pro indulgentiis) *cum his circumſtantiis. 1. ut ſint perſonæ bonæ exiſtimationis. 2. ne ſint participes eleemoſynarum. 3. ne habeant ullo modo nomen quæſtoris. 4. Nullas indulgentias divulgent, nec concionentur. 5. Ne ſua privilegia, aut ſacras reliquias circumferant. 6. Ne imprecationibus aut minis eleemoſynas exprimant, aut extorqueant, nec campanas, aliáque inſtrumenta deferant. 7. Ne quicquam debitum aut uſitatum petant. 8. Ne ullo artificio commemorandæ orationis alicujus Sancti, aut aliò perverſo more utantur. 9 Sed ſimpliciter ac modeſtè eleemoſynas petant, eáſque in pii loci utilitatem tranſportent.* Hæc præteritam nundinationem vivis coloribus depingunt, & quæſtuariæ ſubſtantiam non abolent. Et Hieronymus Rodericus *Compend. quæſt. regul. reſol.* 59. ſcribit; *pro ordine Sanctiſſimæ Trinitatis redemptionis captivorum extare duas conceſſiones, Benedicti XII. quibus conceditur quæſtus eleemoſynarum dicto ordini pro redemtione captivorum.* Et plures indulgentias etiam poſt Concilium à Pio IV. Clemente VIII. Clemente X. probatas modernum Papam Innocentium XI. inducere coactum eſſe, *Hiſt. Pap. ſ.* 323. oſtendimus. Atque id bono animo factum nos interpretabamur. Qui verò Papales artes penitiùs pernôrunt, aſſeverant, modernum Papam, Mercatorem maximum, veteres indulgentias aboleviſſe, ut novis conceſſis, majorem quæſtum faceret. Sic hydræ capite uno reſecto, alia æquè nocentia ſubnaſcuntur. Et quàm ſegniter quæſtui huic ſuo dulciſſimo Hierarchici renunciârint, vel

ſolæ quæſtiones Caſuiſticæ, quas circa indulgentias Jeſuitæ, & inter eos Diana Panormitanus *Tom. j. Tract.* 11. *de Bulla cruciatæ*, nec non, *Tom. ÿ. Tract.* 12. *de Indulg. & Jubilæo*, maximè movent, cognoſcere eſt.

Sciopii clamoribus, quòd indulgentias Papa hodiè nullas vendat, occurritur.

LXXVI. Clamet proin boëtque, quantum voluerit, fœdus Alaſtor Sciopius in Apologetico ſuo Hunnio oppoſito Cap. 11. *mendacium craſſum eſſe indulgentias pro pecunia vendi à Pontifice.* Nihil clamor, nihil boatus ille proficit. Si hodiè Papa poſt detectas, & in apricum productas pudendas fraudes, detractámque perſonam non aperto foro ampliùs eas vendere audet, an nec olim vendidiſſe aperto foro, verè meretricia fronte, conſequitur? Sed ipſe ſe ſorex ſuo indicio prodidit. Nam capite proximè ſuperiore ipſemet duo dixerat. *Primò, expeditiones cauſarum* (quas inter ſunt quoque indulgentiæ ex operibus ſupererogationis collectæ) *à Pontifice quidem ſine pecunia impetrari poſſe, literas verò ſive bullas indulgentiales non niſi ſolutâ pecuniâ dari. Secundò, literas illas indulgentiarias eſſe neceſſarias, ſi velis pacem conſcientiæ afferre. Certò enim conſtare debere, quòd Papa diſpenſaverit.* Indulgentiæ ergò abſque bullis indulgentialibus pacem conſcientiæ afferre non poſſunt, adeóque nihil proſunt. Sed indulgentiales illæ bullæ non dantur abſque pecunia. Ergò indulgentiæ ex operibus ſupererogationis, collectæ ut pacem conſcientiæ afferre poſſint, pecuniâ redimendæ ſunt. Idem Sciopius *cap.* 9. ſcribit, *diſpenſationem ſeu beneficium, ſeu quidvis denique* (adeòque etiam indulgentias) *ſub ſcripto à Pontifice non concedi, niſi æſtimatio cancellariæ ſoluta ſit.* Quin ex Bellarmino etiam probat, *à Papa indulgentias petentibus pecunias & eleemoſynas* JUBERI, INJUNGI & IMPERARI. Egregias eleemoſynas, quæ jubentur, injunguntur, imperantur! Capti ſunt Sophiſtæ. Rem ſolvant.

LXXVII.

LXXVII. Sed miſſis tandem obſoletis & rancidis illis indulgentiarum mercibus, ordo nos ad Sacramentum *Ordinis* provehit. De eo Sacramento fictitio, ejuſque abuſibus cùm agere Tridentini inſtituiſſent, Veronenſis Epiſcopus, Papæ Nuntius, ingenuè profeſſus eſt, ***ubique eſſe abuſum aliquem, qui emendationem poſtulet, ſed in hoc Sacramento eſſe abuſuum Oceanum***; uti S. Polanus *Hiſt. C. T. lib. iv. p.* 327. prodidit. Oceanum hunc cùm emetiri inſtituti noſtri cancelli prohibeant, litora ſaltem legere conabimur.

Tranſitur ad Sacramentum Ordinis, in quo abuſuum Oceanum Veronenſis Epiſcopus notavit.

LXXVIII. Cùm in Chriſtianæ religionis cunabulis abundaret charitas, populus Chriſtianus, qui à Chriſti miniſtris ſpiritualia occipiebat, non modò iiſdem τὰ βιωτικὰ, ſeu ad victum & amictum neceſſaria, juxta ipſius Chriſti præceptum à S. Paulo 1 Cor. IX. I. &c. explicatum, ſuppeditavit alacriter, ſed etiam copioſè adeò ex facultatibus ſuis in medium contulit, ut etiam pauperibus inde proſpici poſſet. Neque tamen ullius mentem cogitatio ea ſubivit, quòd temporale illud quod dabatur, pretium ſit doni ſpiritualis. Suſtentationem deberi iis, qui Eccleſiæ miniſterio unicè vacantes, alia ratione victum & amictum ſibi acquirere non poterant, piè rectéque judicârunt. Poſtquam verò temporale, quod in communi aſſervabatur, in partes dividi, & reditus certus, appellatione *Beneficii*, titulis applicari cœpit, cùm hucuſque non eſſet diſtincta ordinatio à collatione tituli, ac proin etiam beneficii titulo annexi, ſed unà darentur, acciperentúrque, tum demùm placuit Ordinatoribus propter emolumenta, Ordinatis ex Ordinatione proventura, præter ſpirituale etiam temporale aliquod dari, cujus intuitu in remunerationem temporale quid ſumi poſſit. Is ergò qui beneficii compos fieri voluit, voluntati conferentis beneficium morem ultrò geſſit. Inde inceſſit aperta negotiatio, quæ

Origo & progreſſus nundinationis circa collationem ipſam Ordinum.

in orientali Eccleſia nullis ferè canonibus ac cenſuris emendari unquam potuit, utcunque præpotens Dei manus, emolumentorum magna parte à Saracenis intercepta, non parùm eandem inhibuerit, & imminuerit. In occidentali Eccleſia, bonis nequicquam indignantibus & intercedentibus, eodem negotio alibi minùs, alibi magis obtinuit ad annum uſque ſalutis milleſimum, quo diſtinctione Ordinationem inter & beneficii collationem introducta, ordinatio quidem gratis dari ad tempus aliquod conſuevit. Sed non diu liberalitas illa duravit, Epiſcopi enim ſpreta ordinatione, tanquam abjecta & infructoſa, ad ſolam beneficii collationem, ex qua emolumentum perceperunt, & temporalia attenti, ordinationum adminiſtrationem Titularibus Epiſcopis, qui Eccleſiaſtica ſua munera obirent demandârunt. Hi verò, quòd reditus nullos poſſiderent, neceſſe habebant à functionibus, quas obibant, victum parare: iique viciſſim, quos ad ordines admittebant, ordinantibus aliquid conferre tenebantur, primùm eleemoſynæ ſive *oblationis* nomine, poſt, honoratiore titulo, *donationis*, ac demùm, ne cùm debitum eſſet, omitteretur, *mercedis*, non quæ Epiſcopo ordinanti, ſed famulis ejus, aut tabellioni, aut aliis inter ordinandum miniſtrantibus cederet.

De ea in Concilio Tridentino exorta diſceptatio cum finem habuit, ut ex decreto ejuſdem tum præterita circa eandem nundinatio ſolidè convincatur,

LXXIX. Hæc res in Concilio Tridentino in controverſiam adducta eſt, Patribus in partes ſciſſis. Alii enim illud, quod hactenùs uſu receptum erat, ceu ſacrilegum ac Simoniacum damnârunt meritò, citatis eam in rem Gehazi, Prophetæ Eliæ famuli, & Simonis Magi exemplis, nec non rigido Chriſti præcepto: *Gratis accepiſtis, gratis date;* multiſque S. Patrum contra peccatum illud teſtimoniis. Sanè etiam Æneas Sylvius, poſteà Papa, Pius II. dictus, *Epiſt*. 66. ad Johannem Peregatum queſtus eſt; *ipſam impoſitionem manuum & dona Spiritus S. vendi pecuniis.*

cuniis. Et Eraſmum eadem de re quiritantem ſuprà vidimus. Addebant Epiſcopi illi, nomina *donationis* & *eleemoſynæ* ſpecioſa quidem eſſe, ſed inanes tantùm obtentùs, quibus effectus repugnet. Propter ordinem enim acceptum dari, abſque quo nihil daretur. Si eleemoſynæ nomine darentur, cur non alia occaſione, aut alio tempore? Ordines verò nulla omninò re interveniente conferendos eſſe. Quinimò Epiſcopum contumeliam interpretaturum, ſi quis profiteatur eleemoſynæ nomine ſe quidquam ei conferre. Concludebant illi, abſoluto decreto ſtatuendum eſſe, ne quicquam ordinanti vel ejus miniſtris, etiam ultrò, ſeu eleemoſynæ nomine detur. Contra Epiſcopi titulo tenus tales & tenuiores nitebantur. Sicut enim, inquiebant illi, ſacrilegus cenſeatur meritò, qui ordines vendiderit: ita, qui eleemoſynam à Chriſto tantoperè commendatam ſuſtulerit, charitatem eum evertere, & Eccleſiam deformare. Eandem rationem in ordinibus militare, quæ in confeſſionibus, communionibus, Miſſis, Sepulturis aliiſque functionibus eccleſiaſticis obtinet. In his ſi ultrò dari aliquid & accipi poteſt, cur non etiam in illis? A quingentis jam annis conſtare, quòd divites miniſteria Eccleſiæ non obeant. Si ergò pauperioribus nihil accipere liceat, brevi miniſterium Eccleſiæ interiturum. Si reprehenſione vacat, propter pallia, à Papa Metropolitanis data, etiam millia aliquot aureorum dependere, cur Epiſcopis vitio verti, ſi ab iis, qui ordine inferiores ſunt, grati animi teſtificationem acceperint? Etiam in Pontificali proditum eſſe, in ordinationibus, cùm in peragenda re Divina ad oblationes venitur, cereos, nempe res Seculares, Epiſcopo ordinanti ab ordinato afferri: quibus tamen vel quantitas, vel apparatus, pretium & æſtimationem poſſit addere. *Non ergò,* inquiebant illi, *adeò odioſum eſt, quòd in miſellis Epiſcopis*

tum in futurum parùm Simoniæ illi præcautum eſſe, colligatur.

pis reprehenditur: neque meretur, ut cum ejus or dini infamia, alii laudem ſibi reformatorum arrogent, veriùs Phariſæorum imitatores, dum feſtucas obſervant, ipſi culicem excolantes. Addebant alii ab Innocentio III. in Concilio generali non ſolùm probari conſuetudinem dandi & accipiendi quidpiam pro adminiſtratione Sacramentorum, ſed præcipi etiam Epiſcopis, ut cenſuris & pœnis Eccleſiaſticis adigant ad eam laudabilem (ſic enim vocari) *conſuetudinem* obſervandam. Opponebat ſe illis Dionyſius Græcus, Epiſcopus Milopotamenſis, pertendens, Eccleſiæ planè honorificum & conducibile futurum, ſi Sacramenta mero charitatis ſtudio miniſtrarentur. Suſtentationi Epiſcoporum & Sacerdotum abundè proviſum eſſe aſſignatis decimis. Clerum enim, etſi decimam partem populi non conſtituat, tam grandem portionem accipere, ac præter alia bona, quæ duplo plura poſſidet. Quòd ſi contendant, pauperes eſſe Epiſcopos, id non arguere Eccleſiæ egeſtatem, ſed opes ejuſdem non æquis portionibus diviſas. Juſta enim & legitima inſtituta diſtributione, fore, unde omnibus abundè ſufficiat, ſic ut operam ſuam liberè communicare debeant abſque alio hoſtimento, quàm eo, quod ultrà debitum jam acceperint. Addebat, reformationem extendi ad ea etiam debere, quæ ordinationem antecedunt. Abſurdum enim eſſe, ut Clericus licentiam procurandi ſibi ordinatoris poſtulans, literas dimiſſoriales à Cancellariis Epiſcopatuum magno licitetur, aut facultatem ſui extra præſcriptum tempus ordinandi Romæ magno pretio comparet: horum verò reformatione neglecta de ſolis Epiſcopis ordinatoribus emendandis cura ſuſcipiatur. Hactenùs conflictus ille partium in Concilio colluctantium, quem S. Polanus *Hiſt. C.T. lib. vj. p.* 446. 447. 448. narrat.

LXXX. Decretum verò *Seſſ. xxj. de Reformat.*

cap.

cap. j. hæc in verba factum eſt: *Quoniam ab Eccleſiaſtico ordine omnis avaritiæ ſuſpicio abeſſe debet; nihil pro collatione quorumcunque ordinum, etiam clericalis tonſuræ, nec pro literis dimiſſoriis aut teſtimonialibus, nec pro ſigillo, nec alia quacunque de cauſa, etiam ſponte oblatum, Epiſcopi & alii ordinum collatores, aut eorum miniſtri quovis prætextu accipiant. Notarii verò in iis tantùm locis, in quibus non viget laudabilis conſuetudo nihil accipiendi, pro ſingulis literis dimiſſoriis, aut teſtimonialibus decimam tantùm unius aurei partem accipere poſſint &c. Contrarias taxas, ac ſtatuta & conſuetudines, etiam immemorabiles quorumcunque locorum, quæ potiùs abuſus & corruptelæ, Simoniacæ pravitati faventes, nuncupari poſſunt, penitùs caſſando & interdicendo, & qui ſecus fecerint, tam dantes, quàm accipientes, ultrà Divinam ultionem, pœnas in jure inflictas ipſo facto incurrant.* Ex hoc decreto Papatus ad Tridentinum uſque Concilium avaritiæ & Simoniacæ pravitatis reus nullo negotio peragitur. In eo enim *avaritiæ & Simoniacæ pravitatis* notâ inuruntur, quotquot non gratis, ſed pretio, etiam ſponte oblato ordinant, vel pro literis dimiſſoriis, teſtimonialibus, ſigillo vel alia quacunque cauſa aliquid accipiunt. Caſſantur quoque & interdicuntur *taxæ ſtatuta, conſuetudines etiam immemorabiles, quorumcunque locorum, quæ potiùs abuſus & corruptelæ Simoniacæ pravitati faventes nuncupari poſſint.* Erant ergò eò uſque *taxæ*, erant *ſtatuta* (nam ſuprà ipſum Pontificale, & Innocentii III. in Concilio Lateranenſi conſtitutionem ab Epiſcopis illis, qui ordinationes pro pretio propugnabant, allegatam vidimus) erant *conſuetudines immemorabiles Simoniacæ pravitati faventes*, ipſomet Concilio indice, à quo ſic candidè detectus eſt Simoniacæ pravitatis Spiritum S. & ejuſdem dona nundinantis, ſacer morbus,

qui hactenùs Eccleſiæ Pontificiæ corpus integrum, Papalibus etiam ſtatutis confirmatus, corripuerat. Sed an in futurum ſatis Simoniæ circa ordinationes Concilium cavit? Haud equidem ita viſum in ipſo Concilio eſt Alberto Duimio, Epiſcopo Veglenſi, apertè profeſſo, ſe decretum illud habere pro imperfecto, niſi unà ſtatuatur, Romæ quoque abſtinendum à pecuniis exigendis propter diſpenſationes, ſine ordinum indebito tempore, ætate immatura abſque venia & examine Ordinarii ſumendorum; ſive irregularitatum, aliorúmque impedimentorum Canonicorum: quandoquidem in his ingentes ſumtus fieri ſoleant. Sic Romanos, Epiſcopis pauperibus eleemoſynam, quæ iis ordinantibus dari conſueverit, ſubducentes, *rutam decimare, aurum verò & argentum ſuffurari.* Cùmque talia Romæ determinanda eſſe Legati regererent, Veglenſis reſpondit, ſe, cùm carniſprivii ultimo tempore Romæ eſſet, de eadem re in ædibus Cardinalis Peruſini multis Cardinalibus & Præſulibus Romanis coram conqueſtum, reſponſum tuliſſe, in Concilio hæc eſſe proponenda. Nunc cùm videat contra fieri, & à Synodo ad Pontificem ſe rejici, decreviſſe ſe perpes ſilentium, & emendationis curam Deo relinquere.

Major longè in collatione beneficiorum à collatione Ordinum ſeparata, Simonia in Papatu graſſatur, quæ verbis Eſpencæi & M. A. de Dominis generaliter perſtringitur.

LXXXI. Fuit Simonia in collatione Ordinum. Sed longè major, fœdior, & incurabilis illa eſt, quæ in *collatione beneficiorum*, à collatione Ordinum ſeparata, impunè graſſatur, *exigua ſpe abuſus tollendi* (inquit S. Polanus *loc. cit. pag.* 446.) quoad Chriſtus ipſe alia vice nummulariorum menſas evertat, & flagello nundinatores iſtos è templo ejiciat. Claudius Eſpencæus *in Epiſt. ad Tit. cap. j.* paucis verbis multas Simoniæ illius ſpecies comprehendit: *Jam, inquit, ut omittam Annatas, quocunque colore & prætextu emungantur, in Baſileenſi Concilio Seſſ.* 21. *de Simonia damnatas, qua ſubtilitate ab αἰχρο-*

κερδίᾳ

κερδίᾳ excuſari poſſunt, quæ vocantur Exſpectativæ gratiæ, reſervationes in pectore, beneficiorum primo currenti collationes, plurium curionatuum ad unum ſacellum, vel canonicatum, aut ſimplex alioqui beneficium, unio, ſeu unitio, ne ſcilicet obſtet pluralitas, mandata, præventiones, popinæ, minuta, ſeu communia ſervitia, regreſſus omnium fructuum, penſionis loco retentiones; & infinita id genus, primùm quidem Eccleſiæ tandiu inaudita, nec à redivivis Petro & Paulo intelligenda. Eadem ratione M.A. de Dominis probè peritus Romanarum nundinationum, *de Rep. Eccl. lib. ix.* 9: 48. artes, quibus Romæ Eccleſiaſtica pecunia ex tota penè Chriſti Eccleſia emungitur, exugitur, hauritur, abſorbetur, *innumerabiles* eſſe ait. *Huc ſpectant*, inquit, *Bullæ, annatæ, propriæ decimæ, quindennia, compoſitiones, diſpenſationes, abſolutiones, indulgentiarum perpetuæ conceſſiones; vocationum implicati modi, reſignationes, permutationes, ſubrogationes, acceſſus, regreſſus, coadjutoriæ, commiſſiones extra tempora, ſi inevidentem ſignificavit gratiæ, Privilegia, licentiæ, aliáque innumerabilia mihi etiam ignota.* Nos ex innumerabilibus illis, quibus Papa, beneficia Eccleſiaſtica & Sacerdotalia cauponatur, rationibus paucas, ſpeciminis ergò, depromemus.

LXXXII. Baſis nundinationis hujus Papalis eſt, quòd Pontifex non Epiſcopatuum modò, ſed etiam quorumcúnque beneficiorum Eccleſiaſticorum, in quacunque Chriſtiana Diœceſi exiſtentium, pro ſuæ voluntatis arbitrio ſupremam ſibi collaturam & Dominium, invitis etiam & renitentibus Epiſcopis, arrogat. De ejus ſuprà Epiſcopatûs Epiſcopos ὑπεροχῇ, actum à nobis ſuprà eſt. De poteſtate in beneficia eorundem, paucis etiam heic agamus. Primus omnium Clemens III. ſeu IV. apertè pronuntiavit, Romanos Pontifices de jure eſſe plenarios

Baſis nundinationis illius eſt, quòd Papa ſe ſupremum beneficiorum Dominum profitetur.

omnium beneficiorum eccleſiaſticorum collatores. Verba ejus: *licet de præb. & dignit. in* 6. ſunt: *Licet Eccleſiarum, perſonatuum, dignitatum, aliorúmque beneficiorum eccleſiaſticorum plenaria diſpoſitio ad Romanum noſcatur Pontificem pertinere, ita quòd non ſolùm ipſa cùm vacant, poteſt de jure conferre, verùm etiam jus in ipſis tribuere vacaturis: collationem tamen*, &c. Secuti Bonifacius VIII. *c. ſi Papa de Priv. in* 6. & Clemens V. *Clement. Si duobus. Ut tit. pend.* eandem ſibi poteſtatem diſertis verbis vendicant. Quam poteſtatem non Divino, ſed Canonico jure iis competere, Gerſon *lib. de vit. ſpirit. lect.* 3. ait: cùm tamen canones his Pontificibus vetuſtiores ſolos Epiſcopos quoſque in ſua diœceſi veros & legitimos beneficiorum collatores faciant. Monſtrum ergò hoc primi duo illi Clementes & Bonifacius VIII. pepererunt, & poteſtatem, quam iis nec Chriſtus, nec Apoſtoli, nec Eccleſia unquam tradidit, non pretio abſtulerunt, ſed vi rapuerunt.

Controverſia ab eodem Imperatoribus de inveſtituris mota.

LXXXIII. Nihil dicam de gravi controverſia illa, quam Gregorius VII. aliique Pontifices Principibus moverunt circa inveſtituras, quas, Eccleſiâ bonis temporalibus, imò etiam Regalibus, juriſdictionibus & feudis ſecularibus ditatâ, peculiares quaſdam ſibi meritò reſervârunt; quas tamen ad ſola temporalia illi extenderunt, nunquam ſacri miniſterii ipſius collationem tentantes vel ambientes, contenti ad ſummum conſenſu in electum, & approbatione ejuſdem. Vera enim & propria beneficii eccleſiaſtici collatio eſt, cùm quis ad ſacrum miniſterium applicatur, cui neceſſaria vitæ ſubſidia conſequenter ex bonis Eccleſiæ decernuntur, quam Principes non affectârunt. Sed Papæ poſt Gregorium VII. ab omni prorsùs cura temporalium etiam, & in Regalio jure Vaſallagii Principes amovere, eaque diris modis ſpoliare conati ſunt,

ſunt, ut ſe ſupremos & abſolutos rerum temporalium Dominos efficerent; aſperſa repugnantibus Simoniacæ labis hæreſi, quâ ipſimet toti incocti erant, quia ſpiritualium prætextu rerum merè temporalium dominium impiè affectârunt.

Nundinatio Papalis beneficiorum per Expectativas.

LXXXIV. Accidit etiam, ut certis occaſionibus clerici à ſuis, in quibus primùm ordinati erant eccleſiis, vel recedentes vel expulſi, Romanam Eccleſiam, tanquam toto Orbe celeberrimam, adirent, & ejus interceſſione vel Epiſcopis propriis reconciliarentur. Quibus facilè Pontifices annuerunt. Ita Gregorius M. *lib.iij. Ind.* 12. *ep.*14. Felicem quendam Diaconum Epiſcopo Syracuſano: alii alios commendàrunt. Commendationi mox juncta ſunt imperia: Demùm præceptum & imperium merum & ordinarium de providendo in vacaturis: quæ fuerunt *gratiæ Exſpectativarum*, per quas Papa, aliique, munera nondum vacantia exſpectanda, quibus placuit, etiam infantibus & pueris in longa arundine equitantibus, non tamen ſine interveniente pretio, aſſignârunt. Quæ infamis Curiæ Romanæ mercatura erat, quando, uti Cardinalis Cuſanus *de Concord. Cath. lib. ij.* 40. queritur, *propter eas omnis ſudor parentum per filios ad Curiam deferebatur*. Neque tamen ſic Pontifices ſe geſſerunt collatores, ſed precatores, non tamen ſine præcepto. Namque

Eſt rogitare Papæ ſpecies violenta jubentis.

Collatores manebant ordinarii, ſed non ſine præjudicio & gravamine, donec à precibus, commendationibus, præceptis ad vim apertam deventum eſt, datis executoribus, qui ordinarios repugnantes cogerent, vel ipſi conferrent. Maximas deinceps Exſpectativæ gratiæ in Eccleſia turbas dederunt, adeò ut Concilium Baſileenſe *Seſſ.* 31. neceſſe habuerit ſtatuere, *ut Pontifex eas deinceps gratias Exſpectativas, aut Nominationes, nullo modo, nullave*

ex cauſa concedat, cùm ipſe præ cæteris, ne ſit occaſio tantorum Eccleſiæ malorum, abſtinere debeat. Hoc decretum Pragmatica in Gallia ſanctio confirmavit, totiúſque Eccleſiæ clamor tandem effecit, ut in Concilio Tridentino *Seſſ. xxiv. cap.* 19. Exſpectativæ è medio tollerentur. Ceſsârunt ſic gratiæ Exſpectativæ, ſed nomine tenus. Nam earum locum ſubiverunt *Coadjutoriæ* ſine cauſa cum futura ſucceſſione, quæ ipſiſſimæ Exſpectativæ ſunt.

per Reſervationes beneficiorum vacantium,

LXXXV. Affines Exſpectativis ſunt *Reſervationes* beneficiorum vacantium, quæ unà cum illis, uti Gomeſius *Tract. de Grat. Expect. n.* 7. ſcribit, *cæperunt in Palatio Romano audiri, & earum materia foveri, quod expertum ſit, habere illam in ſe lac, lanam, pelles, & carnes, id eſt, abundantiam temporalem, & ubi cauſidici Romani perceperunt plus lucri ex illa quæri, quàm ex qualibet alia, ſtudium longè majus in ea poſuerunt addiſcenda, quàm in materia de pœnitentia & ſimilibus.* Primus Innocentius III. nepotem quendam ſubdiaconi cujuſpiam ſui apud ſedem Apoſtolicam defuncti, de patrui ſui præbenda in Eccleſia Cremonenſi, facta libera collatione, providit. Inde Clemens III. aliàs IV. præmiſſa declaratione ſupremæ ſuæ in beneficia poteſtatis, prætextúque uſus, quòd ſedis Apoſtolicæ ſit *providere*, ne ullis Eccleſiis idonei Paſtores deſint, primam beneficiorum generalem reſervationem fecit, qua, uti *C. licet Eccleſiarum de præb. & dign. in* 6. *habetur*, decrevit, *ut beneficia omnia in Curia vacantia, ad liberam Papæ collationem pertinerent.* Quam reſervationem poſt Bonifacius VIII. innovavit, & extra Curiam ad loca propinqua extendit: Johannes XXII. ampliavit, & ad omnia beneficia, quæ vacarent ex pluralitate non omiſſa, extendit, & fructus ſede vacante collectos Cameræ Apoſtolicæ conſecravit. Benedictus XII. omnibus curialium

curialium beneficiis Sedi Apoſtolicæ reſervatis, probavit, donec regulæ Cancellariæ 1. 2. 3-8. tantas reſervationes fecerunt, ut præter indigitatas illas generales ad collationem Papæ paulatim reductæ ſint *Cathedrales omnes, ac Monaſteria, & omnia beneficia Cardinalium & eorum familiarium, collectorum, & ſubcollectorum, cubiculariorum, curſorum, ac generaliſſimè, quæcunque alia beneficia ubique terrarum octo anni menſibus vacant, vel ex gratia conceſſa alternatio Epiſcopis, ut ad ſummum ſex certis menſibus vacantia ab ipſis conferantur, ſi ipſi ſint illorum locorum ordinarii collatores & reſideant.* Prætereà, quæcunque conferuntur ab ordinariis, non ſervatâ formâ Concilii Tridentini ad ſedem trahuntur Apoſtolicam, ut ab eo conferantur. Pius etiam IV. reſervavit omnia beneficia vacantia ex collatione Simoniaca: Pius V. omnia beneficia propter crimen hæreſeos vacantia: Gregorius XIII. beneficia quæ dantur perſonis propter genus, vel ſuſpicionem hæreſis, prohibitis. Sicut autem Exſpectativas, ita etiam Reſervationes Concilium Baſileenſe *Seſſ.* 23. & 31. compeſcere ſtuduit, ſtatuens *Reſervationes etiam particulares, quæcunque fuerint beneficiorum vacaturorum, tam per Romanos Pontifices, quàm per Legatos Sedis Apoſtolicæ, de cætero nullæ ſint ipſo facto.* Indulget tamen Pontifici, ut unum beneficium reſervare poſſit, ubi decem ſunt; & duo, ubi ſunt quinquaginta. Baſileenſe Concilium ſecuta Eccleſia Gallicana, habito conventu generali Bituricenſi, Clero & populo omni conſentiente, ipſóque Rege ſubſcribente, Pragmatica Sanctione A. MCCCCXXXVIII. confirmata, Reſervationes, ex quibus à Regno Galliæ ingens pecuniæ vis quotannis Romam defluxit, ſuſtulit, fruſtrà Pio II. Sixto IV. & Julio IV. annitentibus, ut ſanctio illa aboleatur; donec Leo X. opportunitatem nactus cum Franciſco I. *Concordata* inivit, qui-

quibus magna licet Sanctionis illius parte mutata, Exſpectativæ tamen & Reſervationes generales, tribus illis exceptis, quæ ſunt in corpore juris, uti ſtatuta Baſileenſia præceperant, & Pragmatica ſanctio continebat, in Regno eo ſublatæ ſunt. Quod verò ſic Regno Galliæ conceſſit, cur reliquis Eccleſiis, quas captivas adhuc retinet, non æquè concedat, ipſe viderit, inprimis cùm concordato illo haud obſcurè fateri coactus ſit, collationem beneficiorum ad ſe jure non pertinere. Aliàs enim haud dubiè jus ſibi integrum mordicùs, facto licet conceſſo, retinuiſſet.

per introductas beneficiorum Pluralitates,

LXXXVI. Tot reſervationibus contra omne jus Divinum & humanum uſurpatis non contenta Romana Curia, *Pluralitates* etiam & *Uniones* beneficiorum introduxit. Satis equidem, ut paulò altiùs rem repetamus, conſtat, initio Eccleſiæ bona Eccleſiaſtica ſpectâſſe ad omnes, & ex communi maſſa ſumtum, quantum ad victum & amictum pauperum ac miniſtrorum Eccleſiæ ſufficeret. Dein unica illa maſſa in quatuor partes diſtributa eſt, quarum infima pauperibus ceſſit. Quæ maſſæ unius ſeparatio, diſſectio, appropriatio, & beneficiorum inſtitutio ſeculo inprimis duodecimo cum maxima diſciplinæ Eccleſiaſticæ relaxatione, obtinuit. Mox excluſo ab Eccleſia populo, & ſolo clero illud ſibi nomen vendicante, & uſusfructus, & dominium ceſſit in paucos, quod priùs erat omnium, & quæ priùs à cura ſpirituali miniſteria vocabantur, & ſecularia inprimis ſpectare, & beneficia nominari cœperunt. Vigentibus tamen adhuc antiquis canonibus, quibus non licebat unum in duos titulos ordinari, nemo unus niſi unicum beneficium obtinere poterat. Attritis deinceps per varias bellorum calamitates bonis eccleſiaſticis, ut ad miniſtrorum victum ægrè ſufficerent, factum eſt, ut beneficium conferretur in eum, qui jam aliud obtinebat, dummodò utrique Eccleſiæ ſatis proſpiceret, neceſſitate

urgen-

Digitized by Google

urgente, idque non tam in gratiam Miniſtri, quàm Eccleſiæ, Miniſtro proprio deſtitutæ. Hoc deinceps colore itum eſt ad plura beneficia, etiam non poſtulante neceſſitate uni conferendo, tandémque poſitâ pedetentim larvâ, puditum non eſt in gratiam Miniſtri, ſeu Sacerdotis facere, quod antè fiebat bono Eccleſiæ, adhibita tamen ad fucum populo faciendum, tum diſtinctione inter beneficia *incompatibilia*, quæ reſidentiam poſtulabant, & *compatibilia*, quæ eam non poſtulabant, quæ & ſeorſim, & ſimul cum aliis retineri poterant: tum gloſſa illa Canoniſtarum, *plura uni beneficia deferenda non eſſe, niſi quando unum Miniſtro alendo non ſufficit*. Quantum autem ſatis eſſet uni, longo pede metiri ſoliti, non perſonam, ſed qualitatem perſonæ, conſanguineorum familiam, equos, famulos, ſtatum &c. reſpexerunt. Neque credibile eſt, quàm larga manu Epiſcopo portionem ſuam aſſignârint Pontifices, ut dignitatem & pompam ſuam ſatis tueri poſſent. Cardinalibus verò, quos Regibus Curia Romana æquiparat, nullus apparatus aut reditus nimius videbatur, niſi qui Regium ſuperaret. Conſuetudine, quæ tyrannus eſt, ſic invaleſcente, Pontifices Romani ſibi ſolis reſervârunt poteſtatem diſpenſandi de bonis incompatibilibus, & cœteris etiam, ut plura duobus beneficiis, unus obtinere poſſet. Cùmque nimiùm abuſus illi in Eccleſia jam graſſarentur, Pontifices, Innocentius III. in Concilio Lateranenſi, Gregorius X. Bonifacius VIII. Clemens V. Johannes XXII. ipſúmque Concilium Tridentinum *Seſſ. vij. cap. 4. & xxiv. cap. 17.* eos coërcuerunt; ſed verborum potiùs forma, quàm vi ulla. Omnes enim prohibitiones hæ per Romanas diſpenſationes, & repagulum clauſulæ illius, *Non obſtantibus*, quas Tridentini Patres, Præſulibus nonnullis adnitentibus licet, abolere non potuerunt, nec non per reſtri-

ctiones ipſis Præſulibus relictas eluſæ, irritæque redditæ ſunt.

de quarum abominatione graviſſimè Gerſon & Duarenus queſti ſunt,

LXXXVII. Operæ pretium fuerit de hac per pluralitatem, vel nundinationem beneficiorum, in Eccleſiam introducta ἀταξίᾳ & abominatione, querelas Gerſonis & Franciſci Duareni audire. Et Gerſon quidem *tract. de defect. num.* 49. ſic ſcribit: *Iterum ad quid expedit, aut quid utilitatis Eccleſiæ confert, tam magnifica Principum gloria, & tam ſuperba Prælatorum & Cardinalium pompa, ut quaſi ſe homines eſſe neſcire faciant? Et quæ utique abominatio, quòd unus tenet ducenta, alter trecenta beneficia Eccleſiaſtica? Nonne inde cultus Divinus diminuitur, Eccleſiæ depauperantur, valentibus Viris & Doctoribus privantur, fidelibus mala exempla dantur?* Et poſt *num.* 51. *Quid eſt*, inquit, *quòd hodiè unus, utinam mediocriter doctus, tenet quatuor, quinque, ſex vel octo beneficia Eccleſiaſtica, quorum uno non eſt dignus, quibus octo ſuſtentari poſſent, doctrinis, orationibus, & Divinis laudibus inſiſtentes? Attendite, an potiùs hodiè equi, canes, aves, & ſuperflua Eccleſiaſticorum familia patrimonium Eccleſiæ comedere debeant, quàm pauperes Chriſti? & quàm ad Divini cultus ampliationem, & pro infidelium converſione, aut in hujuſmodi pietatis operibus, modis congruis expendendum ſit?* In ſermone coram Alexandro III. habito idem Gerſon ſic exclamavit: *Videas alios novem ordinibus non contentos, non enim novenis beneficiis ſaturantur, tandiu novos hiatus pandere, quandiu vivunt; conjungere domum ad domum, agrum agro copulare, quaſi in medio terræ ſoli habitarent; ipſum verò Propheticum.* (Eſai. IV. 5.) *pro fabula contemnere. Videmus ferè omnes ſummis importunitatibus in leges irruere, dum nunc petunt gratiam obtinendorum ſimul incompatibilium,*

nunc

nunc in abſentia poſſe fructus colligere, nunc ante omnes dignitate conſequi, nunc ad ſacros ordines non compelli, & mille alia rectis legibus vetita. Franciſcus Duarenus *de S. Miniſt. Eccl. & Benef. lib. viij.* 4. ſic abuſum eundem deteſtatur: *In gratiam perſonarum magis quàm Eccleſiæ beneficia coacervare, quamvis & genere & doctrina alios antecellant, peſſimi res exempli, & antiquis canonibus omninò contraria eſt. Itaque gratiam horum canonum à ſolo Pontifice Romano, cujus voluntas pro ratione habetur, fieri poſſe, de mul. de Præb. & dign. conſtitutum eſt. Atque ita Canones prima ſpecie pugnantes invicem conciliari poſſe videntur, quamvis alii aliter nodum diſſolvant &c. Hinc fit, ut captatores beneficiorum Romam certatim curſitent; prætextu literaturæ, aut nobilitatis, veniam à Pontifice impetraturi (quæ nemini, quamlibet indigno nebuloni, modò is numeret, denegari conſuevit.) Qua ex re tanta Eccleſiæ deformatio exorta eſt, &, propè dixerim, πανωλεθρία, ut nulla vis humani ingenii ad eam dignitatem exprimendam ſufficiat. Prodigioſa ſanè res eſt in Eccleſia hæc beneficiorum cumulatio, quæ ſine delectu paſſim recipitur: nec minùs mihi monſtroſi videntur, qui tot perſonas in Eccleſia ſuſtinent, quàm Briareus ille, qui centum manus habuit, ut eſt in fabulis; aut Gerſon, quem trium fuiſſe corporum perhibent.*

LXXXVIII. Ad pluralitatem hanc beneficiorum palliandam via facta eſt *Commendis*, novo Babylonicarum technarum generi. Olim quidem bello, peſtilentia, aut alia cauſa ſic per regionem aliquam graſſante, ut in Miniſtri vitâ functi locum alius ſtatim eligi non poſſet, is, penes quem regimen erat Eccleſiaſticæ adminiſtrationis, vacantem Eccleſiam homini idoneo commendabat, ut præter Eccleſiæ propriæ curam vacantem etiam adminiſtraret, donec de proprio ei miniſtro proſpiceretur. Qui ta- *per Commendas,*

men non aliam in Eccleſiæ facultates poteſtatem exercebant, quàm ut eas ritè gubernaret & conſervaret. Procedente tempore commendatarii neceſſitatem vel honeſtatem prætexentes, fructus occupârunt, utque diutiùs iis fruerentur, varia impedimenta, quominùs Eccleſiæ aliter proſpiceretur, objectârunt. Cui malo ut iretur obviam, ſancitum eſt, ne commoda ultrà ſex menſes durarent. Pontificibus verò viſum ex plenitudine poteſtatis, multò longiori tempore ejuſmodi Eccleſias commendare; tandémque eò deventum, ut commendatio ad finem uſque vitæ duraret, & ut præter impenſas neceſſarias emolumentis omnibus utendi, fruendi, facultas eſſet. Sic, quod neceſſitas & uſus introduxit, cùm à prima inſtitutione degeneraſſet, corruptis temporibus ad pluralitatem prohibitam honeſto aliquo velamine obtegendam adhibitum eſt; cùm ei, qui beneficio fruebatur, aliud beneficium, aut plura etiam commendarentur, ſervato tenore legis, ne uni perſonæ, niſi unicum beneficium conferretur, ſed legis mente neglecta, cùm commendatarius ad vitam uſque ab eo, qui cum titulo poſſidebat, ſolo nomine, non re differret. Et in immenſo illo beneficiorum commendatorum numero adeò fœdè turpitérque ab officii tramite exorbitatum eſt, ut A. MDXXXV. ipſo Reformationis tempore, Clemens VII. non erubuerit Hippolyto Medicæo Cardinali, Nepoti ſuo, omnia per totum orbem beneficia Regularia & Secularia, dignitates & rectoratus, ſimplicia & curata vacantia, commendare ſpatio ſex menſium, ab eo die, quo in poſſeſſionem eorum mittendus eſſet, computandorum, cum plena poteſtate de fructibus omnium arbitratu ſuo diſponendi, eóſque in uſum ſuum liberrimè convertendi. De eo iterum Franciſcum Duarenum audiamus, ſic de *S. Eccl. Min. & Benefic. lib. v.* 8. quiritantem: *Nam quibus per Canones non*

licet

licet præfici Eccleſiis aut Monaſteriis, moribus comparatum eſt, ut eiſdem Eccleſiæ vel Monaſteria in perpetuum, & quandiu vivunt, commendentur. Atque ita concipitur formula hujus commendationis in diplomatibus Pontificiis, ut libera non ſolùm diſpenſatio rerum, ſed etiam conſumtio atque diſſipatio ipſis permiſſa intelligatur. Et ſanè mirum eſt, homines ingenioſos, qui fucum hunc commenti ſunt, tantæ corruptelæ non alium colorem quæſiviſſe, ne tam apertè deſpici canones, & palàm ludibrio haberi viderentur: quaſi verò conſilium eorum non cuivis notum, perſpectúmque ſit, qui hac arte & impoſtura corruptelam omnium, quæ unquam in Eccleſiam irrepſerunt, maximam tueri & adumbrare conantur, qui verbis decoris obvolvunt vitium. Hæc ille.

LXXXIX. Eidem beneficiorum pluralitati, fuco quodam tegendæ, inventa earundem *Unio* eſt. Hæc quoque antiquitùs bono fine uſurpata eſt, uti quidem ex Concilio Toletano XVI. 10. *q.* 3. *cap. Unio* liquet, ubi decretum eſt, *ut Eccleſia, quæ uſque ad decem mancipia habuerit, ſuprà ſe ſacerdotem habeat: quæ verò minùs decem, alii conjungantur Eccleſiæ.* Inprimis ejus uſus tum erat, quando Eccleſia aliqua vel everſa, vel obventionibus ſuis privata, quod erat reliquum, ad vicinum beneficium unà cum onere transferebatur, ut ex duobus unicum conflaretur. Cœterùm, Curialium induſtriâ factum eſt, ut ceſſante ejuſmodi neceſſitate, plura in unum beneficia conjungerentur; cujus collatione pluralitas tegi poterat, ſi fortè in gratiam Cardinalis, aut viri cujuſpiam illuſtris triginta vel quadraginta beneficia, etiam in diverſis orbis Chtiſtiani locis ſita unirentur. Quia tamen incommodum, & Curiæ ac Cancellariæ ipſi noxium viſum eſt, ſic beneficia imminui, & uni factam gratiam cum multis ſuccedentibus gratiam illam nec meritis, nec poſcen-

per Unionē beneficiorum,

ſcentibus, communicari; huic malo obviam itum eſt ſubtili & arguta ſolertia uniendi in unum corpus, quot beneficia Papæ æquum videretur; idque durante ſolummodò ejus, in quem conferebatur, vita; cujus obitu Unio illa ipſo facto ſoluta, & beneficia in priſtinum ſtatum reſtituta intelligerentur. Hac inventionum via, argutiis Simoniacis aditus patefactus eſt, collato in ſpeciem unico beneficio, ſed quod reapſe plura, & quandoque innumera ſecum traheret, *quo, quicunque gauderet*, verba S. Polani *Hiſt. C. T. lib. ij. p.* 225. refero, *poterat ad eundem modum peccata ſua confiteri, quo is, qui ſacerdoti faſſus, ſe furto abſtuliſſe frænum equi, reticuit interim, fræno huic alligatum fuiſſe caballum.*

per Permutationes, Devolutiones eorundem, Penſiones, quarum fœditatem ipſi quandoque Canoniſta deteſtantur.

XC. Taceo *Permutationes beneficiorum*, quas omnes Ordinariis ſurreptas, Romana Curia ad ſe pertraxit, nec non *Devolutiones* collationis beneficiorum. Veluti ſi conferatur beneficium nondum legitimam ætatem habenti, ſi indigno, ſi electio, vel collatio ultrà tres, vel in minoribus beneficiis ultrà ſex menſes differatur. His enim caſibus *devolvitur* collatio ad ſuperiorem, & tandem ad Papam. Taceo denique *Penſiones* maximas, quas Papa vel Epiſcopi Cardinalibus, Curialibus, amicis, propinquis, abſque ullo merito, miniſterio, onere, ſive ſpirituali ſive temporali, ſolo favore erga perſonam, & prætextu falſo meritorum, quæ nulla ſunt, vel inopiæ, vel infirmæ valetudinis largiuntur. Quas quidem iniquiſſimas eſſe, ipſimet Canoniſtæ, aliàs pronuntiantes, *quòd Papa, cùm ſit D. Dominus omnium beneficiorum, aſſignare poſſit penſiones, cuicunque placuerit, etiam ſine cauſa*, fateri quandoque cogantur. Gygas enim, aliique apud eum Datores *de Penſ. q.* 96. aſſerunt, *earum artem eſſe contra regularem juris diſpoſitionem, cùm ex illis detur ſciſſio in beneficiis. Nihil etenim*, inquiunt, *eſt penſio aliud, quàm certa portio*

tio ex beneficio ſeparata ad tempus; & *imponere penſionem beneficio, eſt illi ſervitutem injungere*: & *penſio eſt plaga fœtida ex percuſſione nervi eccleſiaſticæ diſciplinæ ſimilitudinariè inflicta.* Et: *Penſionis inflictio eſt odioſa, quia eſt contra charitatem. Nam qui non ſervit altari, non debet de altari vivere.* Et ſub titulo privilegiorum penſionis numerat Paulus de Roma ibidem abſurda turpiſſima. *Primum* eſt, inquit, *quòd penſio eſt beneficium ſine obligatione Eccleſiaſtici Ordinis. Secundò, quòd in penſione gratia in debitum reputatur, contra illud Pauli; quia nimirum Papa & Cardinales hujuſmodi penſionibus ſuis Curialibus ſervitutis ſibi præſtitæ ſtipendia debita ſolvunt, & mercedes, & miſer beneficiarius, quod ex gratia & eleemoſyna ſolvere ſolet, cogitur ex debito ſolvere. Tertiò, quia Penſionarius fructus beneficii ſine labore manducat, contra ſententiam Apoſtoli. Quartò, quia Penſionarius frangit juſtitiæ æqualitatem. Honores etenim & commoda dividi debent ſecundùm qualitates laborum. Quintò, quia penſio eſt præmium ſine opere, quia qui non ſervit altari, inde vivere non debet, nec præmium conſequi; & Bovi trituranti os alligatur. Sextò, quòd penſio ſit ſeges ſine vomere & aratro, & meſſis ſine ſemine, quia Penſionarius metit, ubi non ſeminavit. Septimò, quia penſio eſt merces ſine cuſtodia, ad quam Paſtor de jure tenetur. Octavò, quia eſt beneficium, ſine onere, & eſt medulla tritici, & adeps frumenti, butyrum de armento, lac de ovibus, meraciſſimus ſanguis, mel de petra, oleum de ſaxo duriſſimo, videlicet de Patrimonio Chriſti.* Hæc illi, ſimul flantes, veritatem vel invito pectore propalantes; ſimul ſorbentes, vomitum ſcilicet illum ſuum, quo Papæ, ceu ſupremo omnium beneficiorum Domino, liberóque collatori, aſſentati priùs fuerant.

XCI. Quem-

Simoniacarum harum technarum ſucceſſus demonſtratur tum in Cardinalium ,

XCI. Quemadmodùm verò Simoniacæ hæ *Reſervationum , pluralitatem beneficiorum , commendarum , proviſionum , unionum , penſionum &c.* technæ Hierarchicis, Papæ inprimis ad extollendum in immenſum Cardinalium ſuorum ſtatum, amplificandámque Miniſtrorum, Clientum, Nepotum fortunam, denique locupletandum ærarium ſucceſſerint, longo equidem ſermone exponere poſſemus. Dicemus pauca, primò de Cardinalibus. Illi primò meri Eccleſiæ Romanæ Diaconi, paulatim eò ſurrexerunt, ut ex iis ſex eſſent Epiſcopi, reliqui Presbyteri aut Diaconi, pro arbitrio Papæ nunc plures, nunc pauciores. Ad annum tamen uſque milleſimum ducenteſimum plerunque Eccleſiis ſuis aderant, & munus ſuum locúmque retinuerant, & quamdiu veteres canones viguerunt, *quòd unicus homo non niſi uno ſacerdotio potiri poſſit*, nemo ſimul Cardinalis Presbyter urbis Romæ, ſimul Epiſcopus alterius Eccleſiæ eſſe poterat. Sed conculcato à Pontifice Imperatore, & ſede ſua maximum in terris faſtigium evecta, Cardinalium ſimul ab eo exaltatam eſſe mirificè Majeſtatem, ſuprà, & in Hiſtoria Papatûs oſtendimus. Id tamen fieri, niſi Simoniacis ſtratagematis non poterat. Ampliſſimos ergò Diœceſium & Provinciarum maximarum Præſules delegit, Eboracenſem puta, & Cantuarienſem, Angliæ; Rhemenſem, & Rhodum, Galliæ; Toletanum, Hiſpaniæ; Lisbonenſem, Portugalliæ; Mediolanenſem, Ravennatem, Venetum, Italiæ; Moguntinum, Trevirenſem, Colonienſem, Germaniæ; Pragenſem, Bohemiæ; Cracovienſem, Poloniæ; Strigonienſem, Hungariæ; itemque cœteros eximos per univerſam Chriſtianam Rempublicam Antiſtites; qui ipſi Presbyteri Cardinales, Cardinaléſque Diaconi fieri poſſent. Neque ità eos ſolebat inſtituere, ut Epiſcopatu ſuo cederent, quò alii in eorum loca ſubrogati, munere illo defungerentur, & ipſi curæ

Car-

Cardinalis Presbyterii & Diaconatûs Romæ invigilarent, ſed ut dignitatem ſuam meliùs tuerentur, & Papatum corroborarent, permiſit, ut utroque, tum Epiſcopatu, tum Cardinalitio honore potirentur. Ubi ne canonem ſuprà citatum infringere videretur Papa, decrevit, ut Epiſcopatu fruentes licet, non appellarentur *Epiſcopi*, ſed Epiſcopus; ſi Cardinalis Diaconus eligeretur, *electus Epiſcopus*, ſi Cardinalis Presbyter, *Adminiſtrator perpetuus ſui Epiſcopatûs* diceretur. Quomodo Thomas Wolſeus, Archiepiſcopus Eboracenſis, Cardinalis Presbyter urbis Romanæ creatus, non ampliùs Archiepiſcopus, ſed *Cardinalis Wolſeus, Presbyter tituli S. Ceciliæ, & perpetuus Adminiſtrator Archiepiſcopatûs Eboracenſis*: & Æneas Sylvius, Senenſis Epiſcopus, ordinatus Cardinalis Diaconus, non ampliùs Epiſcopus, ſed *Cardinalis Sylvius, Diaconus S. Euſtachii, & electus Epiſcopus Senenſis*, dici debuerunt. Quanquam pudore non nihil adhuc vetante, parciùs perfugio eo uſi ſunt ad Clementis V. tempora uſque. Is enim aditu jam patefacto audaciùs progreſſus eſt, cúmque ſeculi Pontifices, qui in Gallia, ut ille priùs, commorati ſunt, & ſedem Romanam Avinione collocabant, in morem & exemplum hoc perduxerunt, adeò ut nullus deinceps ferè Cardinalis crearetur, quin Epiſcopatum vel in *titulum*, vel in *commendam*, vel in *perpetuam adminiſtrationem* haberet. His artibus multas illi Eccleſias orbârunt Epiſcopis, ut Romanam Eccleſiam, verbo tenus, Presbyteris & Diaconis, re autem vera Romanam Curiam opulentis & potentibus Cardinalibus ornarent. Cœterùm, cùm in hanc ſe ſalebram Pontifices conjeciſſent, ut ſic neceſſe haberent *providere*, ne Eccleſiis idonei Paſtores deſint, reſervârunt beneficia Eccleſiaſtica, quoties & quæ demumcunque vellent, eaque rapta conferendi poteſtate, invaſerunt, ut his etiam Cardina-

dinalium ſuorum dignitatem tutarentur. Sic planè Clemens V. novis creatis Cardinalibus, ſibi beneficia Angliæ vacantia, & proximè vacatura, Epiſcopatibus tantùm & Abbatiis exceptis, *reſervavit*, ad duorum millium marcarum ſummam, iiſque *providebat*, ut duobus Cardinalibus paſtoribus ſuis fruerentur. Id verò cùm impediret Eduardus III. proviſionibus ejuſmodi, quæ alienis diſtributæ ſunt, Eccleſiam ſimul & Remp. exhauriri ſentiens, Clemens apud Walſingam *Hiſt. Angl. in Eduardo III.* reſcripſit, *æquum eſſe, ut creatis nuper à ſe Eccleſiæ Romanæ Cardinalibus, ipſis ille ſecundùm ſtatûs ſui decentiam provideret; & hoc præſtitiſſe ſe quidem in elargiendis beneficiis aut vacantibus, aut vacaturis, in Anglia uſque ad certam ſummam, duobus ex Cardinalibus, reliquis verò in aliis Regnis & partibus Chriſtianitatis, in quibus omnibus conſimilem gratiam novis Cardinalibus fecerit, nec in iis ullam rebellionem, præter iſtam Angliæ, audierit.* Duodecim tum Cardinales Clemens legerat, ex quibus duos beneficiis duobus millibus marcarum valentibus (valor hodiè tribus partibus auctior,) mactavit; adeò ut duo illi probabili conjectura centum beneficiis locupletari potuerint, priuſquam annuam ſuam duarum millium marcarum penſionem aſſequerentur. Sicut autem duobus illis, ita cæteris quoque aliundè Papa providit. Ad proportionem ergò hanc ſi univerſam multitudinem, ſi dimidiam, ſi quartam partem Cardinalium revocemus, quos Clemens ejuſque ſucceſſores inde ab annis plus trecentis creârunt, ſubductis rationibus, in myriadas numerus parœciarum illarum creſcet, quas illi deſertas, tanquam greges Paſtoribus orbatos, reliquerunt, ut Carnalium modò ſuorum ſtatum nitidum ſatis unctúmque redderent. Vix tamen hæc pars eſt abominandæ illius deſolationis, quam in locis ſanctis illi repoſuerunt. Quaſi enim tot Ec-

Digitized by Google

cleſiarum commoda tenuiora eſſent, quàm ut Presbyteris & Diaconis Romanæ Curiæ ſufficerent, à beneficiorum pluralitate ad Epiſcopatuum pluralitatem perrexerunt, & commendandi nomine, duos, uti Onuphrius *de Epiſcopalibus titulis & Diaconis* ſcribit, uni Cardinali Epiſcopatus commiſerunt, etiam tres, quandoque quatuor, quinque, ſex. Sic Guicciardino *Hiſt. Ital. lib. vj.* memorante, Cardinalis Hippolitus, ille ſcilicet, qui fratrem ſuum Julium, ambobus erutis luminibus excœcavit, eò quòd puella quam adamabat, in eum magis, quàm in ſe amorem inclinâſſet, cùm eſſet Diaconus S. Luciæ Romæ, & Archipresbyter S. Petri, Epiſcopatum Mediolanenſem, & Ferrarienſem ſimul poſſedit. Ex ſex iſtis Archiepiſcopatibus tres, Mediolanenſis, Capuanus, & Strigonienſis ſinguli à ſe aliquot centenis milliaribus diſſiti: tres reliqui viciniores ſibi adjacent. Si ergò Pontifices ſex diœceſes Provinciáſque tantis locorum intervallis disjunctas acceperunt, eáſque Epiſcopis & Archiepiſcopis orbârunt, ut unius Cardinalis Diaconi pompam eveherent, ad quam eos vaſtitatem & ſolitudinem diœceſes & provincias propinquiores, quæ commodiùs conjungi poterant, ipſas adduxiſſe putabimus, ut reliquos, eóſque majoris dignitatis, puta Cardinales Presbyteros & Epiſcopos amplificarent?

XCII. Cœterùm, Pontificum tribunal alii etiam canes lambebant, affines, nepotes, officiarii, famuli, clientuli, vaſalli, aſſeclæ, omníſque Caterva Curiæ, qui non ex micis à Cardinalium menſis cadentibus alebantur, ſed ipſi quoque & videri, & genialiter vivere geſtiebant, quorum tanta multitudo fuit, quanta locuſtarum illarum, quæ totius Ægypti terræ ſuperficiem operuerunt. Atque hi etiam Paſtores Eccleſiarum, non qui eas paſcerent, ſed qui degluberent; facti ſunt iiſdem artibus Papalium *reſervationum*,

tum in Curia Romana miniſtrorum, & Papa adulatorum ac clientum exaltatione, in Anglia maximè;

num, commendarum, proviſionum, unionum, aliiſque ejuſmodi Ægyptiacis præſtigiis. Documentum ejus rei tradit Matthæus Paris *in Henrico III.* Angliæ Rege, quo regnante, Pontifex unico mandato ſuo emiſſo, Epiſcopo Cantuarienſi, Licolnienſi & Sariſburienſi præcepit, ut *trecentis Romanis* in primis beneficiis vacantibus providerent, omni beneficiorum collatione iis interdicta, donec trecentis illis *competenter* proviſum fuerit. Quinimò à Romanorum & Italorum, qui in Eccleſiaſticas Angliæ poſſeſſiones invecti ſunt, Gregorio IX. & Innocentio IV. maximè Pontificibus, adeò paucorum annorum ſpatio aucta eſt multitudo, ut cùm eorum omnium per univerſam Angliam juſſu Regis rationes collectæ eſſent, ſumma redituum eorum inventa ſit quotannis *ſexaginta millia marcarum;* quam ſummam reditus annuus totius Regni Angliæ non attingebat. Quam rerum perturbationem, cùm magnoperè Rex averſaretur, nec tamen ei metu Papæ reſiſtere auderent, Magnates & Populares Regni miſſà ad Innocentium IV. & Synodum Generalem Lugdunenſem Epiſtolà, poſt querelam *de infinito Italicorum numero, qui ditabantur in Anglia gregibus, qui neque paſcebant, neque cognoſcebant, neque curabant oves, ſed fructus tantùm percipiebant, extra Regnum aſportantes: de annuis reditibus Italorum in Anglia, qui ſummam ſexaginta millium marcarum, & ampliùs confecerunt, aliis perceptionibus diverſis exceptis, quas metebant, ubi ſementem non percipiebant: de ſpe illa, quam de gravaminum iſtorum remedio aliquo poſt Innocentii creationem conceperunt, cùm jam tamen opprimantur multis modis à Legato Pontificis, qui majore poteſtate, quàm unquam habuit Legatus, nuper Angliam ingreſſus, excedens excedit; quædam beneficia jam vacantia, triginta marcas, vel ampliùs annuatim valentia perſonis Italicis confert; quædam decedentibus prioribus,*

aliis

aliis Italicis ſuppoſitis concedit; quædam cùm ea vacare contigerit, Italicis nititur aſſignare; immoderatas inſuper à viris religioſis penſiones extorquet; & contradicentes & reſiſtentes excommunicationis & interdicti ſententiis paſſim ſupponit; poſt hanc inquam, querelam, Papæ ſupplicant humiliter, *ut ad filios ſuos manum miſericordiæ vellet extendere, & eos ab illis oneribus gravaminum & oppreſſionum, quæ tum Deo, tum hominibus erant deteſtabiles, relevare.* Nuntii, per quos Epiſtola mittebatur, illam præſente Pontifice, generali Synodo obtulerunt, queſti ſimul oretenus de adjectione quadam Papalibus bullis inſerta, quæ dicta eſt *(Non obſtante) cujus,* inquiebant illi, *vi omnes ille leges & inſtituta Eccleſiæ perrupit, ut his conatibus ſuis prodeſſet.* Quicquid enim ſcripto Bullæ videbatur officere, id amovere ſolitus eſt iſtâ ſuâ machinâ: *(Non obſtante)* Ita Synodus Lateranenſis ſub Alexandro III. decrevit, *ut non niſi uno beneficio unus potiatur, neque quiſquam ullum poſſideret, niſi qui per ſe ipſum curam ejus valeat exercere.* Emittit contra Bullas ſuas Pontifex, velut apud eundem Paris in Henrico III. A. 1231. ut quinque Romanis, nato Rumfredi, & nato talis, & talis, in ſingulis Eccleſiis proviſum ſit, unicuique eorum in reditu centum librarum, *Non obſtante* lege. Dolebat non parùm Innocentio Papæ, quòd querela iſthac Angli tanta παῤῥησία Papatum ad vivum reſecarent. Optima tamen pollicitus, varia Anglis ex Synodo illa privilegia remiſit, *ut Patroni beneficiorum Eccleſiæ deinceps liberè deſignarent, & Epiſcopi reciperent perſonas idoneas, quæ velint & poſſint in beneficiis utiliter deſervire: ut Cameræ ſuæ clericus* (Legatus is erat) *non niſi duodecim pluribus, ſine Patronorum conſenſu provideret; ſi Angli ſtudioſos, honeſtos & gratos ſe exhibere vellent* (præſertim Nobilium & Magnatum filii) *ſe paratum eſſe*

proviſionis Eccleſiaſticæ dexteram liberaliter aperire, ac etiam cum illis, quos velut nobiliores eſſe noverit, ſuper beneficiorum pluralitate honorificè diſpenſare; denique ne Italicus Italico immediatè ſuccederet, quod impetratum eſt propter fraudes eorum, qui mortuo beneficiato alium properè & furtim ſubſtituebant. Et his quidem liberaliter promiſſis, Anglis ora ſublinenda putavit. Nam poſt diſceſſum Synodi, Papa ad ſolitas artes ſuas rediit, & (verba ſunt Paris ad A. 1246.) *Omnia hæc & alia per hoc repagulum (Non obſtante) infirmavit.* Imò graviora velut ex facili tolerantibus impoſuit, lateréſque, indurati Pharaonis inſtar, multiplicavit, adeò ut cùm ſex aut ſeptem poſt annos rursùs inquiri cœptum eſſet in lateres, ab Anglicis Iſraëlitis Italico Pharaoni fabricatos, ſumma redituum illorum, quæ priùs ſexaginta millia marcarum confecerat, ad plus quàm ſeptuaginta millia marcarum aſcenderet.

Germania de Curtiſanis, Romanis nebulonibus quiritante,

XCIII. Quòd ſi importuna hujus abominandæ nundinationis libido in una illa natione tam prodigioſa extitit, quàm tandem fuiſſe in univerſis totius reliquæ Chriſtianæ ditionis cenſebimus? Certò etiam Germani in Gravaminibus ſuis ſæpiùs citatis, graviſſimas eandem in rem querelas conſignârunt. Paucas adducere haud pigebit. Sub rubrica, *Quo pacto ſub prætextu familiaritatis Papalis curiæ multorum beneficiorum per Curtiſanos impugnetur collatio &c.* Sic *Grav. xvij. & xviij.* queruntur: *Nec minùs & illud ſuetum hucuſque fuit, ut quorundam magni penſi beneficiorum, ſub nomine officialium vel familiarium Papæ & Curiæ Papalis, per idiotas, & alioqui inhabiles perſonas ſit impugnata collatio: ac per illos conatum tentatúmque, ſi quomodo fieri poſſet, ut beneficia hæc in commendas ſeu proviſiones (ita enim ipſi vocant,) verterentur, ac cenſibus annuis obnoxia reddere queant:*

hinc

hinc prætendentes regreſſus, reſervationes, penſiones, ac plura alia incompatibilia ſibi in his competere. Quibus technis ac dolis malis beneficia illa penitùs exuguntur, enervantur, attenuantúrque, cùm perpetuò Romanæ Curiæ penſionibus annuis ſerviunt; ſitque ut Germanorum, utcunque habilium, nemo unquam ad hæc aſpirare poſſit.

XVIII. Item obviam veniunt & tum Germanis non ferenda à Curtiſanis onera. Ita enim per Germaniam ſubtili ingenio beneficia venantur, ut conentur viris presbyteris, ætate & integritate vitæ ſpectabilibus, qui beneficia ſua, abſque omni controverſia, juſto titulo & bona fide multos jam annos quietè poſſederant, in longæva poſſeſſione negotium facère, poſſeſſionem interturbare, ad Romanam Curiam perſonaliter ut compareant in jus vocare, ac mille aliis artibus, ita eos adigere, ut transactiones quantumvis iniquas, inire neceſſum habeant, modò ſupremos hos annos quietè agere velint. Coguntur enim hoc, quo dictum eſt, modo, à Curtiſanis ad penſiones annuas, reſervata & id genus alias præſtationes. Atque hoc agunt Curtiſani nebulones, non propria authoritate, ſed Romanorum ſuorum ſtatutorum ac regularum, quas vocant, Cancellariæ. Quæ conſtitutiones omnes quotidiè pro libidine Curtiſanorum figuntur ac refiguntur, cùm derogatur prioribus non admodùm, ut videbatur, æquis, & ferunt iniquiores. Quare nedum ſenio confectis beneficiorum poſſeſſoribus, harum decipularum utque fraudum rudibus, ſed & beneficiorum collatoribus imponunt, mille inſtructi dolis Curtiſani. Nam etſi poſſidens beneficium presbyter cum Curtiſano litigatore fictitio non tranſigat, tamen ita litem ſibi facit præſtigiator ille Curtiſanus, ut ſi pendente efficta hac controverſia, moriatur beneficii litigioſi poſſeſſor, quòd dehinc continuò litem faciens, neglecto collatoris ordinario jure, in poſſeſſionem ejus beneficii

ficii mittatur. XIX. Item quæcunque dignitates ſeu beneficia pinguia, utpote Præpoſituræ, Decanatus, Cantoratus, ac cœtera officia, Canonicatus Eccleſiæ curatæ, & beneficia ſimplicia, quæ ſub menſe ordinario extra mœnia Romana vacare incipiant, quorum antehac ad jus ordinarium patronatûs Eccleſiaſticorum & laicorum ſpectabat collatio & electio, tunc excogitatur à Romana ſede juris patronatûs ab ordinariis collatoribus abalienatio, maximè ſi poſſeſſores priſtini beneficiorum aut officiorum, dignitatumve talium familiares vel officiales Papæ aut Cardinalium fuerint. Paulò poſt, ſub rubrica *de Eccleſiaſticis beneficiis, curatis, & non curatis in genere, Grav. xxj.* ſic quiritari Germaniæ ſtatus Pontificii etiam, pergunt: *Nec minùs & illud in Romana Curia hucuſque obſervatum eſt, ut gratiæ & reſervationes pectorales, mentales, generales & ſpeciales regreſſus, acceſſus, incorporationes, uniones & concordata, uti ſuis vocant excogitatis nominibus, ob pecuniæ & privati lucri amorem ſuper beneficiis ac prælaturis, præſertim per Germaniam Curtiſanis à ſede Romana concederentur. Neque hoc contentus fuit habendi ſceleratus amor, quin & ea ipſa beneficia ac prælaturæ prædictæ, ſocietatibus mercatorum potentum ære cum onere cenſûs mediocris, ſed ita, ut dehinc latiùs venderentur, conceduntur. Qua ſubtili practica atque techna factum eſt, quòd plurima, aut certè pinguium beneficiorum magna, ſi non maxima portio ex Germanorum manu Romam eſt tranſlata: quæ beneficia hinc idiotis inidoneis, ac inhoneſtis etiam perſonis non raro ſunt collata: & quidem nec Germanis, ſed barbaris, qui Germanam linguam nec loquantur, neque intelligant: ut inauditum dictu hoc inde ſit conſecutum, quòd ovibus Chriſti præfecti ſunt Paſtores, quorum etſi vocem oves fortè audierint, non intelligant. Verùm gravius etiam*

inde

inde oritur Germanis onus, quòd cùm beneficia hæc & Parochiales Eccleſias ipſi propria perſona neque poſſidere, neque gubernare poſſunt (quod tamen Paſtoris officium inprimis ſibi poſtulabat,) nimirum ut ſubditis parochialibus & integritate ac innocentiâ morum egregium de ſe præberent Exemplum, ut oves ſuas tanquam oves Chriſti, doctrinâ ſolidâ, ſincerâ paſcerent, eorum neutrum per paſtores illos ſubdititios curatur. Primùm enim ipſi, qui beneficia hæc Eccleſiaſtica à mercatoribus quo prædictum eſt, aſſequuntur modo, quia propria perſona ad poſſidenda ea ſunt minùs idonei: ideò hæc eadem aliis æquè, aut longè etiam, quàm ſint, ad onus hoc inhabilioribus pro annuo cenſu locant, non ſecùs atque cenſus ac reditus annui ex agris locantur, & emuntur, ut is demùm habeatur emptor idoneus, qui pluris mercem licitaverit. Ita planè pro pretii quantitate elocantur nunc per Curtiſanos Eccleſiaſtica beneficia. Deinceps quibus nexibus Archiepiſcopi & Epiſcopi à ſuis Capitulis ob beneficiorum collationem ſint adſtricti *Grav. xxij. & xxiij.* exponunt; & de Prælaturarum commendis & incorporationibus *Grav. xxiv.* graviſſimè queruntur.

XCIV. Exemplo Statuum Germaniæ novem quoque Helvetiæ Cantonum & Valeſiorum legati A. MDXXV. Lucernæ reformationis articulos condere auſi, temporum ſuorum calamitatem disertè Sacerdotum iniquitati & avaritiæ imputant, nundinationes fœdas prohibent, & Curtiſanis, quos *Romanos* etiam *nebulones* vocant, peſſulum obdere conantur. In Gallia quid actum ſit, Pragmatica Sanctio, nundinationum Papalium circa beneficia Eccleſiæ teſtis irrefragabilis, luculenter demonſtravit. Quam ergò prodigioſam abominationem, in univerſis Chriſtianæ ditionis locis extitiſſe putabimus? Et ſi ante quadringentos penè annos in flore Pontificatûs, cùm ejus adhuc vix *Helvetia, Gallia.*

connexi & confirmati eſſent artus, eòuſque Pontifices, uti ſuprà ex Matthæo Paris vidimus, provecti ſunt, quid poſteà auſos eſſe cogitabimus: Si unico artificio, vel parte ejus potiùs aliqua ad Italos ſuos locupletandos applicata, tantis opibus, copiiſque Curiam & ſtatum ſuum ditârunt, quid de eadem machina credi poterit, admota ad cujuſque regionis incolas, quoſque in patria ſua ornandos?

Eadem Beneficiorum Eccleſiaſticorum nundinatio porrò demonſtratur ex Annatis apertiſſimè Simoniacis;

XCV. Inter Babylonicæ beneficiorum Eccleſiaſticorum nundinationis ſpecies haud poſtrema, adeóque ſilentio haud prætereunda eſt *Annatarum*, ſeu vacantiarum reditus ex reſervatione fructuum *anni*, quo Sacerdos defunctus eſt, ſic inſignitus. Eas primùm Johannem XXII. *in*dixiſſe, ſunt qui putent. Sed Bonifacio IX. Paparum Suetonius inventum acceptum refert. Et quamvis *iſta exactio* & cupido auri immenſa, obtentum habebat, quaſi ſubſidium adversùs Turcam pararetur: longè tamen aliter eſſe, res docuit, non ſine crebris & magnis offenſionibus, ut etiam in Gravaminibus Imperii Maximilianus Cæſar hoc Alexandro VI. exprobrandum judicaverit, quòd proventus illos, hac potiſſimùm de cauſa conceſſos olim, in eum uſum non contribueret. In Concilio quidem Baſileenſi *Seſſ.* 21. decretum erat, ut abrogaretur Simoniaca hæc exactio; & miſſi ad Papam Eugenium IV. Concilii nomine legati, ſic, uti in Concilii appendice refertur, lamentati ſunt: *Quamvis autem B. P. iſtæ annatæ introductæ fuerint ex cauſa paſſagii terræ Sanctæ, nunc autem ceſſante cauſa, ceſſare poterit & effectus.* Non ceſſavit tamen. Quin potiùs ex conſtitutione Leonis X. uti apud Hieronymum Gygantem in tract. de penſionibus *q.* 26. *n.* 2. habetur, præter Epiſcopatus & Prælaturas, alia etiam minora beneficia, quæ electiva dicuntur, quorum reditus annui 24. imò 10. ducatos non excedunt, ſingula penſiones certas Cameræ Pontificiæ perſolvere juſſa ſunt. Inde

incre-

incredibile dictu eſt, ſi Regni Papalis amplitudinem cogites, quanta vis auri ad Romanam Curiam redundaverit.

XCVI. Solent equidem feudatarii, certa quædam officia dominis feudi præſtare, tum ut honorem iis debitum deferant, tum ut ſe iis obnoxios fateantur. Et in venditione feudi ſolet fructus aliquis ad dominum feudi pervenire, ſive hic fructus ſit quinta pars pretii venditionis, ſive quidpiam aliud, pro varietate municipalium conſuetudinum. Eadem ergò jura olim Imperatores & Reges habebant in poſſeſſiones & bona immobilia Epiſcoporum, non minùs quàm laicorum, idque meritò, quia proventus & fundi Epiſcoporum ex Principum liberalitate ad clerum pervenerunt, qui ad memoriam conſervandam collati beneficii ſibi jus collationis & patronatûs reſervabant, & munuſculum aliquod ab Epiſcopo aut Abbate pro admiſſione in poſſeſſionem bonorum à ſua liberalitate provenientium admittebant. Hæc jura Papa, qui fundos & poſſeſſiones clero nullas dedit, Principibus & fundatoribus erepta ad ſe tranſtulit, & ſic Epiſcopatus ac Abbatias feuda eſſe à ſede Romana ſola dependentia, pro plenitudine ſuæ poteſtatis voluit, juſſit. Atque hoc obtentu ab Epiſcopis & Abbatibus priorem *annum* proventûs ſui; aut ſi clementiùs tranſigere velit, dimidium proventûs annui exigit.

XCVII. Non tantùm injuſtas, ſed apertè etiam *Simoniacas* eſſe has Annatarum exactiones, res ipſa loquitur. Quid enim Simonia aliud eſt, quàm traditio poteſtatis, ſeu gratiæ ſpiritualis, ſub pacto expreſſo pecuniæ, & pro pecunia, aut quocunque pretio: quæ eſt propriè venditio? Qui verò poteſtatem ſpiritualem Eccleſiam paſcendi tradit, ſub pacto ejuſmodi annatarum expreſſo, is poteſtatem & gratiam ſpiritualem pro pecunia vel pretio

vendit. Agnovit id ipſum Gerſon, *de pot. Eccleſ. conſid.* 8. ubi miniſtrorum inſtitutionem Papæ meritò auferendam docet, *maximè dum recipit annatas, quoniam ex hoc, capula, quandiu perſeveraverit, orietur inevitabiliter leproſa peſtis Simoniæ, inficiens ſua contagione nedum caput, ſed penè ſingula Eccleſiæ membra.*

XCVIII. Neque verò ictum hunc exibunt Papæ gnathones, ſi regeſſerint, eum non vendere ipſum officium ſacrum, ſeu poteſtatem ſpiritualem regendi animas, ſed pro ſolo beneficio, hoc eſt, pro jure illo accipiendi reditus temporales, quod temporale & non ſpirituale, neque ſacrum eſt, accipere pecuniam. Æquum enim eſſe, ut Papa, ceu primus Prælatus, ſuper omnes Eccleſias vigilans, de proventibus illis etiam participet, *ita ut ne* venditio quidem ulla ſit, ſed ſola quædam fructuum ſibi applicatorum anticipata collectio; aut ſi venditio eſt, Papa fructus ſuos, hoc eſt, ſibi jam debitos & applicatos vendat nuper proviſo, qui ſolutâ pecuniâ ſuos faciet fructus primi anni, quos alioquin non ſibi, ſed Papæ colligere tenebatur. Non ſic profectò Simoniæ labem à Papa abſtergunt. Non dicam, Romam hodie tenere, docere, & factis ipſis judiciiſque comprobare, quod reditus beneficiorum, qui habent adnexam rem ſpiritualem, fiant etiam ſacri, & naturam rei ſpiritualis induant. Hoc ſi verum eſſet, χρηστοφύγιλον planè evaneſceret, quia juxta Romana axiomata vendere ſpiritualia, vel temporalia, quæ ſpiritualitatem aliquam contrahunt, manifeſta Simonia eſt. Sed miſſo hoc figmento, quo tamen ſe ipſos Hierarchici jugulant, aliud ſolidius oppono, quòd annatarum exactiones ex pacto & conventione expreſſa fiant in ipſa ſacri officii collatione, ita ut ſacrum officium non poſſit haberi, niſi prævia pecuniæ ſolutione, quod annatæ Curiæ debitæ nomine Curia palliare conatur. Separe-

tur

tur ergò temporale à Spirituali, & tunc Simoniæ periculum ceſſabit. Ita vendere aquam baptiſmalem à baptiſmo ſeparatam, ad potandum vel alium uſum, Simonia non eſt. At vendere in ipſo actu Baptiſmi, & nolle aqua illa uti ad baptizandum, niſi priùs ex pacto & conventione baptizandus ſolvat pecuniam, potentiſſima Simonia erit. Ego enim, qui baptiſmum cupio, aquam à te baptizatore peto, non ad aliud, niſi ut cum aqua ſimul baptiſmum ſuſcipiam; & dices tu ſine Simonia: Solve mihi pecuniam pro aqua, & tum te baptizabo, niſi ſolveris non baptizabo? Hoc planè in annatis fit. Quærit aliquis Epiſcopatum à Papa collatore: Papa collator dicit: ſolve pecuniam pro redditibus Epiſcopatui annexis; ſolutâ pecuniâ tradam Epiſcopatum, neque tradam priùs quàm ſolveris. An ovum ovo ſimilius? Denique ſicut omnes conſentiunt, Soto *de Juſt. & jure lib. ix. q. 5. art.* 1. docente, *eſſe Simoniam vendere calicem ſanctificatum, accepto peculiari pretio propter annexam illam conſecrationem*: ita neceſſe eſt omninò dicant, Simoniam eſſe vendere peculiari pretio proventus Epiſcopatûs, non quia ſunt proventus temporales, ſed quia iis Epiſcopatus adjunctus eſt. Hoc fit ſub annatarum velamine, ubi pretium Papa accipit ad hoc, ut cum proventibus ſimul Epiſcopatum largiatur. Alioquin, inquit, ſi non ſolveris pecuniam, non dabo Epiſcopatum, non dicit, non dabo proventus. Si ergò Papa hic Simoniacus eſſe & audire non vult, det priùs Epiſcopatum, poſteà dicat: Non do tibi jus ad redditus percipiendos, niſi ſolveris pecuniam. Ita Simoniacus non erit, erit tamen injuſtus, quia nullo jure partem proventuum Eccleſiæ affectat, quorum ille, ne minimam quidem particulam Eccleſiæ priùs contulit. Cœterùm, nunquam tamen ſic Papa dicet, gnarus quippe, quàm primùm quis Eccleſiaſtico officio

Digitized by Google

applicatur, ſtatim ei Euangelico jure ſuſtentationem deberi.

exactione iniquiſſima pro Pallio, Archiepiſcoporum;

XCIX. Annatis cohærent *Pallia* è lana linóque confecta, quam nec operoſam, nec ſanè pretioſam mercem Archiepiſcopi maxima vi pecuniæ à Pontifice redimere coguntur. Conficitur Pallium illud hoc ferè modo. Monachi & Moniales S. Agnetis, quæ Romæ eſt, quotannis duos agnos albos imponunt altari, quando in Miſſa canitur *Agnus Dei.* Hi Agni inde elati tondentur, & ex eorum lana texuntur palliola alba, lata digitos tres, in pectus & in dorſum propendula ad longitudinem palmi. Limbo aſſuuntur laminæ plumbeæ, quarum extremus orbiculus ſerico nigro tegitur. Hæc pallia imponuntur feretro Petri & Pauli. Deſignatus Archiepiſcopus accedit, petens *inſtanter, inſtantiùs & inſtantiſſimè* ſibi dari hoc Pallium: Optimi Archiepiſcopatus, qualis eſt Toletanus in Hiſpania, Moguntinus & Colonienſis in Germania, aliique etiam in Papæ fiſcum ſexaginta, vel ſeptuaginta millia ducatorum, aut ampliùs etiam, inferunt. Libro S. Ceremoniarum primo *Sect. x.* 8. hæc habentur: *Componitur cum ſubdiaconis tenentibus pallia, qui accipiunt ſecundùm valorem & taxam Eccleſiæ, aliquando plus, aliquando minùs pro centenario.* Tanti venit linum Papæ, & tanta unius induſii charitas eſt! Ut non immeritò Jacobus, Archiepiſcopus Moguntinus, jam ferè moriens dixerit: *Se de morte ſua non adeò dolere, quàm ob id, quòd ſubditi ſui pauperes iterum pro Pallio gravem exactionem dare cogerentur.* Neque enim licet anteceſſoris pallio uti, ſed quiſque illud ſibi Romæ comparare tenetur. Deinde qui fortè vel permutatione, vel quavis alia ratione fit alterius Eccleſiæ Metropolita, licet anteà paraverit illud, neceſſe tamen habet, ut iterum emat. Vel igitur incredibilis eſt pallii toties emti & redemti ſanctitas:

Digitized by Google

ctitas: vel certè auri Epiſcopalis fames prodigioſè ſacra. Prærer pallia hæc inſuper præſenti pecunia redimere oportet Bullam Principalem, Bullam commiſſionis, Bullam abſolutionis, Bullam ad Capitulum, Bullam ad Clerum, Bullam ad populum, Bullam ad Vaſallos, Bullam ad Archiepiſcopum, Bullam ad Regem (vide quàm Bullis omnia bulliant!) ſolvendúmque Conſiſtorialibus pro munere conſecrationis, pro munere benedictionis.

C. De exactione *Decimarum* ſuprà Eraſmum ſic quiritantem vidimus: Quas *non tragœdias movent pro ſuis illis decimis, quàm odioſè divexant miſeram plebeculam?* Nulli equidem improbamus, ſi conſentientibus ſummis Poteſtatibus & Populo, Eccleſiæ Miniſtris ex decimis neceſſaria & honeſta ſuſtentatio decernatur. Nam ſi ſub V. T. iniquum non fuit, ut Levitis altari inſervientibus, ex decimis vitæ ſubſidia cederent: neque ſub N. T. injuſtitiæ labem Chriſtianus populus contrahet, ſi Eccleſiæ Miniſtris ex iiſdem ſuſtentationem procuraverit. Cœterùm, Hierarchici avaritiam ſuam produnt, quòd ſacerdotibus ſuis non populorum liberalitate & applicatione libera, ſed juris Divini inviolabili neceſſitate decimas univerſas vindicant; perindè ac ſi ſacrilegium populus Chriſtianus admitteret, ſicubi decimas vel abundantes, vel univerſas, in alios uſus convertit, vel liberas relinquit, ac de cœtero Eccleſiæ Miniſtris aliundè de ſuſtentatione neceſſaria proſpicit. Qua enim ratione neceſſaria, legem Moſaicam de decimis Levitis pendendis, perpetuam, immutabilem illi ſtatuant, non liquet mihi hactenus. Inprimis cùm ipſe Bellarminus *de Cler. cap.* 26. fateatur, *Deum ſibi decimas à Judæis exegiſſe titulo Regio, quia erat illius gentis Rex ſpecialis*. Tum etiam moroſa illa & ſolicita nimis decimarum exactio, eundem clericalis avaritiæ ſpiritum redolet. Dixit enim jam olim Hieronymus Epiſt. 2. meritò: *Nunquam*

prætenſione Divini juris decimarum.

quam petentes, rarò accipiamus rogati. Nam meliùs eſt non habere, quod tribuam, quàm imprudenter petere quod recondam. Et Auguſtinus *in Pſalm.* 146. *Facite,* inquit laicis, *vobis amicos de mammona iniquitatis. Non tacet ipſe, audite vocem ejus. Nemo enim à vobis poteſt exigere, niſi fortè exactione opus eſt, ut qui vobis in Euangelio ſerviunt, petant à vobis, ſi ad hoc ventum fuerit, ut petant, videte, ne quod vos à Deo petiiſtis, fruſtrà petatis. Ergò eſtote exactores veſtri, ne aliquid illi, qui in Euangelio ſerviunt, vobis non dicam petere cogantur. Nam fortè nec coacti petent, ſed ne libenter vos arguant. Unde ſcriptum eſt: Beatus, qui intelligit ſuper egenum & pauperem.*

Tributis graviſſimis Clero à Pontifice impoſitis, veluti Decimaquinta, Decima, Quinta, Tertia, Medietate, &c.

CI. Sed Pontifices inprimis beneficiorum Eccleſiaſticorum indefeſſam nundinationem ſuam in eo etiam exercuerunt, & exercent adhuc, quòd Eccleſiarum & Eccleſiaſticorum poſſeſſiones non tantùm onerârunt penſionibus, tributis & ſubſidiis, ſed ab illis etiam prætextu belli gerendi contra Cæſares vel Turcam, *decimas quintas, decimas, quintas, tertias, medietates* bonorum ſuorum exegerunt. Longum eſſet ex hiſtoriarum monumentis nundinationem hanc condigna ratione repræſentare. De Innocentio III. Cæſarius in Dialogis refert, eum Ciſtertienſi Ordini præcepiſſe, ut quadrageſimam partem mobilium ſuorum in bellum ſacrum contribueret, & ordini privilegia ſua objicienti, comminatum eſſe, quòd poſſeſſiones ejus Principum Secularium prædæ exponere velit. Itaque Monachos in anguſtias redactos ad D. Mariam confugiſſe, ejuſque opem imploraſſe, quæ exorata apparuerit Regnerio Monacho, juſſeritque eum Innocentio renunciare, omnem ſe ei poteſtatem ademptura, niſi à cœptis deſtiterit. Pontificem apparitioni fidem habentem à cœpta exactione deſtitiſſe, & ordinis privilegia confirmâſſe. Sic Cæſarius, quem

quem penes fides eſto. Tentavit etiam aliquid Honorius III. qui, Matthæo Paris *ad A.* 1226. narrante, Othonem Legatum in Galliam & Angliam miſit, rogaturum Epiſcopos, dignarentur pii liberi matris inopiam ſublevare, quandoquidem *rapacitate & iniquitate Romanæ Curiæ* ærarium Pontificis exhauſtum ſit. Sublevari autem ærarium poſſe, *ſi ei concederent percipere ab omnibus Eccleſiis Cathedralibus duas præbendas, unam de portione Epiſcopi, alteram de capitulo, & ſimiliter de Cœnobiis, ubi diviſæ erant portiones Abbatis & Conventûs, à Conventibus quantum pertineret ad unum Monachum æquali facta diſtributione bonorum Conventûs*, ita ut inter Monachos Pontifex Romanus computaretur, *& ab Abbate tantundem.* Sed deſiderio Papæ, intercedente Angliæ Rege, factum ſatis non eſt. Fortunatior Gregorius IX. apud eundem Paris *ad A.* 1229. ſuſcepto in Fridericum Imperatorem gravi odio, decimas non Eccleſiaſticis duntaxat, ſed laicis etiam imperavit, laicis non audientibus dicto, audire Eccleſiaſtici Angli inprimis à Rege ſuo non protecti, cenſurarum intentarum metu compulſi ſunt. Idem Gregorius poſt etiam Paris *ad A.* 1240. referente, ab Eccleſiaſticis quartam bonorum partem exegit. Et in Gallia jam grandem pecuniarum vim Nuntius ejus corrogaverat, ſed, Rege prohibente, auferre non poterat, donec cum Friderico Imperatore in gratiam rediiſſet. Innocentius IV. apud eundem Paris *ad A.* 1246. 1247. 1254. idem ſubſidium à Clericis Anglis exigit, ſed non impetravit. Vigeſimam dein imperavit & collegit. Cùmque poſt tertiam bonorum partem repetiiſſet, repulſam paſſus eſt. Mox tributum Clero indixit, *tallagii* nomine, ſed ei Rex iterum interceſſit. Ne verò ſoli Angliæ gravis eſſe videretur, miſit quatuor Cardinales Legatos per Italiam, Hiſpaniam, Norwegiam, Germaniam, aliáſque

quam petentes, rarò accipiamus rogati. Nam meliùs eſt non habere, quod tribuam, quàm imprudenter petere quod recondam. Et Auguſtinus *in Pſalm.* 146. *Facite*, inquit laicis, *vobis amicos de mammona iniquitatis. Non tacet ipſe, audite vocem ejus. Nemo enim à vobis poteſt exigere, niſi fortè exactione opus eſt, ut qui vobis in Euangelio ſerviunt, petant à vobis, ſi ad hoc ventum fuerit, ut petant, videte, ne quod vos à Deo petiiſtis, fruſtrà petatis. Ergò eſtote exactores veſtri, ne aliquid illi, qui in Euangelio ſerviunt, vobis non dicam petere cogantur. Nam fortè nec coacti petent, ſed ne libenter vos arguant. Unde ſcriptum eſt: Beatus, qui intelligit ſuper egenum & pauperem.*

Tributis graviſſimis Clero à Pontifice impoſitis, veluti Decimaquinta, Decima, Quinta, Tertia, Medietate, &c.

CI. Sed Pontifices inprimis beneficiorum Eccleſiaſticorum indefeſſam nundinationem ſuam in eo etiam exercuerunt, & exercent adhuc, quòd Eccleſiarum & Eccleſiaſticorum poſſeſſiones non tantùm onerârunt penſionibus, tributis & ſubſidiis, ſed ab illis etiam prætextu belli gerendi contra Cæſares vel Turcam, *decimas quintas, decimas, quintas, tertias, medietates* bonorum ſuorum exegerunt. Longum eſſet ex hiſtoriarum monumentis nundinationem hanc condigna ratione repræſentare. De Innocentio III. Cæſarius in Dialogis refert, eum Ciſtertienſi Ordini præcepiſſe, ut quadrageſimam partem mobilium ſuorum in bellum ſacrum contribueret, & ordini privilegia ſua objicienti, comminatum eſſe, quòd poſſeſſiones ejus Principum Secularium prædæ exponere velit. Itaque Monachos in anguſtias redactos ad D. Mariam confugiſſe, ejuſque opem implorâſſe, quæ exorata apparuerit Regnerio Monacho, juſſeritque eum Innocentio renunciare, omnem ſe ei poteſtatem ademturam, niſi à cœptis deſtiterit. Pontificem apparitioni fidem habentem à cœpta exactione deſtitiſſe, & ordinis privilegia confirmâſſe. Sic Cæſarius, quem

quem penes fides eſto. Tentavit etiam aliquid Honorius III. qui, Matthæo Paris *ad A.* 1226. narrante, Othonem Legatum in Galliam & Angliam miſit, rogaturum Epiſcopos, dignarentur pii liberi matris inopiam ſublevare, quandoquidem *rapacitate & iniquitate Romanæ Curiæ* ærarium Pontificis exhauſtum ſit. Sublevari autem ærarium poſſe, *ſi ei concederent percipere ab omnibus Eccleſiis Cathedralibus duas præbendas, unam de portione Epiſcopi, alteram de capitulo, & ſimiliter de Cœnobiis, ubi diviſæ erant portiones Abbatis & Conventûs, à Conventibus quantum pertineret ad unum Monachum æquali facta diſtributione bonorum Conventûs*, ita ut inter Monachos Pontifex Romanus computaretur, *& ab Abbate tantundem.* Sed deſiderio Papæ, intercedente Angliæ Rege, factum ſatis non eſt. Fortunatior Gregorius IX. apud eundem Paris *ad A.* 1229. ſuſcepto in Fridericum Imperatorem gravi odio, decimas non Eccleſiaſticis duntaxat, ſed laicis etiam imperavit, laicis non audientibus dicto, audire Eccleſiaſtici Angli inprimis à Rege ſuo non protecti, cenſurarum intentarum metu compulſi ſunt. Idem Gregorius poſt etiam Paris *ad A.* 1240. referente, ab Eccleſiaſticis quartam bonorum partem exegit. Et in Gallia jam grandem pecuniarum vim Nuntius ejus corrogaverat, ſed, Rege prohibente, auferre non poterat, donec cum Friderico Imperatore in gratiam rediiſſet. Innocentius IV. apud eundem Paris *ad A.* 1246. 1247. 1254. idem ſubſidium à Clericis Anglis exigit, ſed non impetravit. Vigeſimam dein imperavit & collegit. Cùmque poſt tertiam bonorum partem repetiiſſet, repulſam paſſus eſt. Mox tributum Clero indixit, *tallagii* nomine, ſed ei Rex iterum interceſſit. Ne verò ſoli Angliæ gravis eſſe videretur, miſit quatuor Cardinales Legatos per Italiam, Hiſpaniam, Norwegiam, Germaniam, aliáſque

regiones, ut pecuniam colligerent. Denique ſic de eodem Pontifice Paris loquitur: *Plures ille theſauros congeſſit, & plus Eccleſiam univerſalem depauperavit, quàm omnes prædeceſſores à tempore Papatûs primitivi, licet per tales effuſiones pecuniæ, Eccleſia non ſuſciperet incrementum, imò potiùs infauſtum detrimentum incurreret.* Clemens IV. decimas indixit in redemtionem terræ ſanctæ. Honorius IV. omnium proventuum Cleri partem quartam indixit per quatuor annos. Clementi V. Germani Præſules in Concilio Salisburgenſi I. decimas duorum annorum, deductis expenſis neceſſariis, conceſſerunt. Et jam Bonifacius VIII. lege lata, quæ *Cap. und. de Decimis in Extravag. com.* extat, ampliſſimè expreſſerat, qui ab iis immunes ſint, & quas ob cauſas præſtari debeant. Exempla plura referre piget, cùm & plurima à Michaële Rouſſelio *Hiſt. Juriſd. Pont. lib. v. cap. 2. ſſ. 11.* memorata fuſiùs extent, & hodiéque exactiones ejuſmodi frequentari ſoleant, Pontifice in ſuam, vel Regum ab eo emendicantium gratiam, Cleri proventus, miniſterio Eccleſiæ primitùs dicatos, inclementer invadente, & ad alienos uſus, privatúmque quæſtum ſuum traducente. Nam in ſolius Papæ poteſtate nundinatio hæc eſt. Unde Gregorius X. in Lugdunenſi Concilio ſanxit, ut niſi volente & jubente Papa, vel Regibus indictionem ſuper Eccleſiaſticis bonis tentare, vel Eccleſiaſticis quicquam conferre, nefas eſſet.

aliiſque expilationibus beneficiorum Eccleſiæ & Cleri multifariis.

CII. Quid dicam de multis aliis Hierarchicorum technis, & beneficia Eccleſiaſtica devorandi artibus; quid de univerſa adminiſtratione Papali, in qua plenitudinem poteſtatis ſibi vendicârunt, atque hanc à ſe venditatam poteſtatem gnaviter exercuerunt? Quibus demùm verbis eloquar prædas, rapináſque cœteras, quas ex Eccleſia Chriſti, Pontifices, prætextu ordinationis & adminiſtratio-

ſtrationis bonorum Eccleſiæ, quæ illi ut injuſti, ſed prudentes diſpenſatores à Domino ad privatum quæſtum ſevocârunt; ceperunt? Veluti cùm abrogârunt nonnullorum ritè electorum electiones, aliis verò, qui jure legi non potuerunt, concesserunt, ut loca per poſtulationes occuparent: mutârunt traduxerúntque tum ipſos ab una ſede ad aliam per tranſlationes, tum diœceſes ipſorum per diviſiones: circa fructus malè perceptos, *compoſitionem* cum Camera Apoſtolica inſtituerunt, qua *compoſitione*, ceu reti magno Camera magnos piſces capit & exquamat, argenteas ex eis ſquamas & aureas deponens, ſibíque capiens, atque ſic in rapinæ & furti manifeſti partem veniens: fabricârunt nova animalia, *Prædicantes Fraterculos*, ſive atratos fratres Dominicanos, & *Minoritas*, Franciſcanos, Fratres mendicantes, dictos *Speculatores* Papæ, iiſque prædicandi poteſtatem, Eccleſiarum interim reditus ad ſe pertrahentes, permiſerunt: pueris, ſpuriis, fatuis animarum curam permiſerunt: Homicidis, adulteris, Simoniacis, ut beneficia ſua retinere poſſent, conceſſerunt: non reſidentiæ indulſerunt, ut non reſidentibus, Eccleſiæ bona abligurientibus neceſſe non eſſet greges ſuos inviſere, iiſque invigilare: beneficia expilârunt ad Abbatias per *approbatioues* ditandas, ut ipſi poſteà in fructibus Abbatiarum grandius ſpicilegium facerent: Prælatis & Prælaturas affectantibus imperârunt, ut cum ipſis componant non tantùm pro *palliis*, uti ſuprà vidimus, ſed etiam pro *baculis* paſtoralibus, pro *mitris*, pro *annulis*, pro ſchedulis *ſignandis*, ac ut eorum quoque ſervis tranſigant, pro *ſcriptione*, pro *lectione*, pro *ſubſcriptione*, pro *approbatione*, pro *collatione cum exemplari*, pro *relatione in acta*, pro *taxatione*, pro *receptione*, pro *aſſeveratione*, pro *traditione*, atque etiam pro *funiculo & plumbo*, quibus Bullæ Papales ligari &

 obſi-

obſignari ſueverunt: novos excogitârunt officiarios, imò armenta nova, catervâſque officiariorum Cancellariæ ſuæ, hoc conſilio, ut illis loca iſta venundarent, quibus multis aureorum millibus venditis, exegerunt hi à miſeris clientibus, Romam propter gratiam aut juſtitiam itantibus, ut pecunias illis annumerarent, auctis maximum in modum bullarum ſuarum pretiis & impenſis: exercitus illos *Regiſtrariorum* ſuorum, *Notariorum*, *Protonotariorum*, *Dictatorum*, *Scribarum*, *Abbreviatorum*, *Datariorum*, *Reſcribendariorum*, *Rationalium*, *Sollicitatorum*, *Plumbatorum*, *Speculatorum*, *Regentium*, *Viatorum*, *Ceremoniarum Clericorum*, *Clericorum cubiculi*, *Clericorum Cameræ*, aliáque extra numerum mancipia, pretio ſanguinis Servorum Chriſti aluerunt: annuum ſtatúmque imperârunt vectigal ex *primitiis*, *decimis* Sacerdotum, Abbatum, Epiſcoporum, & Cardinalium defunctorum *fortunis*, in quas ut executores invaſerunt, & cùm illis teſtamenta faciendi licentiam conceſſerint (quâ à Pontifice non obtentâ, bona eorum, juxta Pauli III. conſtitutionem velut *inteſtatorum* Cameræ Apoſtolicæ cederent) ſibi ipſis tamen partem aliquam reſervârunt, velut à Cardinale præter quingentos illos ducatos quo pretio annulum ſuum quiſque mercatur, omnes gemmas ejus capellares, ornamenta vaſáque tam aurea, quàm argentea, cruces, candelabra, imagines, aliáque ejuſmodi *ſpolia* (quo etiam diſerto nomine in jure Papali veniunt, & quæ ſui juris eſſe Pontifices decretis ſanxerunt; quo fretus Gregorius XI. Joachimo Cureo in Annalibus Sileſiæ, *ad A.* 1375. narrante, Capitulum Uratiſlavienſe ſibi triginta millia aureorum pro relictis ab Epiſcopo Pretiſlao bonis numerare coëgit; & Julius II. Bembo *Hiſt. Ven. lib. x.* referente, ex theſauris quorundam Sacerdotum Romæ defunctorum ſe ditavit. Tot denique tendiculis hamiſque ad

ad mortalium ubique terrarum bona in arculas ſuas corroganda, piſcati ſunt, & piſcantur adhuc pro viribus ſuis; ut Aulicus Romanus Theodoricus à Niem *in Nemor. Union. Tract.* 6. *cap.* 37. aſſerat, *Cameram Pontificis mari aſſimilatam eſſe, in quod intrant omnia flumina; & non inundat.*

In regimine Eccleſiæ Hierarchia nundinatur leges tum Divinas, matrimoniales inprimis, per diſpenſationes circa eaſdem, in matrimoniis vetitis contrahendis,

CIII. Venimus ad *Regimen Eccleſiæ.* Cùm igitur Eccleſiam ab hominibus regi ex præſcripto legum, & judiciorum miniſterio conſtet, Hierachici tum leges ipſas per *diſpenſationem* earum, tum judicia per *cauſarum* Eccleſiaſticarum ad tribunal Romanum *ſevocationem* quæſtui habent. Leges vel divinæ vel humanæ ſunt. In utriſque Papam Papaliter diſpenſandi jus ſibi arrogare, ſuprà manifeſtum fecimus. Nunc non ſine quæſtu diſpenſare, manifeſtum ſimiliter faciamus. Legibus ſtrictis Deus Levit. XVIII. & XX. matrimonia intrà quoſdam affinitatis & conſanguinitatis gradus prohibuit, & contracta in iiſdem תועבות *abominationum* nomine deteſtatus eſt. Sed eò tandem Papalium diſpenſationum, vel *crudelium diſſipationum* potiùs Divini & humani juris (ſic olim Bernhardus ad Eugenium, & poſt illum Gerſon inſigniverunt) licentia progreſſa eſt, ut nulli ferè gradui, dum dulcis lucelli facula alluceret, pepercerit. Ita Guſmanno Aſſidonenſi Duci indultum eſt, ut duabus ſucceſſivè ſororibus: Duci Burgundiæ, ut avunculi ſui Comitis Nivernenſis viduæ: Emmanueli Portugalliæ Regi, ut duabus ſororibus, quarum prima nepotis ejus defuncti uxor fuerat, ac tertio conjugio nepti; harum uxorum gratiam faciente Alexandro VI. Ferdinando Regi Neapolitano, ut Johannis, avi ſui filiæ, Alphonſi Patris ex alia matre ſorori: Henrico VIII. Angliæ Regi, ut fratris ſui viduæ, Catharinæ Auſtriacæ: Philippo II. Hiſpaniæ Regi, ut nepti ſuæ: Petro Portugalliæ nuper Regenti, nunc Regi,

 ut

ut Alphonſi fratris viventis uxori nuberet. Alia exempla ſuperius produximus. In Taxa Pœnitentiaria, titulo *de cauſis Matrimonialibus* ſic legere eſt: *In primo gradu affinitatis diſpenſatur in foro conſcientiæ tantùm, & taxa eſt turon.* 30. *duc.* 7. *Carol.* 6. In Concilio quidem Tridentino *Seſſ. xxj. Decret. Reformat. cap.* 5. hunc in modum ſancitum eſt: *In contrahendis matrimoniis intra gradus prohibitos, vel nullam omninò dandam eſſe diſpenſationem, vel raro: idque ex cauſa & gratis. In ſecundo gradu nunquam diſpenſandum, niſi inter magnos Principes, & ob publicam cauſam.* Diſpenſationes ergò ejuſmodi probantur, ſed *raræ*, judicio Papæ definiendæ, *ex cauſa*, Papæ ejuſque Regno utili; & *gratis*, ſeu gratitudinem ſuam Papæ teſtantibus. Sic enim fert uſus & praxis Papæ, quæ, utpote infallibilis, legis interpres eſt. Alioquin etiam facta dictis non ſuppetunt. Et jam olim Alvarus Pelagius *de Planctu Eccl. lib. ij. art.* 20. adverſùs frivolas explicationes Prælatorum, qui Sacramenta vendunt, eorundem fraudes ſic detexit: *Sed dicunt iſti ficti Prælati: Sacramenta non vendimus. Sed dicendum eſt, etſi ipſa Sacramenta invendibilia non vendunt, contra ſacros canones, vendunt vocem, ſigillum & calamum. Et canoni fraudem faciunt, de perſona ad perſonam, quia quicquid accipit Notarius pro literis ordinatorum, vel totum, vel quaſi totum tollit Epiſcopus.* Et *art.* 5. iis applicat dictum Jeremiæ: *Principes ſunt ſocii furum*, id eſt, inquit, *Notariorum ſuorum, & tenentium ſua ſigilla, cum quibus participant lucra Simoniaca.*

& contractis pro libitu Papa diſſolvendis;

CIV. Jam & in matrimoniis contractis, ſine ſontica, Divino jure expreſſa cauſa dirimendis, eadem Papalium diſpenſationum licentia obtinet. Jam olim enim, ſic Suavis *Hiſt. C. T. lib. j. pag.* 61. ſcribit, *Pontifices Romani diſpenſationibus matrimonialibus, repudiorúmque ſententiis*

tam

tam negatis, quàm conceſſis, magnam olim rebus ſuis acceſſionem fecerunt; nomine Vicarii Chriſti tanquam umbrâ obtegentes eos Principes, quibus erat commodum per inceſtum aliquod connubium, aut matrimonio uno diremto ut aliud contraherent, ditionibus novam aliquam adjungere, aut diverſorum petitorum jura extinguere: idque firmâ cum ipſis amicitiâ ſtabilitâ, eorúmque potentiâ ad autoritatem illam tuendam advocatâ, abſque qua foret, uti actiones ipſorum, quippe illegitimæ, damnarentur palàm & impedirentur: neque ipſis duntaxat Principibus, ſed & omnibus eorum liberis ad natalium ſuorum legitimationem defendendam accitis. Exempla haud pauca nundinationis illius per diſpenſata divortia Michaël Rouſſelius *Hiſt. Juriſd. Pontif. lib. 5. cap. 5. ſ. 9.* recitat. Memorabilis certè vox eſt Bernhardi, qui comperto, quòd Rodolphus Virimanduorum Comes, uxorem ſuam repudiâſſet, ut Petronillam Alienoræ Reginæ propinquam duceret, obtenta etiam diſpenſatione Cameræ Apoſtolicæ, in hæc verba erupit: *Quomodo, quos Eccleſia conjunxit, disjunxit Camera?* Sed & Alexandrum VI. acceptis triginta mille ducatis Ludovici XII. & conjugis ſola deformitate exoſæ, Ludovici XI. filiæ matrimonium diſtraxiſſe, & Epiſcopum Sittenſem unà cum bulla diſpenſationis miſiſſe, cum hoc ſecretiore mandato, ne bullam, niſi acceptis pecuniis & obligato adversùs Romandiolæ Vicarios auxilio, promeret, Franc. Gucciardinus teſtis eſt. Denique diſpenſationes Papales circa gradus matrimoniales prohitos, & divortia, Regni Papalis haud poſtremum nervum fuiſſe ſemper, atque etiamnum eſſe, temporum Papatûs experientia dubitare non ſinit. Quod legum Divinarum quæſtui habitarum irrefragabile argumentum eſt.

nec non relaxationes juramentorum;

CV. Leges Divinæ juramentorum & votorum legitimè præſtitorum & nuncupatorum religionem ſacroſanctam

eſſe

eſſe jubent. Hanc quoque religionem diſpenſationibus ſuis identidem violare Papas, ſuprà apertæ veritati dedimus. Violat autem etiam in juramentis ſummorum Principum, ut partibus commodiſque ſuis eos obſtringat, quæ ſacroſanctarum rerum ſcelesta nundinatio eſt. E multis exemplis unicum proferam illud, quo Clemens VIII. Franciſcum I. Galliæ Regem juramenti Madriti Carolo V. præſtiti nexu exſolvit, ut Galliæ Regem in ſuas adversùs Imperatorem partes pertraheret. Quoties verò in Gallia, Anglia, alibíque Papa ſola ſtabiliendæ tyrannidis ſuæ libidine nefaria, ſubditis Imperiorum frangendi juramenti fidelitatis, quo ſuperioribus ſuis devincti erant, gratiam fecit?

& votorum, Monaſticorum inprimis; CVI. Votorumq́; quæ legitimè nuncupata Hierarchici credunt, ab eodem Papa, prout commoda ejus ferebant, reſciſſorum exempla non minùs obvia ſunt, è quorum numero nonnulla idem Rouſſelius *loco cit. cap.* 5. *ſ.* 1. recitat. Quoties enim Papa votorum peregrinationis, caſtitatis, obedientiæ, Monachorum, Monialium, Fraterculorum, religionem pecuniæ remiſit? Sic Benedictus IX. Baronio *ad A.* 1041. narrante, Polonis conceſſit, ut Caſimirum, Monachum Benedictinum è clauſtro eductum, ſibi Regem crearent, hac tamen lege, ut Polonorum Regnum ac regiones in ſignum accepti beneficii B. Petro & ſucceſſoribus de quolibet capite nobilium uſualem nummum annis ſingulis perſolverent. Thomas equidem Aquinas 2. 2. q. 88. art. 11. tenet, *illicitam & nullam eſſe diſpenſationem à Pontifice indultam, qua Monachus voto continentiæ, quod eſſentialiter religionis ſtatui inhæret, ſolvatur; licet*, inquit, *nonnulli Juriſtæ contrarium dicant, eo prætextu, quod inde* (NB.) *utilitas publica* (Papalis ſcilicet Regni,) *procuretur*. Inter Juriſtas illos ſunt præter alios Covarruvias *de Teſt. cap.* 2. Jacobus Almain

main *tract. de pot. Eccl. & laica cap.* 13. 14. *Tomo* 3. *Gerſonis*, ubi arreſtum Curiæ Pariſienſis, hujuſmodi Diſpenſationem Papalem, rejecta appellatione ab abuſu improbans, refertur: aliique. Rectè tamen Thomas eidem illi Juriſconſultorum objectioni ab utilitate publica petitæ, reſpondet, *periculis rerum humanarum obviandum eſſe per res humanas, non autem per hoc, quòd res divinæ convertantur in uſum humanum, dicente lege in Levitico: Quod ſemel ſanctificatum eſt Domino, non poteſt in alios uſus commutari.* Extant etiam exempla relaxationis voti cruce ſignatorum. Matthæus Paris *ad A.* 1240. *Eiſdem temporibus*, inquit, *inceperunt ipſi Prædicatores fratres, & Minores, & alii viri liberati præcipuè Theologi, cruce ſignatos abſolvere à voto ſuo accepta tamen pecunia, quanta ſufficere videbatur unicuique ad viaticum ultrà marinum. Et factum eſt in populo ſcandalum cum ſchiſmate, abſurdum enim videbatur ſimplicibus, quòd diverſis muſcipulis Romana Curia moliretur populum ſubſtantia ſua privare, nil petens niſi aurum & argentum.*

CVII. Diſpenſationi ſimili originem debet *Denarius S. Petri*, nobile tributum, quod Latialis ille flamen Anglis, aliiſque ceu nexu mancipióque propriis, aut duro Marte ſubactis, in ſingula hominum capita pro recognitione impoſuit. De tributo hoc ſic Hovedenus Annalium parte poſteriore in legibus Guilhelmi ſenioris: *Omnis qui habuerit triginta denariatos vivæ pecuniæ in domo ſua de proprio ſuo, Anglorum lege dabit denarium S. Petri, & lege Danorum dimidiam marcam.* In Chronico Johannis Brontom inter leges Kanuti Regis hæc XII. recenſetur. *Et Romſet* (ſic appellabatur, aliàs etiam *Rome-Scot, & Peterpence*) id eſt, *Romæ cenſus, quem Beato Petro ſingulis annis reddendum, ad laudem & gloriam Dei Regis noſtri larga benignitas ſemper inſtituit, in feſto S. Petri*

cui Denarium S. Petri, nobile Papæ tributum, originem debet.

reddatur, qui ſuprà tenuerit, reddat Epiſcopo denarium illum, & xxx. denarios addat, & Regi det xxx. Quo verò jure tributum iſthoc Papa exegit? Recitat de Anglis idem Hovedenus, primum Ethel Wolphum gratitudinis ſignum perpetuum hoc decreviſſe Papæ Leoni IV. eò quod votum Monachatûs, quo jam obſtringebatur, ſibi remiſiſſet, ut Angliæ Rex fieri poſſet. Sic ergò muliebri ſuperſtitione totam Angliam Papæ tributariam fecit, decimámque Regni ſui partem conceſſit, ut ex qualibet domo quotannis nummus argenteus penſitaretur. Ex *libera* rerum ſuarum *diſpenſatione* ſic feciſſe Regem, Sciopius, clitellarium Papæ mancipium, objicit. Scilicet ſi liberè agit, & diſpenſat is, quem cogit ſuperſtitioſum alienæ gratiæ aucupium. Superſtitionis enim faſcino vis infertur voluntati, nec ordine eligitur quod opinio præconcepta imperat.

quin & lenoniam, quam pro pecunia Papa indulget.

CVIII. Quid quòd Papa pecuniâ numeratâ lenoniam permiſit, hoc eſt, facultatem in lupanaribus impunè ſcortandi, numerato ſibi pretio, conceſſit, adeóque à lege divina caſtitatis ſolenniter diſpenſavit? Qua re quid fœdius, ſordidius quid excogitari poteſt? Eam in rem non pauca *Diſſert. xv. ſſ.* 52 —— 58. diximus. Addo illud Gobelini *Ætat. vj. cap.* 90. ubi ſic ille: *Papa Bononiæ reſidens rigorem, quo Bononienſibus priùs dominabatur, non laxans, maximam pecuniarum ſummam ex gabellis civitatis etiam per eum augmentatis recepit per ſingulos menſes, ita ut etiam meretrices de ſtatu ſuo circa florenos trecentos ſolvere viderentur in menſe*, quòd, uti in Statuum Imperii Gravamine LXXVI. habetur, *clericos, religioſóſque & ſeculares accepto ab eiſdem annuo cenſu, publicè cum ſuis concubinis, aliiſque id genus meretricibus illegitimè cohabitare, liberóſque procreare ſinunt*, quòdque, uti Gravamine ſequente exponitur, *officiales, abſente*

ſente altera Conjuge, belli, votorum, vel alia quapiam cauſa pacta numeratáque priùs mercede ſatis magna, cum alia victitare perſona indulget, ſub tolerantiæ nomine: I nunc, & Veſpaſiano ſuum illud objice: *Odor lucri bonus, è re qualibet!* Et manet hodiéque infame illud tributum, mediaque Roma erectum lupanar, ut ne deſit, unde exigatur. Imò ut ne deſit, unde Roma *Mater fornicationum* agnoſcatur.

CIX. Haud verecundior eſt à legibus humanis, & conſtitutionibus Eccleſiaſticis, quas amplificare placuit, ut iis velut laqueis quibuſdam alites irretirentur, pecunioſa diſpenſatio. De qua Status Imperii jam olim Gravamine primo, ſub titulo, de *Diſpenſationibus ære redemtis*, ejuſmodi querelam conſignarunt: *Inter reliqua onera, vel illud minimè poſtremo loco eſt collocandum, quòd conſtitutionibus humanis multa prohibentur, imperantur item multa, quæ nullo Divino præcepto vel interdicta ſunt vel imperata. Quod genus ſunt matrimoniorum tam innumera excogitata obſtacula, ex affinitatis, publicæ honeſtatis cognatione ſpirituali, legalique, & conſanguinitatis, tam multis gradibus, originem trahentia. Ciborum item uſus interdictus, quos Deus tamen ad hominis neceſſitatem creavit, ac cum gratiarum actione promiſcuè ſumendos Apoſtolus docuit. Hæ nimirum, atque his ſimiles complures humanæ conſtitutiones eò uſque ligant homines, donec pecuniâ ſibi harum legum gratiam à ſtatuentibus impetrant, ut ita pecunia faciat divitibus licitum, quod tenuibus gratis ſit prohibitum. Illicitiſque his legum ac conſtitutionum humanarum retiaculis non modò magna nummorum copia à Germanis expiſcata, è Germania & trans Alpes lata: ſed & maxima inter æquè Chriſtianos orta iniquitas, plura offendicula, ſimultates, dum omnes hiſce laqueis vident ſe illaqueari,*

Tum humanas & Eccleſiaſticas, quas lucri ex diſpenſatione earundem captandi gratia multiplicavit idem; ad quas inprimis leges compoſitionum ſic dicta referenda ſunt.

non ob aliud, niſi quòd ſpinas Euangelicas (ita enim Chriſtus divitias non ſemel appellat) non poſſideant. Gravamine ſecundo querelam *de Tempore interdicto*, ſic iidem ingeminant: *Pari modo agitur etiam cum celebrandis nuptiarum ſolennibus, à Dominica ſeptuageſima, qua cantatur in Eccleſia: Circumdederunt me &c. ſub quadrageſimæ uſque initium, quo tempore ab Eccleſiæ Romanæ Primoribus undique nuptias celebrari interdictum eſt: cùm tamen interim & ab Eccleſiaſticis, & à Secularibus, paſſim ſine diſcrimine genialiter vivatur. Sed ita demùm interdictum illud procedit, ſi gratis hoc facere quis intendat. Quod ſi nummi ſpes refulſerit, jam quod primùm erat prohibitum, impunè ac liberè facere licet. Eſt enim & hoc grave Germanorum crumenis retiaculum, quo extrahuntur nummi. Nec minus interim gravamen, quòd pauperis & divitis longè diverſa in relaxandis his conſtitutionibus ſit conditio.* Pertinent huc leges *compoſitionum* uti vocant, quibus Pontifex Datario ſuo facultatem conceſſit, tranſigendi cum eo, qui diſpenſationem petit, ut certam pecuniæ ſummam pro ea penſitet. Eas abolere voluiſſe Pontifices nonnulli feruntur; Hadrianus VI. Paulus IV. qui Onuphrio in vita ejus teſte, Datarium ſeverè admonuit, *ne pro impetrandarum quarumlibet rerum quæ conceſſione parùm dignæ viderentur, compoſitionibus aliquas pecunias acciperet, cùm ſibi perſuaſiſſet, multas pecuniarum ſummas eo munere contra jus cogi.* Cùmque plures eam in rem deliberationes inſtituiſſet, quærens, an hæ ſolutiones pecuniarum, quæ *compoſitionum* nomine veniunt, legitimæ eſſent, auditis omnium ſententiis, affirmantes corripuiſſe dicitur. Erat nempè ex numero Delegatorum Pauli III. Cardinalis, Caſpari Cantareni nomine, qui à Paulo III. in conſilium Eccleſiæ Reformandæ miſſi, decreverant, in uſu

clavium,

clavium, ſeu Eccleſiaſtica functione nihil pecuniâ geri debere. Sed deinceps placuit diſtinctio inter compoſitiones, quæ fiunt ob gratias conceſſas *in foro fori*, veluti cùm quis diſpenſaretur ad plura beneficia, vel ſuper defectu natalium, reſidentia, conſanguinitate, voto, thoro conjugali, & ſimilibus: & quæ *in foro conſcientiæ*. Ob priores deberi compoſitionem viſum eſt, non ob poſteriores, quia hîc nihil adjudicetur à judice, nihil canonizari, uti loquuntur, permittatur, ſed anima duntaxat ad ſalutem dirigatur, atque ad hoc literæ forum fori concernentes, & ad probationem producendæ non requirantur, cùm in foro conſcientiæ ſolo aſſerentis dicto ſtetur. Ita Gameſius *ad regul. de non judic. juxta fori ſuppl. q.* 14. & Rebuffus *ad tit. de diſpenſ. ſuper defectu nat. num.*96. Hinc eſſe iidem aſſerunt, quòd juxta veterem inde à Benedicto XII. receptum ſtylum in Sacra Pœnitentiaria, quando gratia in foro Conſcientiæ petitur, abſolutio confeſſori committatur in literis laniatis, & nullis teſtibus adhibitis. Diſtinctionem verò hanc meritò vellicat ipſe Rouſſelius *Hiſt. Juriſd. Pontif. lib. j. cap.* 6. *ſſ.* 12. eo videlicet argumento, *quòd Apoſtolis generali ſermone præceptum ſit, ut gratis darent, quia gratis acceperant: ac dici etiam poſſit, hujuſmodi compoſitiones viam ſternere tot diſpenſationibus per fas & nefas. Unde jam diu diſſipationes appellatæ fuerint. Ecquid non enim, inquit,*

Auri ſacra fames mortalia pectora cogit?

Unde non mirum, ſi hujuſmodi diſpenſationes ignotæ fuerint in Curia Romana per plura Secula, cùm venalitas ibi locum non haberet. Hactenùs ille.

CX. Diſpenſationum ejuſmodi pretia extra compoſitiones cum Datario Taxa pœnitentiaria definire non omiſit. Ita enim ſub titulo *de Cauſis matrimonialibus* inter alia *Diſpenſationum illarum pretia Taxa Pœnitentiaria deſinivit.*

Digitized by Google

alia legere eſt: *Pro contractu quarti gradûs taxa eſt turon. 7. duc. 1. Carol. 6. Si qui gradus hujus impedimentum ſcientes carnaliter commixti ſunt, taxantur turon. 16. duc. 4. pro legitimatione prolis ſuſcipiendæ indicta gravidæ ſpecialis taxa eſt turon. 9. duc. 1. Carol. 10. Qui ignorantes, hoc impedimentum carnaliter copulati ſunt, turon. 9. duc. 1. Carol. 10. Qui ignoranter contraxerunt, & ſcienter conſummârunt, pendunt turon. 7. duc. 1. Carol. 6. De contracto matrimonio in tertio gradu conſanguinitatis vel affinitatis, taxa eſt turon. 14. Ducat 3. Carol. 4. Et præterea componendum ſemper eſt cum Datario. In ſecundo conſanguinitatis vel affinitatis gradu diſpenſatur tantùm per Signoriam Papæ, aut ſede vacante per Summum Pœnitentiarium: & taxa eſt turon. 50. duc. 12. Carol. 6. Divortium ſimplex taxatur turon. 7. duc. 1. Carol. 6. Qui contraxerunt in cognatione ſpirituali, taxantur turon. 17. duc. 3. Carol. 9. Si cognatio hujuſmodi fuerit duplex, taxa eſt tur. 30. duc. 7. Carol. 2. In compaternitate diſpenſatur tantùm per Signoriam Papæ, vel ſede vacante, per Signoriam Pœnitentiarii Summi, & taxa eſt turon. 50. duc. 12. Carol. 3. Si quis mortem conjugi ſuæ machinatus eſt, effectu non conſecuto, nec fide alteri data, diſpenſatur, ut mortua conjuge cum altera contrahat; & taxatur turon. 9. duc. 2. Carol. 9. Cum eo qui vovit perpetuam caſtitatem, diſpenſatur in foro Conſcientiæ tantùm, & taxa eſt turon. 16. duc. 3. Carol. 6. Cum eo, qui vovit, quòd religionem intrare velit, non tamen ſolenniter, diſpenſatur, ut contrahat matrimonium, in foro Conſcientiæ tantùm, & taxa eſt turon. 15. duc. 4.* &c. Diſpenſationibus ejuſmodi ab aliis etiam quàm matrimonialibus legibus, plena taxa eſt. Pauca adſcripſimus, ut ex fimbria veſtimentum cognoſcatur.

CXI. Tam

CXI. Tam enim latè ſe hæc diſpenſationum nundinatio extendit, quàm latè ipſæ leges, canones, ſtatuta Eccleſiaſtica ſe porrigunt. Nam qui legem, Canonem, ſtatutum tulit Papa, idem ab iiſdem diſpenſandi jus abſolutum ad ſe pertinere pertendit. Quis autem legum Papalium Oceanum & abyſſum penetraverit? Et diſpenſationes à legibus humanis eas demùm probandas eſſe veteres ſtatuerunt, quas neceſſitas & communis utilitas exigit. Rectè Abbas Vindocinenſis *Opuſc.* 5. *Qui*, inquit, *abſque neceſſitate diſpenſat, non rectè dicitur Chriſti Vicarius, ſed Dux eſt cæcorum, ipſe cæcus.* Bernhardus *lib. iij. de conſid. in ſerm. coram Alex. in die Aſcenſ.* in eundem ſenſum: *Ubi*, inquit, *neceſſitas urget, excuſabilis diſpenſatio eſt; ubi utilitas provocat, laudabilis diſpenſatio eſt; utilitas dico communis, non propria. Nam cùm nihil horum eſt, non planè fidelis diſpenſatio, ſed crudelis eſt diſpenſatio.* Papam verò ad promiſcuam diſpenſationem non aliud, quàm rabida pecuniæ orexis ſtimulat. Nam *quæ neceſſitas fuit*, ejuſdem Rouſſelii verbis quærere liceat, *ut quis diſpenſaretur ad plura beneficia, incompatibilia etiam beneficia, incompatibilia etiam curam animarum habentia, ſicque unus afflueret, alter eſuriret, ac uno verbo, illud os apertum prodiret, quod jam verſum eſt in deriſionem? ut cum Simoniaco, irregulari diſpenſaretur, & tot aliis caſibus, in quibus nulla verſatur Eccleſiæ neceſſitas, nulla utilitas publica: ſed (NB.) ſola nundinantis opes Eccleſiaſticas, quas pauperibus, quibus debentur, ereptas privatis cupiditatibus abſorbeat?* Definitum tamen pridem eſt à pluribus apud Sanchez *de Matrim. Tomo III. lib. viij. diſp.* 17. *num.* 11. valere diſpenſationem, *cùm Papa in propriis legibus ſine cauſa diſpenſat.* Idem apud P. de Marca *de Concord. Sacerd. & Imp. lib. iij.* 15. 1. afferunt, Gloſſa, Bar-

Eadem latiſſimè vagantur.

Bartolus, Innocentius IV. Panormitanus, Felinus, alii quàm plurimi, eo argumento, *quia leges omnes à Pontificis nutu pendeant*. Atque hinc maximè liquet, quàm univerſalis & penè infinita ſit illa diſpenſationum fœda nundinatio, vel potiùs bonorum Eccleſiæ & Seculi fraudulenta deprædatio.

& in foro etiam conſcientia tuta pronunciantur.

CXII. Ne quid ad ſecuritatem hujus diſpenſationum nundinationis deſiderari poſſit, quæri inter Theologos cœptum eſt; *An qui diſpenſationem obtinuit illegitimam, id eſt, ſine cauſa, tutus ſit in foro conſcientiæ?* Undequaque enim nundinationem ſuam tutam & expeditam eſſe Babylonii Mercatores cupiunt. Quæſtionem diſceptavit Auguſtinus Morla *Emporii part.* 1. *tit.* 1. *q.* 2. n. 15. ubi affirmantes Theologos plures affert. Unde ſententia affirmans, quippe plurium virorum prudentum judicio innixa, juxta Caſuiſticæ recentioris definitionem, probabilis conſcientiæ ſatisfaciet. Quaſi videlicet Deus, qui clavium, & ligandi ſolvendíque poteſtatem dedit, hunc in finem dederit, ut quod injuſtum eſt, ea ſola poteſtate fieret juſtum, ſtarétque pro ratione voluntas. *Unde toto Cœlo aberrant*, inquit idem Rouſſelius, *qui ſatis ſibi putant etiam apud Deum, ſi diſpenſationes quomodocunque furentur. Unusquiſque enim peribit in ſua, quæ craſſa eſt, ignorantia: & ſi cœcus cœcum duxerit, ambo in foveam cadent.*

In eodem Eccleſiæ regimine Hierarchia nundinatur judicia, ſeu cauſas ad tribunal Romanum per acceptas ab omnibus ter.

CXIII. Non ſolas leges, ſed judicia etiam Eccleſiæ per *cauſarum* Eccleſiaſticarum ad tribunal Romanum *ſevocationem* nundinari Hierarchia ſuevit. Ubi ab omnibus terris Pontifices *appellationes* acceperunt, ut poſſent ipſi interim in perturbatis aquis piſcari, per mille milliaria homines per citationes ad conſiſtorium ſuum traxerunt; pacem diſciplinámque Eccleſiæ diſturbârunt miſſis *legatis à latere*, commiſſis cauſis ſuis delegatis, munitis

nitis adversùs legum authoritatem privilegio ſuo nocentibus, & inferioribus à ſuperiorum imperio ſolutis. De hac cauſarum & litium ſevocatione ſic Abbas Urſpergenſis in Philippo Imperatore: *Vix remanſit aliquis Epiſcopatus, ſive dignitas Eccleſiaſtica, vel etiam Parochialis Eccleſia, quæ non fieret litigioſa, & Romam deduceretur ipſa cauſa, ſed non vacua manu. Gaude Mater noſtra Roma, quoniam aperiuntur cataractæ theſaurorum in terra, ut ad te confluant rivi, & aggeres nummorum in magna copia. Lætare ſuper iniquitate filiorum hominum, quoniam in recompenſationem tantorum malorum datur tibi pretium. Jucundare ſuper adjutrice tibi diſcordia: quia erupit de puteo infernalis abyſſi, ut accumulentur tibi multa pecuniarum præmia. Habes, quod ſemper ſitiſti: decanta canticum: quia per malitiam hominum, non per tuam religionem orbem viciſti. Ad te trahit homines, non ipſorum devotio aut pura conſcientia, ſed ſcelerum multiplicium perpetratio, & litium deciſio pretio comparata.* De eadem cauſarum ſevocatione ſic Germaniæ ſtatus Gravamine VII. & VIII. titulo præſcripto: *Quàm iniquè cauſæ profanæ in prima inſtantia ad Romanum tribunal judiciarium trahantur*, quiritantur: IX. *Cùm nedum juris ratio, ſed & re ipſa ſeries poſtulet, ut diſtincti ſint juriſdictionum limites, & ut quilibet ordinarius ſit ſuis finibus contentus, alterúmque in ſua juriſdictione non diſturbet: minimè tamen Pontifices Romani pro tempore exiſtentes, æquitatem hanc communem conſiderârunt, ſed neglecta hac, ad petitionem perſonarum Eccleſiaſticarum laicos non rarò in cauſis etiam prophanis, puta hæreditatum, aut pignorum, & in prima quidem inſtantia, coram ſe Romam citari, ac in jus vocari fecerunt. Quæ res nedum ita (ut prædictum eſt) in jus vocatis, ſed & totius Romani Imperii ordinibus cedit in jacturam, perniciem, contemptum,*

ris appellationes ſevocatas, de qua re querela Urſpergenſis; ipſius Imperii Romani.

ac juriſdictionis dehoneſtationem diminutionémque. X. *Item cum Romæ quiſpiam etiam laicus, interpoſito Juramento, aſſerit, aſſerit, ſe non ſperare juſtitiam apud judicem competentem in Germania, protinus ad tale juramentum admittitur, ac citatio ei contra partem adverſam decernitur. Sicque proceſſus à judice ordinario ex Germania Romam, nec judice interpellato, nec parte adverſa monita protrahitur inde juramenti prætextu nec fori declinatio, nec ulla admittiur probatio, etiamſi planè doceri poſſet, authorem illum pejeráſſe. Quæ res ſi altiùs radices ageret, nec principio reſiſteretur, omnes tandem cauſæ ad Romanæ Curiæ tribunal devolverentur, ordinariique univerſi ſua privarentur juriſdictione &c.* Infra *Grav. lxx. & lxxj.* iidem querelam inſtituunt, quòd *judices Eccleſiaſtici cauſas promiſcuas, quæ eorum civili etiam magiſtratu in jus deduci poſſunt, ſibi ſolis vendicare conentur:* quódque *cauſæ profanæ ſub prætextu denegatæ executionis, ad Eccleſiaſticum conſiſtorium trahantur.*

Bernhardi Claravallenſis; CXIV. Ante Status hoſce pridem Bernhardus *de Conſideratione* ad Eugenium ſcripta *lib iij.* Pontifici illi appellationes iniquas graviſſimè exprobravit: *Quouſque*, ſic ille inter alia, *dormitas? Quouſque non evigilat conſideratio tua ad tantam appellationum confuſionem, atque abuſionem? Non locus, non modus, non tempus, non cauſa diſcernitur, aut perſona. Præſumuntur leviter paſſim plerúnque & nequiter. Volentes malignari, nonne his potiſſimùm terreri ſolebant? Nunc terrori ipſi ex his magis fiunt, atque id bonis. Antidotum verſum in venenum, non mutatio dextræ Excelſi hæc. Appellantur boni à malis, ut non faciant bona, & ſuperſedent à voce tonitrui tui formidantes. Denique appellantur Epiſcopi, ne illicita audeant matrimonia ſolvere vel prohibere. Appellantur, ne rapinas, ne furta, ne ſacrilegia, & quæ ejuſmodi ſunt;*

puni-

punire ullatenus vel cohibere præſumant. Appellantur, ne indignas & infames perſonas à ſacris officiis beneficiiſque repellere, ſeu amovere queant. Quod tu invenis remedium morbo huic, ne quod repertum ad remedium fuit, reperiatur ad mortem? Zelatus eſt Dominus domum orationis factam ſpeluncam latronum. Tu ejus miniſter diſſimulas miſerorum refugium datum arma iniquitati. Videas præripi paſſim partes oppreſſorum, & prorumpere ad appellandum non tam gravatos, quàm gravare volentes. Quid hoc myſteris? Tuum eſt conſiderare, non meum commentari iſtud. Et cur, inquis, malè appellati non veniunt, oſtenſuri ſuam innocentiam, malitiam convicturi? Dico quod dicere ad hoc ſolent: Nolumus vexari fruſtrà. In curia eſſe, qui procliviùs faveant appellantibus, foveant appellationes. Ceſſuris Romæ domi ſedere ſatiùs. Fateor me non omninò decredere his. Quem das mihi in tam crebris appellationibus, quæ hodiè fiunt, qui pro expenſis itineris vel nummum reſtituerit illi, quem fortè appellaverit? Mirum verò, ſi ita omnes & appellantes juſti, & appellati rei veſtro examine inventi ſunt. Diligite, inquit, juſtitiam, qui judicatis terram. Parùm eſt juſtitiam tenere, niſi & diligas: Qui tenent, tenent: qui diligunt zelantur. Amator juſtitiæ inquirit juſtitiam, & proſequitur eam. Porrò omnem injuſtitiam perſequitur. Nihil tibi & illis, qui appellationes venationes putant. Pudet elogii, quod apud Ethnicos vertitur in parabolam: Duos novimus ſervos pingues. Ut mitiùs loquar, plus facetiæ hic, quàm juſtitiæ. Hactenùs Bernhardus, cujus verbis ſacerrimum illum Romanæ Curiæ morbum, quo jam olim cauſas, & earundem appellationes nundinari ſuevit, prodere è re duxi.

CXV. Detectus idem ille morbus in Concilio Tridentino, eique quæſita remedia ſunt. Ea occaſione Johannes Grop- *& Iohannis Gropperi in Concilio Tri-*

dentino mota, & à Ioh. Baptiſta Caſtello nequicquam repulſa panduntur.

Gropperus, Colonienſis Theologus, in ipſo Concilio appellationum abuſus graviter perſtrinxit. Summa orationis huc redit, inauditum fuiſſe appellationis nomen, quandiu fidei Chriſtianæ fervor duravit, ac demùm deferveſcente in judicibus charitate, & dato affectibus loco, eas in Eccleſiam irrepſiſſe, ad ſublevandos primùm afflictos. Appellatum eſſe primitùs non ad unum aliquem, puta Epiſcopum, ſed ad congregationem univerſam. Poſt, ſublatis Synodis viſum eſſe Epiſcopis, more ſecularium judicum, forum & officiales inſtituere. Neque in hoc veſtigio malum pedem fixiſſe, ſed ad abuſus majores, quàm in foro ſeculari gradum ſtruxiſſe. Illic enim provocationem non fieri, niſi ad judicem immediatè ſuperiorem, neque à cauſa interlocutoria. Contra in judiciis Eccleſiaſticis & appellari à ſingulis actis judicis, unde cauſarum immenſitas naſcatur & immediatè ad ſupremum, unde ſequatur, ut extra territorium, magno cum ſumtuum impendio, & aliorum intolerabilium malorum mole, proficiſcendi neceſſitas. Sic omnem prorsùs populi corrumpi diſciplinam, cum maximo populi onere, ſumptu, offendiculo. Abuſibus verò his occurri poſſe idem ajebat, ſi vetetur, *ne appellaturi intermedios judices prætervecti, ad ſupremum uno ſaltu provocent, & ne ab articulis, aut decretis interlocutoriis provocatio fiat, decernatúrque ut reſtituantur Synodi, & Officiales profligentur.* Hìc tamen Gropperi ſermo Legato Pontificio, iiſque, qui Pontificem ſuſtentabant, gravis accidit, qui ruiturum brevi Papatum arguebant, ſi appellationes ad Pontificem reſtringantur, vel interdicantur penitùs. Subornatus ergò ab iis Johannes Baptiſta Caſtellus Bononienſis in ſequente congregatione, Synodalium judiciorum incommoda exaggeravit, nec non officialium inſtituendorum, & appellationum ad Pontificem neceſſitatem demonſtrare ſuſtinuit. Sed ab utraque

&

& Gropperi & Caſtelli ſententia Præſules Itali diſcedentes, mediam calcârunt viam, decreverúntque tandem, *ut provocatio ad Pontificem maneret, ſed à ſententia non interlocutoria, verùm definitiva judicum, ad Metropolitanum tanquam Sedis Apoſtolicæ delegatum, & in cauſis non civilibus, ſed criminalibus*: uti *Seſſ. xiij. Decreto, Reform. cap.* 2. habetur.

CXVI. Pertinent huc etiam matrimoniorum cauſæ ampliſſimæ, quas fictitio Sacramenti prætextu, ad forum ſuum Hierarchici pertraxerunt; haud poſtrema Babylonicæ nundinationis pars. Conjugium ſanè, licet ex accidenti, & quoad repræſentationem ſit res ſacra, ſuâ tamen naturâ contractus merè civilis eſt. Ejus proin cauſæ, ad civile non Eccleſiaſticum forum, æquè ac Civiles omnes, referendæ ſunt. Hinc adeò tot de matrimonio leges à Magiſtratu politico conditæ: tot de cauſis matrimonialibus judicia ab eodem exercita ſunt. Id ſola lectio Codicis Theodoſiani, Juſtiniani & Novellarum, in quibus de Matrimonio innumeræ leges occurrunt, abundè demonſtrat. Inter Caſſiodori formulas ſuperſunt memoriæ verborum, quibus uſi ſunt Reges Gothorum, cùm de gradibus prohibitis diſpenſarent. Et Concilium Milevitanum in quæſtione de cauſa divortii lege Imperiali opus eſſe, ſancivit. Plures ejuſmodi civiles de Matrimonio leges M. Antonius de Dominis *de Rep. Eccl. lib. vj. cap.* 6. 20. 21. &c. prodidit. Paulatim verò ad cauſas ejuſmodi dijudicandas Clerus partim per Commiſſionem, partim per Principum ac Magiſtratuum negligentiam, aditum ſibi ſtruxit, non ignarus, quantum inde commodi, & præſentis lucri non tam ad aras, quàm ad focos ſuos redundet. Hinc adeò matrimonii confirmationem & cohibitionem, diſſolutionem, impedimenta, tempora, aliáque merè civilia ſui arbitrii, beneficiique tota fecit. Nundinationis illius Spe-

Pertinent eodem cauſæ matrimoniales, quas Sacramenti prætextu, ad forum ſuum Hierarchia pertraxit.

cimen Germaniæ Status Grav. LXIX. ſub titulo: *Quomodò Eccleſiaſtici Judices illicitum ex jactatis matrimoniorum cauſis petant intereſſe*; his verbis indicarunt: *Deinceps cùm inter virum atque fœminam, de pangendis matrimonialibus ſacris illis fœderibus, negotium quod inter eos ferè agebatur, eòuſque proceſſit quòd ab alterutra partium matrimonii contractus, ex pactionibus illis, ratus perfectúſque prætendatur: at inficietur altera, datúmque eſt ab altera alteri perſonæ veſtium, aut alioqui mundi muliebris quippiam, tanquam arrhabonis loco ad ſervandum ac cuſtodiendum: accidatque deinde, ut aſſerti contractus, matrimonii ſcilicet, contemplatione, contrahentes ad Eccleſiaſticum perveniant tribunal, ac ibidem, per ſententiam in diverſum ire jubeantur, ſeparentúrque: tum judex ille Eccleſiaſticus iniquè hoc ſibi in hac cauſa prætendit intereſſe, nimirum, ut omne, quicquid hinc inde arrhabonis vice traditum ſit, ſibi cedat, tanquam commiſſum. Id quod nedum contra omnia jura, ſed & æquitatem ac honeſtatem ipſam procul dubio eſt.* Sed univerſa illa nundinatio ex Taxæ pretiis ſuprà *Theſ. ex.* expoſitis, cognoſcitur rectiùs.

Nundinationes Hierarchicæ operum pietatis & charitatis ex quæſturis eleemoſynarum;

CXVII. Ad *opera pietatis & charitatis*, eorúmque cauponationem accedimus. Nam & illa in rem quæſtuariam converſa eſſe, ſatis conſtat, adeò ut *quæſtorum Eleemoſynariorum* nomen jam olim ſatis innotuerit, eorum videlicet, qui ex eleemoſynis in pia opera collatis, quæſtum captârunt. Cujus impietatis occaſionem paucis pandemus. Viſum eſt antiquitùs pium conſultúmque in gratiam peregrinorum, pauperum, pupillorum Xenodochia, Noſotrophia, & Orphanotrophia, aliáque id genus opera pia inſtituere. Cúmque ad id non aliundè, quàm ex Elemoſynis fidelium facultates ſuppeterent, pii quidam bonique viri eleemoſynas domatim colligendi provinciam

Digitized by Google

ſibi ſumſerunt; atque ut faciliùs aditus pateret, fideſque major dictis eſſet, Epiſcoporum literis συστατικαῖς ſeſe communiverunt. Alii etiam metuentes, ne Epiſcopi remoram objicerent, ab ipſo Pontifice facultatem unà cum literis commendatitiis impetrârunt, idque eò procliviùs, quòd pars emolumenti propter diplomatis expeditionem Romanæ Curiæ cederet. Hæc inſtitutio confeſtim immanem in abuſum degeneravit. Nam à pecuniis corrogatis minima pars in opus inſtitutum impenſa eſt, & ii ipſi, quibus quæſtuariam exercendi facultas conceſſa eſt, in locum ſuum viles atque infames æruſcatores quoſdam ſubſtituerunt, quibus cum eleemoſynarum commoda partiebantur, aut certè iiſdem quæſtum omnem pretio locabant. Denique ſordidum hoc hominum genus, ut quæſtum uberiorem facerent, mille artibus impiiſque fraudibus populo illudere, inſolenti habitu amicti, ignes, aquas, tintinnabula, crepitacula circumgeſtare, terroris ſuperſtitioniſque in plebejorum animis concitandæ gratia, miracula ficta narrare, indulgentias prædicare, & ſtipem dare recuſantibus, diriſſima quæque imprecari. Atque hæc illi, Deo hominibúſque inviſi, Apoſtolicis ſcilicet freti privilegiis & facultatibus, impunè perpetrârunt.

CXVIII. De ſacrilegis hiſce Eleemoſynarum quæſtoribus in Concilio Tridentino inſtituta quæſtio eſt. Non paucis eos diris omnibus devoventibus, eò res perducta eſt, ut quæſtorum illorum nomen & uſum penitùs abolendum eſſe omnes ſtatuerint. Decretum confectum eſt, quod *Seſſ xxj de Reform. cap.* 9. ejuſmodi recitatur: *Cùm multa à diverſis anteà Conciliis, tam Lateranenſi ac Lugdunenſi, quàm Viennenſi adverſùs pravos Eleemoſynarum Quæſtorum abuſus remedia tunc adhibita, poſterioribus temporibus reddita fuerint inutilia, potiúſque eorum malitia ita quotidiè magno fidelium omnium ſcandalo & querela*

rela excreſcere deprehendatur, ut de eorum emendatione nulla ſpes ampliùs relicta videatur: ſtatuit, ut poſthac in quibuſcunque religionis Chriſtianæ locis eorum nomen atque uſus penitùs aboleatur: nec ad officium hujuſmodi exercendum ullatenus admittantur: non obſtantibus privilegiis, Eccleſiis, Monaſteriis, piis locis, & quibuſve, cujuſcunque gradûs, ſtatûs & dignitatis, perſonis, conceſſis, aut conſuetudinibus etiam immemorabilibus. En fœdiſſimæ hujus nundinationis non tantùm *conſuetudines immemorabiles*, ſed etiam *privilegia* à Pontifice *Eccleſiis, Monaſteriis, piis locis, & quibuſve, cujuſcunque gradûs, ſtatûs, dignitatis, perſonis conceſſa*! Ne in ſolos cerdones, & alienæ libidinis mancipia culpa æruſcationis hujus detorqueatur. Cœterùm, decreti illius, quo & *nomen* & *uſus* quæſtorum illorum aboletur, infirmitatem ſubſecutæ declarationes demonſtrant. Nomine & in ſpeciem etiam uſu abolito, res ipſa non ilicò abolita eſt. Nam *facultas quærendi Eleemoſynam*, inquiunt Cardinales declaratores decreti, *Hoſpitalibus conceditur à ſede Apoſtolica, ſi in eis realiter hoſpitalitas exerceatur: quinimò conceditur nonnunquam aliis etiam nonnullis religionis mendicantibus.* Iidem declarant, *Sedem Apoſtolicam rationabili ex cauſa concedere alicui pro loco, ut poſſit Eleemoſynam quærere*; atque tum ordinario reſcribere per hæc verba: *Has Eleemoſynas, quæ in tua Civitate & Diœceſi, pro uſu dicti Hoſpitalis dabuntur, permittas, dummodò perſonæ, quæ eas colligent, honeſtæ vitæ, & ſpectatæ religionis, & tuo judicio approbatæ ſint, minimèque participes datarum Eleemoſynarum, & Quæſtorum nomen nullo modo gerant, ſed ſimpliciter Eleemoſynarum collectores dicantur: quique non publicent ullas indulgentias, nec concionentur, nec circumferant ſua privilegia, nec reliquias, nec minis aut imprecationibus inducant fideles ad Eleemoſynam:*

ſynam: non campanellam, alidque inſtrumenta quædam inſignia ferant, non petant Eleemoſynam tanquam debitum aut ſolitum, neque ulla arte (etiam prætextu dicendi orationes S. Antonii, aut alterius Sancti, vel aliter) extorqueant pecuniam, ſed ſimpliciter, permodeſtè, & cum omni dexteritate petendo Eleemoſynam recipiant tantùm, quod ſibi liberaliter offertur &c. Hinc ergò quales illi quæſtores privilegiati ante Concilium Tridentinum fuerint; & quòd poſt Concilium cautiùs iis, ſi non caſtiùs mercandum ſit, abundè liquet. Nam ne nunc quidem, in Italia ſaltem, deſinere improbitatem illam Antonianorum Sodalium & quæſtorum, narrant conſtanter, qui terras illas cum cura perluſtrârunt. Neque id ab Hermanno Conringio *Animadverſ. in Novenam Anton.* objectum diluere antagoniſta ejus Dionyſius Werlenſis Capucinus potuit.

CXIX. Referri huc poſſunt aucupia non poſtrema ex *teſtamentis*, ſeu *piis* legatis morientium. De Eccleſiaſticorum teſtamentis ſuprà diximus. Jam olim verò etiam de teſtamentis, & hæreditatibus laicorum cognitionem Eccleſiaſtica ſibi juriſdictio vendicavit, admonitique in confeſſione ſunt ægri, ut coram Curiæ Epiſcopalis Notario teſtamentum conderent. Sic autem exceptum ſignabatur ſigillo Eccleſiaſtico, & ad clericum officii teſtamentorum Curiæ Epiſcopalis tranſmittebatur, uti variis Eccleſiæ Gallicanæ Synodis compertum eſſe Bochellus *lib. iij. Decret. tit. 22. cap. 4, 5, 6.* tradit. Qui excepturus erat teſtamentum, in mandatis habebat, admoneret teſtatorem, ut ſaluti animæ ſuæ per pia legata, ſeu pecunias aut fundos pro eleemoſynis faciendis, aut Divinis officiis celebrandis legatos conſuleret. Inde conſtitutus eſt procurator teſtamentorum, excommunicati quin etiam, qui nollent publicationes teſtamentorum in Curia Eccleſia-

aucupiis teſtamentorum.

ſtica fieri, & ſi executores intra annum muneri ſuo non ſatisfeciſſent, id omne ad Epiſcopos ordinarios remittendum fuit, à quibus executor vel hæres prehenſione mobilium & immobilium cogi poterat. Denique teſtamenta à Tabellionibus Secularibus excepta, rata non fuiſſe, niſi ab officialibus priùs approbata eſſent, P. Conierus queritur. In Anglia Epiſcopos rationes teſtamentorum exegiſſe, & jusjurandum hæredibus vel executoribus, ſe impleturos, quæ morientes conſtituiſſent, impoſuiſſe, atque inde vectigal ex bonis æſtimatis percepiſſe, Polydorus Vergilius *lib. xxvij.* ſcribit. Quin & jure Scotici teſtator inter hæredes ſuos Eccleſiam ſcribere debuiſſe, ex *Reg. Majeſt. lib. ij.* 36. liquet. Teſtis quoque Bodinus *de Rep. lib. v.* 2. eſt, avorum ſuorum memoria in Gallia honore ſepulturæ caruiſſe, qui teſtamento nihil curionibus aut Collegiis Eccleſiaſticis legaſſet. *Cùm verò*, inquit idem, *inopinato caſu quiſquam occubuiſſet, Sacrificulus Pontificis juſſu, mortuo teſtamentum condere, & quæ vellet Eccleſiæ arbitratu ſuo, quaſi teſtator, legare ſolebat, quem morem, tametſi inveteraverat, ſuſtulit Curia Pariſiorum.* Idem in Anglia factum, atque ibi mortuum inſepultum jacuiſſe, donec Sacerdos defuncto teſtamentum condidiſſet, Matthæus Paris *in Richardo I.* aliique teſtantur. Et in Hiſpania tertiam partem bonorum inteſtatorum Eccleſiæ ceſſiſſe, memorant.

Montium pietatis ſæceratoria; CXX. Neſcio an de *Montibus Pietatis* heic commemorandum nonnihil etiam ſit. Nam & ibi pietatem quæſtui haberi conſtat. Sanè Petrus Gregorius Tholoſanus *de Republ. lib. xiij. cap.* 16. *ſſ* 10. proventus, ſeu reditus, qui accipiuntur ex montibus illis, qui cum authoritate Summorum Pontificum, maximè Leonis X. (qui in conſtitutione ſua decima, juxta ordinem à Laurentio Cherubino conſtitutum, declaravit, ita demùm dictos montes pieta-

pietatis eſſe licitos, ſi nihil ab his ultra neceſſarias impenſas recipiatur, & ſi detur pro impenſis & indemnitate moderatè, excommunicatis etiam iis, qui contrarium prædicârint, & illicitos eſſe dixerint, inter bonorum Eccleſiaſticorum abuſus refert.) Erectioni vel permiſſioni montium ejuſmodi cauſam dediſſe neceſſitatem conquirendæ pecuniæ ad negotia exiſtimata conducibilia, quæ ſine præſente pecunia expediri non poſſunt, ait Tholoſanus. Et fortè initio ſublevandæ egeſtati pauperum inſervierunt. Sed procedente tempore ipſi Pontifices æris indigentes ad montes illos confugerunt, & pauperibus deſtinata, in uſum ſuum converterunt. *Irrepſerunt poſteà*, inquit idem, *multa, quæ occaſionem malè iis abutendi forſan dediſſe pluribus non immeritò videntur.* Monet etiam Pontifices, provideant accuratè, *ne pauperes, quorum gratia iſti montes præcipuè introducti dicuntur, mutuumque datum eſt*, reditibus iſtis, fœnore non dico aut uſuris lœdantur, néve occaſio fœnerandi hoc ſpecioſo nomine pietatis tegatur, contra Chriſti præceptum expreſſum: *Mutuum dantes, nihil inde ſperantes.* Deinceps quindecim ejuſmodi montes diverſis nominibus à Pontificibus Romanis, indultis variis privilegiis & juribus, inſtitutos recenſet. Sic Clemens VII. erecto monte, *fidei* dicto, ad conquirendas pecunias, quibus alma urbs Roma defenderetur, oppignoratis omnibus Sedis & Cameræ Apoſtolicæ bonis, & decem pro centum promiſſis, etiam religioſos ad pecunias in eo collocandas invitavit, cum hoc inter alia privilegio, *ut de collocatis diſponere poſſit, aliàs diſponere prohibitus, diſponere etiam in favorem illegitimorum abſque ſuperiorum licentia, atque etiam mulieres impudicè viventes, teneantur bonorum Monaſterio convertitarum;* cùm tamen alia conſtitutione idem Papa ſtatuiſſet, mulierum impudicè viventium quintam bono-

rum partem eidem Monaſterio applicari debere, mulierúmque earum diſpoſitiones & teſtamenta nullius eſſe momenti. Quæ omnia dura ſatis & parùm pia ipſi Tholoſano viſa ſunt: atque illud inprimis, quòd Pontifices alios etiam montes Romæ erexerint, velut montem farinæ & anonymos, *in quibus otioſi & epicurei viventes Romæ quidem victum habent ex reditibus ſine labore, vacantes voluptatibus. Quod certè*, inquit ille, *deteſtabile eſt. Ubi enim quis infimæ ſortis corradere poteſt ſive juſtè, ſive injuſtè alicunde pecunias*, ad montes illos confugit, & reditus ſibi comparat, ut reliquum vitæ tempus ſine labore inſtar brutorum animantium tranſigat. Non dicam etiam, ſcorta plurima ex pietate montium ſplendere & ornari. Non dicam fructus beneficiorum ex provinciis & egentibus pauperibus & clericis locorum, eo forſan impunè transferri, & poſteà in illegitimos juxta privilegium expendi.

Donationum commentis probantur.

CXXI. Taceo fictitiæ pietatis & charitatis munera, ex quæſtuoſiſſima falſorum Chirographorum officina petitas *Donationes*, puta Conſtantini M. Ludovici Pii, & Othonis M. quas poſt alios *Hiſt. Papatus Ss. lxiv.* obiter perſtrinximus. Multùm certè grani paleas illas Eccleſiæ attuliſſe, vetus de Conſtantini *Palea* proverbium habet. Non pauci equidem in medio Papatu illas, Conſtantinianam inprimis, quæ mundum immundum Papæ ὅλῳ θυλάκῳ adjudicavit, rejecerunt, atque nænia ſoricina conſoſſiorem reddiderunt; atque inter eos etiam Aeneas Sylvius, poſt Papa creatus in Dialogis ſuis, Cardinalis Cuſanus, Accurſius, Georgius Merula, de Vice-comitibus, Petrarcha, Baptiſta Egnatius, Valla, ac nuper etiam Baronius, qui Donationem Conſtantinianam à Græcis confictam, ut Romanæ Eccleſiæ Principatum ab Imperatore, non à Chriſto conſtitutam probarent, confinxit ipſe. Sed com-

commentum Baronianum Johannes Morinus, & poſt hunc, Petrus de Marca; *de Concord. Sacerd. & Imper. lib. iij. cap.* 12. toto confixit; plurimis conjecturis argumentiſque comprobans uterque, authorem figmenti eſſe Johannem Diaconum, cognomento, *Digitorum*. De quo dubitare haut ſinit Diploma Othonis III. editum ab Anonymo, id eſt, Marquardo Frehero, in quo hæc verba: *Hæc enim ſunt commenta ab illis ipſis* (Pontificibus) *inventa, quibus Johanes Diaconus, cognomento Digitorum, mutuis præceptum aureis literis ſcripſit, ſub titulo Magni Conſtantini, longa mendacii tempora finxit. Hæc ſunt etiam commenta, quibus dicunt quendam Carolum S. Petro noſtra publica tribuiſſe.* Sed eam in rem plura eruditè ſatis idem Petrus de Marca dixit. Et de inauſpicati fœtûs parente, quicquid fiat, illud ſatis conſtat, ſicut ficta quoque arguere ſolent, ita etiam putidiſſima iſthæc Donationum figmenta, Imperatoriæ *charitatis* fuco tecta, Papæ in mundana, quibus magis ille quàm Divinis rebus delectatur, poteſtatem in immenſum extuliſſe & ampliâſſe.

CXXII. Haud poſtrema *benedictionum & conſecrationum Eccleſiæ* nundinatio ſubit. Jam olim *in C. ad Apoſtolicam* 42. *de Simonia* hanc querelam relatam legimus: *Ad Apoſtolicam audientiam frequenti relatione pervenit, quòd quidam clerici pro exequiis mortuorum & benedictionibus nubentium, & ſimilibus pecuniam exigunt & extorquent; & ſi fortè eorum cupiditatibus non fuerit ſatisfactum, impedimenta fictitia fraudulenter opponunt. E contra verò quidam laici laudabilem conſuetudinem erga ſanctam Eccleſiam pia devotione fidelium introductam, ex fermento hæreticæ pravitatis nituntur infringere, ſub prætextu Canonicæ pietatis. Quapropter ſuper his pravas exactiones fieri prohibemus, & pias conſuetudines præcipimus obſervari, ſtatuentes, ut libera confe-* **Benedictionum & conſecrationum nundinatio deſcribitur.**

rantur Eccleſiaſtica Sacramenta , ſed per Epiſcopum, loci veritate cognita, compeſcantur, qui malitiosè nitantur laudabilem conſuetudinem immutare. Cœterùm, nemini obſcurum eſt, quanta, non obſtante ejuſmodi prohibitione, mercatura exercita ſit, quando pro oleo Catechumenorum, pro ſputo Sacerdotis, pro oleo Chriſmatis, pro oleo extremæ Unctionis, pro conſecratione Altarium, Templorum, Altarium linteaminum, tabularum, Cereorum, imaginum, ovorum, herbarum &c. certum pretium exigi conſuevit: Agni quoque Dei & Roſæ à Papa recens electo conſecratæ ad eos deſtinatæ ſunt, quos ampla poſſidere Imperia, Regna, principatus, adeóque mercedi reddendæ præ cœteris idoneos Papa nullus ignoravit. De impenſis immodicis in Eccleſiarum conſecrationes inſumtis, non pauci queſti ſunt. Benedictus VIII. rogatus ab Henrico Imperatore ut Templum, quod Bambergæ ſtruxerat, in Cathedralem conſecraret Eccleſiam, *ea lege annuit poſtulatis, ut quotannis ea Eccleſia Romano Pontifici, cenſus loco, numeraret centum argenti marcas, cum equo albo ac phalerato.* Sic Centuriatores Magdenburgenſes *Cent. xj. cap.* 10. referunt. De iiſdem Templorum conſecrationibus ſic Status Imperii *Grav. xlviij. & xlix.* queruntur: *Cùm Eccleſias ac Templa, prætenuia quidem Deo dicant ſacrántque nonnulli ſuffraganeorum, ſubditos, utcunque per ſe egeſtate laborantes, ſuperfluis miniméque neceſſariis ſumptibus onerant. Neque hoc contenti, quin munera quoque, & illa quidem immodica à miſera plebecula exigant. xlix. Item cùm laici Eccleſiis altaris donant ornamenta, nec non caſulas & ſimilia, ac in honorem Dei pecunias ſuas expendunt, nihilominus tamen ſuffraganei exigunt, ut talia, priuſquam ad altaris conferantur uſum, conſecrentur, pro qua demum conſecratione munera ac dona petuntur innumera.*

CXXIII. Re-

Digitized by Google

ad quam etiam corporum & cadaverum nundinatio, per quæſtum ex ſepultura occœptum, refertur.

CXXIII. Referenda huc inprimis eſt Σωμάτων *Corporum*, ſeu *Cadaverum* illa nundinatio, quam circa illorum ſepulturam in conſecratis locis, conſecrationis videlicet jure, Hierarchici exercent. Nam & ſepulturam ære redimendam eſſe, quis ignorat? Pridem Innocentius III. *C. ad Apoſtol. de Sim.* Pravas equidem exactiones pro exequiis prohibens, *pias* tamen *conſuetudines* præcepit obſervari, tali præcepto fideles obligans, ut in funeribus mortuorum, Eccleſiaſticos ducentes funus, debita mercede recognoſcant. A qua proin Innocentii conſtitutione *hoc genus expiſcandi* in exequiis *pecuniæ* manâſſe, Franciſcus Duarenus *de Miniſt. Eccl. & Benef. lib. vij.* 6. aſſerit. Eſpencæus *in Epiſt. ad Tit. cap. j.* conqueſtus eſt, *Sacramentorum multis in locis gratuitam minùs eſſe miniſtrationem, in aliquibus adeò venalem, ut etiam* CUM SEPULTURA *pauperibus denegata ſit.* Et Proceres Imperii *Grav.* L. Cœmiteria nonnunquam ſuperfluè & minùs neceſſariò *conſecrari*, non ſine gravibus laicorum impenſis: quin & campanas baptizari à ſolis ſuffraganeis, eo nomine mercedem ſtipulantibus, quam illi *munuſculum* vocare ſoleant, adeò *ut aliquando in parvis etiam villis centum floreni in tali abſumantur & expendantur baptizatione*, deplorant. Iidem *Grav. lxxxix.* Sepulturæ jus quibuſdam mortuorum cadaveribus magno ære redimendum eſſe conqueruntur. *Papalibus*, inquiunt, *ſtatutum eſt canonibus, ut his duntaxat publici juris Eccleſiaſtica denegetur ſepultura, quos manifeſtis & planè notoriis, mortalibus, ut vocant, peccatis, ex communi hac mortalium ſorte, abſque Dominici corporis ſanguiniſve participatione, migrâſſe compertum ſit. Verùm Eccleſiaſtici, non animadverſis talibus Pontificum decretis, ſorte fortunâ aquis ſuffocatos, gladio, ruina, vel incendio occiſos, jugulatos, atque vita caſu functos, etiamſi non pateat*

Digitized by Google

peccatis mortalibus obnoxii deceſſerint, nec ne, in Eccleſiaſticam tumulare ſepulturam non permittunt, quouſque tam iniquo fato mortuorum uxores, liberi, amicive ab ipſis cœmiterium non modico ære redemerint.

In juriſdictione Papali, univerſa animarum fœda nundinatio exercetur.

CXXIV. Denique & ψυχῶν *Animarum* nundinatio, toti antehac mundo, Cœlóque & inferno ignota, Hierarchiæ notiſſima eſt. Nam & animas peſtiferis illis dogmatis planè ad nundinationem, uti vidimus, comparatis, imbutas, turpiſſimè nundinatur, adeóque ſub prætextu etiam *myſterii* quo animata, ceu aureo quodam hamo piſcandis inſidias ſtruit, uti ſuprà *Diſſert.* VIII. oſtendimus, latè dominatur: & in *univerſa juriſdictione* ſua quæſtui habet, dando poteſtatem eas occidendi, ex purgatorio liberandi, in eo retinendi, denique eas gehennæ addicendi, vel in Cœlum mittendi. Hæc poteſtas ſolvendi & ligandi eſt. Conſtat, Papas etiam Angelis mandâſſe, ut animas pro Regno Papali in prœliis occiſorum rectà in Paradiſum deferrent. Quibus poteſtas illa venditur, illis animæ hominum venduntur. Hinc Baſilicæ, Templa, Altaria, Miſſæ, monaſteria, clauſtra, legata, anniverſaria, peregrinationes, cerei, & quicquid eſt lucroſi in Papatu operis, originem habet. Omnia hæc pro redemtione animarum ex inferno vel purgatorio facta ſunt. Accedit poteſtas præcipiendi, prohibendi αὐτοκρατορικῶς, & conſcientias immediatè obligandi ad ſervanda religioſè omnia, quæ Papali illi avaritiæ Regno ſtabiliendo conducere videntur. Hanc animarum nundinationem horribilem ante quingentos ferè annos Virgo Germana Eliſabetha, Prophetico Spiritu afflata, (cujus ſcripta Lutetiæ cum Præfatione Fabri impreſſa ſunt,) notavit, & deploravit his verbis, quibus Hierarchiam alloquitur: *Dico vobis, quòd iniquitates terræ, quas abſconditis PROPTER AURUM ET ARGENTUM, aſcendant coram me, ſicut fumus de igne. Numquid non animæ*

plus

plus quàm aurum & argentum, quas ſuffocatis in ignem æternum propter avaritiam veſtram? Iccirco accuſat vos religio veſtra coram me. Ecce enim fætere feciſtis ſanctificationem meam in conſpectu populi, & verſa eſt in abominationem mihi. Occupâſtis principatum Sanctorum meorum, & neſcivi. Quid mihi & vobis, exaſperatores manſuetudinis meæ? Unde aſcendiſtis turbare ovile meum, & aggravare cor meum ſuper filios meos, quos genui in amaritudine animæ meæ, in die laboris & anguſtiarum mearum? Fuit virgo iſthæc, ne de ejus authoritate litem nobis Hierarchici, vel Sciopius aliquis, eorum paraſitus, quærere auſus, *Lutherana* an *Catholica* fuerit? moveant, *Moabitica*, hoc eſt, ex eorum numero, quorum mentionem facit Daniel cap. XI. 41. qui מאב à patre, ſeu teneris pietatem didicerunt à parentibus, neque ſe Antichriſti corruptelis ſeduci ſiverunt, interdum etiam intrepidè adversùs Babylonicam impietatem teſtimonium dixerunt: quorum grandiorem numerum inferiùs producemus.

CXXV. Neque hîc præterire etiam poſſum apertam illam animarum nundinationem, qua Hierarchici animas emunt, ut emtæ lucrum deinceps majus afferant. Sic enim Papa Gregorius XIII. paſſim Collegia, ſeu Seminaria haud exiguo ſumtu inſtituit, in quibus ſcilicet à Jeſuitis, novis Nebucadnezaris Aſphenazis, educarentur formarentúrque novi ex Germania, Anglia, Græcia &c. conductitii non tam haruſpices, quorum apud Romanos olim famoſa Collegia, ſeu Seminaria fuerunt, quàm Cyclopes Euangelicorum carnes mox laceraturi, ſeu mavis gigantei Atlantes, Cœlum Pontificium humeris ſuis, ne rueret, ſuſtentaturi. Nam Alano *Apol. pro Semin. cap.* 2. referente, Pontifex ille pecuniam grandem expendit immutando Xenodochium Anglicum Romæ in Collegium,

ad quam animarum in ſeminariis Romanis cauponatio jure refertur.

cenſibúſque augendo, ac Rhemenſe etiam Collegium fovendo menſtrua eleemoſyna; ſed eum ſcilicet in finem, quem Martinus Navarrus *Conſil. lib. iij. de Regul. conſ.* 1. his verbis evulgavit: *Romæ in Collegio Anglorum eſt ſtatutum, & conſtitutio Papalis, ut quicunque illud ingredi voluerit, teneatur jurare, ſe poſt tot annos pro defenſione fidei catholicæ in Angliam profecturum, illámque ibi publicè & privatè prædicaturum.* Mera hæc animarum nundinatio eſt. Cui gemella illa eſt, qua hodiè pecuniâ emuntur animæ pauperum, & ad amplectenda Hierarchicorum myſteria auctorantur.

Nundinationi Hierarchicorum inſerviunt tum leges & canones Eccleſiæ, quibus eadem ſic firmatur, ut juſtitiæ ſpeciem accipiat;

CXXVI. Nundinationi illi, cujus ſpecies juxta filum Apocalypſeos, & dogmatum ad quæſtum comparatorum, hactenùs pertexuimus, fovendæ & conſervandæ leges, cenſuræ Eccleſiaſticæ, & officinæ publicæ ſtrenuè inſerviebunt. Etenim, ut de *legibus* dicamus, ſi patraſſent, & ſolùm patrâſſent iſta flagitia quà homines (uti quidem vix ullam Papæ alicujus electionem Simoniæ crimine vacare *Hiſt. Pap. ſ. cclxj. & cclxij.* oſtendimus,) non quà Pontifices iſta commiſiſſe viderentur, & ſubeſſet ſpes quædam, uno ſublato tyranno, proximum rectiùs gubernacula Eccleſiæ tractatûrum. Sed facinora ſua legibus illi confirmârunt, effeceruntque ut leges illæ pro Canonibus & regulis Eccleſiaſticæ diſciplinæ acciperentur. Hinc adeò frequentatæ illæ *Decretales, Clementinæ, Extravagantes,* & verè quidem extra modum vagantes, *Conſtitutiones Apoſtolicæ,* & irregulares illæ, ut ita dicam, *Regulæ Apoſtolicæ Cancellariæ, Taxæque* publica authoritate introductæ, & ſancitæ. Quarum omnium ſpectatus finis & uſus adeò craſſus, adeò palpabilis eſt, ut Budæus, Juriſconſultus doctiſſimus, Gallorum Regis Secretarius, gravem querimoniam inſtituens, de magna Pontificum & Cleri iniquitate ac avaritia, culpam ejus omnem in leges eorum & juriſdictio-

ctionem conferat. *Pontificiam*, ſic ille *de Aſſe lib. v.* ſcribit, *juriſdictionem ſic degeneràſſe cernimus ex caritate priſca, ut ubi æqui boníque ſinus ſolebat eſſe, ibi litium officina capturarúmque improbiorum nunc eſſe videatur. Inde illa formularum aucupia, & rituum Pontificiorum cautiones, ad circumſcribendam familiam Domini concinnatæ. Inde mulctarum compendia Præſulibus enata. Indidem ſacrilegæ nundinæ earum rerum, quæ in commercio humano ſine piaculo eſſe non poſſunt. Mitto teſſeras non modò veniales, ſed etiam venales, impunitatem ſcelerum, & ſolutionem ſacrarum legum, ſordida benignitate largientes. Itaque ſacroſanctos Canones melioribus annis factos, ut iis velut regulis vita Clericorum dirigeretur, jam in amuſſes plumbeas evaſiſſe, quis non videt? Quales olim fuiſſe canones Lesbiæ ſtructuræ tradit Ariſtoteles. Nam ut Canones plumbei & molles non ſtructuram operum tenore æquabili dirigunt, ſed ex ſtructorum commodo & libidine flexiles, ſtructuræ accommodantur: ſic Canones Pontificii ex uſu flexibiles, plumbei & cerei facti ſunt, ut jam diu inſtituta majorum & ſanctiones Pontificiæ non moribus regendis uſui eſſe, ſed (propemodum dixerim) argentariæ factitandæ auctoritatem accommodare videantur.* Scripſerat hæc Budæus A. MDXIV. triennio ante, quàm Lutherus quicquam contra Pontificis indulgentias attentaret. Adeò perſpicuè leges Pontificum ad ſua commoda non Eccleſiæ, ipſis prudentioribus Pontificiis judicibus vergere videbantur.

CXXVII. Atque pro his ſuis legibus, Eccleſiæ *libertatem* (ſic nundinationem illam legibus munitam appellare placuit) munientibus, πὺξ καὶ λάξ, pugnis, quod ajunt, & calcibus propugnant. Neque maximis etiam Imperatoribus & Regibus, ſi qui *libertatem* illorum, quibus ſcilicet ſe à jugo Principum ſecularium, & legitimarum poteſta- ***libertatum Eccleſia velo tecta.***

tum *liberârunt*, & in earundem dominos tranſmutârunt, pupillam attrectare videntur, parcunt. Noviſſimè documentum ejus rei in certamine Innocentii XI. cum Rege Galliæ de jure Regaliæ quod ceu Coronæ ſuæ innexum hic vindicaverat, de quo fuſiùs *Hiſt. Pap. ß. cxlj.* &c. actum à nobis eſt, vidimus.

Tum cenſuræ Eccleſiaſticæ, quibus nundinationi illi reſiſtentes, feriuntur,

CXXVIII. Cùm verò fruſtrà ſint leges, quæ legiſlatorum vim ad puniendos tranſgreſſores conjunctam nullam habent, acceſſerunt ad eas *Cenſuræ Eccleſiaſticæ*, quibus ceu violentiæ inſtrumentis Hierarchici uſi ſunt, quò ſic omnium votorum ſuorum avariſſimorum compotes faciliùs redderentur. Si quis igitur ſive Patronus, ſive Epiſcopus, ſive Archiepiſcopus, curam gregum ſuorum Romanis Paſtoribus, ſeu potiùs lupis tradere recuſaret: ſi quis flagitioſam nundinationem, & auctionem impiam Papalium diſpenſationum, abſolutionum, indulgentiarum reprehenderet: ſi quis ea ipſis vectigalia pendere renueret, quæ per Legatos ſuos, mercatores, collectores, nuntios, ſpeculatores & viatores exigebant: ſtatim pro hominis & delicti conditione in ipſum cenſura emiſſa eſt vel *ſuſpenſionis* ab officii ſui adminiſtratione, vel *interdictionis* ab uſu omni Eccleſiaſticæ functionis, vel *excommunicationis* ex ſocietate fidelium, vel *citationis*, ut ſe Romæ ſiſteret, ibidem correptionis ſupplicium ſubiturus, vel *denuntiationis pro hæretico*, ſi obſtinatus perſiſteret, Seculari brachio tradendus, ut ignibus tanquam hæreticus cremaretur. Quod in eam conſuetudinem venit, ut uſitatè Auditori Cameræ Papalis authoritas data ſit excommunicandi, aliáſque cenſuras ſtringendi, ſi lupæ Romanæ, quæ pendunt vectigalia, ut ipſis ſcortis eſſe liceat, aliique ſanctorum redituum mancipes ad diem non diſſolvant. Quid quòd quotannis in Bulla Cœnæ Domini omnes, *etiamſi Imperialis, Regali, Ducali &c.* digni-

dignitate præfulgeant, qui ſtatuta, ordinationes, conſtitutiones Pragmaticas, ſeu quævis alia decreta in genere, vel in ſpecie, ex quavis cauſa & quovis quæſito colore, ac prætextu cujuſvis conſuetudinis aut privilegii, vel quomodo libet fecerint, & publicaverint, vel factis & ordinatis uſi fuerint, unde libertas Eccleſiaſtica tollitur, ſeu in aliquo læditur, vel deprimitur, aut quovis modo reſtringitur, diro excommunicationis fulmine percelluntur?

CXXIX. Non tantùm terrorem cenſuræ Papales reſtitantibus incuſſerunt, ſed novo etiam rem faciendi compendio anſam dederunt. Nam qui excommunicat, vel ſuſpendit, vel interdicit, idem à pœna hac abſolvere poteſt. Papa autem abſolvit quandoque grandi ære ſoluto. Exemplum eadem Anglia ſuppeditat. Nam A. MCCXIII. Innocentius, Johannem Angliæ Regem excommunicavit, & univerſis in remiſſionem peccatorum injunxit, ut ad Angliam accedentes eum è Regni ſolio deponerent, aliúmque ſubſtituerent. Ut pacem Rex obtineret (perſuaſit autem ei Pandulphus, niſi confugerit ſub alas Papæ, amiſſurum omnia) reſignavit Papæ Coronam Angliæ, & *ei* (verba ſunt Weſtmonaſterienſis) *fecit homagium, & fecit de liberrima religione ancillam, ut Princeps Provinciarum fieret ſub tributo.* Fuit autem tributum ejuſmodi, *ut Rex & hæredes darent ſingulis annis Eccleſiæ Romanæ mille marcas ſterlingorum, ſcilicet pro Regno Angliæ ſeptingentas marcas, & pro Regno Hiberniæ trecentas.* Atque hoc *expilatiunculæ* nomine venit.

& quæ quandoque grandi pecunia ſummâ remittuntur,

CXXX. Sicut autem cenſuras ſuas adversùs civiles poteſtates Pontifices dilatârunt, ut inde lucrarentur aliquid: ſic contra Eccleſiaſticos Antiſtites eaſdem firmârunt Sacramento fidelitatis, quo Præſules ad defendendum Papatum & *Regalia S. Petri* obligârunt, intexentes pari-

quin etiam Sacramento fidelitatis, quo Epiſcopos Papa ſibi obnoxios fecit, corroborantur.

pariter authoritatem, qua ipſis ſolis, & præterea nemini Epiſcopos deponere liceat. Si ergò gravarentur Epiſcopi Pontificum voluntati obſequi, & ejuſdem imperata cuncta, quæ ſub Sacramento obedientiæ injungerentur, facere, at poſſeſſiones tamen dignitatéſque ſuas, etiam libertatem, denique vitam ipſam, ſi in Pontificis ditione fuerint, amittendi metu, Domino ſuo addictiſſimè ſervire didicerunt. Sic omnia repagula mercandi impunè & impudentiſſimè (uti rarò verecundus Mercator pingueſcit) adeóque furaciſſima illa ſua ſacrorum nundinatione civitates, Regna domóſque omnes depeculandi avariſſima illa Meretrix perrupit, ut non tantùm jam ei fas ſit ſic cauponari per leges, quæ factis juſtitiam conciliare ſolent, ſed cunctis etiam legibus his, pœnarum propoſitarum metu, obſequentibus uterentur.

Tum denique Officinæ & Tabernæ multiplices,

CXXXI. Neque etiam Babylonica hæc rerum ſacrarum nundinatio Officinis & Tabernis ſuis, in quibus univerſæ hæ artes excogitantur quotidiè & exercentur ſine ullo pudore, deſtituitur. Tales Romæ ſunt Conſiſtorium, Dataria, Cancellaria, Curiæ Libellorum, Signaturæ gratiæ & juſtitiæ, Pœnitentiaria, Rota, aliæque congregationes plures, in quibus ne minimum quidem reſponſum editur ſine pretio, ut in iis vetus illud apud Nazianzenum *Orat.* I. *in Jul.* quòd Phœbus ſine ære oraculum nullum reddat, quàm maximè impleatur. In Officinis hiſce videre eſt agmina mangonum, veluti Clericos de Camera, Auditores Cameræ, Rotæ, vetulos Bulliſtas, Notarios, Protonotarios, Dictatores, Scribas, Abbreviatores, Reſcribendarios, Referendarios, Rationales, Solicitatores, Plumbatores, horret animus & calamus Nundinationis inſtrumenta omnia referre.

quas inter Romæ Pœnitentiaria

CXXXII. Præcipua ex his ſunt Officinæ *Pœnitentiariæ* & *Datariæ*. De *Pœnitentiaria* ex Taxa ſæpè citata pro-

proclive judicatu eſt. Ibi enim peccata contra leges Divinas & humanas Papales in innumeras in caſibus Reſervatis inprimis, ære redimuntur. In *Datariam*, ceu naſſam quandam Romani Piſcatoris, influunt pecuniæ redactæ ex Annatis, Præventionibus, Reſignationibus in favorem, Commendationibus, Diſpenſationibus ætatis, Privilegiationibus, legitimationibus, Conceſſionibus, Expectativis, Devolutionibus, Beneficiis, Vacaturis, Exemtionibus non viſitandi, vel per procuratorem viſitandi, Concordatorum tranſactionibus, Beneficiorum permutationibus, Tolerantiis, & quæ alia exactionibus illicitis nomina Sacri iſti Publicani invenerunt. Ibi cuduntur Bullæ, quibus Curiam Romanam artificioſiore & ſolertiore μεταμορφῶσι, quàm quæ diſcipulis è Paracelſi ſchola recepta eſt, plumbum in aurum convertere, jam pridem pii doctíque viri, juſto equidem ſarcaſmo, dicere nulli dubitárunt: ſignificantes, eos, quibus per bullas beneficia conferuntur, tot impenſis nihil aliud Romæ conſequi, niſi chartas, plumbum & funiculum, cùm nihil aliud iis Roma pro tanto auro & argento dare poſſit. Nam ipſa beneficia ab ordinariis tandem ordinaria eorum poteſtate eis conferantur: præſertim ubi Bullæ ſunt in forma *Dignum*. In gratioſis verò Curia dat, quod non habet, & collatiò vera ac legitima ad ordinarios ſpectat, non ad alios. Sed & generalis regula bonis omnibus eccleſiaſticis neceſſariò annexa eſt, ut nemo Eccleſiaſticus ex iis plus habeat, quàm neceſſitas ipſius cum magna ſobrietate poſtulet, & pro ſolis laboribus in opere Eccleſiaſtico ſuſceptis. Si quid plus accipiat aliquis, merum latrocinium ac ſacrilegium reputatur meritò. Neque negari poteſt, inſana illa Bullarum pretia, eſſe bona Eccleſiarum, pretia peccatorum, & patrimonia pauperum.

& Dataria eminent. In Dataria cuduntur Bullæ, quarum vanitas oſtenditur.

CXXXIII. Bullarum neceſſitatem pluribus ſic Bonifacius

Bonifacii VIII. pro

Bullarum neceſsitate ratiuncula diſcutiuntur.

facius VIII. *Extrav. Injunctæ de elic. in com.* amplificat: *Sanè quàm periculoſum exiſtat, quòd aliquis in officio, dignitate vel gradu fore ſe aſſerat, & pro tali etiam habeatur, niſi priùs ipſe quod aſſerit, legitimis oſtenderit documentis, tam ex civilibus, quàm ex canonicis inſtitutis colligitur evidenter. Aſſerenti namque cum mandatis Principis ſe veniſſe, credendum non eſt, niſi hoc ſcripto probaverit; nec ſimiliter creditur ſe aſſerenti Legatum. Nunquam enim Apoſtolicæ ſedi moris fuit, abſque ſignatis apicibus undecunque legationem ſuſcipere. Sed nec dicenti ſe delegatum ejuſdem Sedis creditur, vel intenditur, niſi de mandato Apoſtolico fide doceat oculata. Similiter Clerici ad alienam Diœceſin ſine ſuorum ordinariorum literis venientes, nec in ſuis recipiantur ordinibus, nec ad ſuperiores aſcendunt. Clerici quoque & Monachi, qui de ſuis Civitatibus ad alienam urbem proficiſcuntur, niſi muniti veniant ſuorum literis prælatorum, non ſunt Clerici vel Monachi reputandi &c. Præſenti itaque perpetuò valitura conſtitutione ſancimus &c.* ſtatimque decernit, ne quis promotus in Curia ad ſuas eccleſias accedere, & proventus accipere auſit, abſque literis illius Sedis, promotionem, confirmationem, & conſecrationem ſuam continentibus; ſub pœnis ſuſpenſionis à perceptione ſuorum beneficiorum. Quam Conſtitutionem poſt uterque Julius & Pius IV. innovârunt, & majori cum rigore ampliârunt. Cœterùm, incommoda & pericula illa ſic à Pontificibus illis exaggerata nulla omninò eſſent, ſi collationes iis relinquerentur, quorum propriæ ſunt. Omnia ergò illa Romanæ Curiæ, & inſatiabili ejus avaritiæ accepta referenda ſunt. Si tamen pericula ejuſmodi extimeſcenda eſſent, facilè iis per literas breves & ſimplices, aut gratis, uti olim fiebat, aut æqua pro labore ſcriptorum mercede, concedendas occurri poſſet. Quàm verò malè ageretur

cum

cum Legatis, Nuntiis, Procuratoribus, Commiſſariis, Delegatis Papæ, nec non Clericis, Sacerdotibus & Monachis, ſi ſuas illi commiſſiones, & hi ſuas dimiſſorias & teſtimoniales literas tanto pretio, quanto Bullæ ſolent, redimere neceſſum haberent? Et olim quidem ſimpliciſſimas fuiſſe literas, nulloque ære redimendas M. A. de Dominis *de Rep. Eccl. lib. ix. 9. 52. &c.* ex Decreto Gregorii M. ejuſque Regiſtro, quo earum formulæ nonnullæ continentur, probat. Etiam Innocentius III. ſimpliciores longè confici curavit, & Antonio *parte iij tit. 19. cap. j.* teſte, modum exactionibus ſtatuere decrevit, cogitans, *qualiter illam venalitatem poſſet à Curia Romana extirpare. Unde ſtatim fecit edictum, ut nullus Officialium Curiæ ſuæ quicquam ab aliquo exigeret, præter ſolos ſcriptores & bullatores, quibus etiam certum modum præfixit, diſtrictè præcipiens, ut ſinguli ſuum officium gratis impenderent. Fecit præterea Oſtiarios à notariorum Cameris amoveri, ut liber ad eos pateret acceſſus. Erat autem intra Lateranenſe palatium menſa, ſupra quam ponebantur vaſa aurea & argentea, multúſque theſaurus, quam ille ſolertiſſimus Pontifex fecit ilicò de toto palatio amoveri.* Nunc verò longiſſimo tractatu bullæ circumſcribuntur, plenæ tricis, plenæ tot conditionibus & particulis cum modis vacationis, cum expreſſione valoris, cum abſolutionibus ad effectum, cum tot Non obſtantibus, aliiſque. Et quò plures cautelæ etiam non petitæ à proviſo ponuntur, eo plus conferendum pecuniæ eſt. Quin ex ipſis cautelis, vel maximè lites ſuſcitantur, ut ſi leve quid in Bullis claudicet, alteri ſtatim impetrationem præparet: ex quo novæ Bullæ in eadem vacatione cum integro novo pretio expediuntur. Ac inſuper lites ex nova Curiæ lucra ſuppeditant, aut ſaltem novo ſoluto pretio perindè valere; & cum nova compoſitione impetrantur. O Bullas verè bullas, & ſpumam, quæ nil niſi

ventum & inanem tumorem continet, pro quo ipſo tamen tanta vis auri & argenti colligitur! Illudunt denique Datarii hi mundo Bullas ſuas ſolenniter claudentes his verbis: *Datum Romæ*, à quo Dato *Dataria* nomen habet. Rectiùs longè clauderent his verbis: *Venditum Romæ*.

Camera Apoſtolica ærarium Papæ.

CXXXIV. Quicquid porrò in Pœnitentiaria, Dataria, aliisque Officinis & argentariis, auri argentique conficitur, illud omne denique in Apoſtolicam Cameram, Papæ Burſam, & ærarium proprium, & prædarum omnium commune receptaculum infertur, demtis tamen iis, quæ officinarum illarum Miniſtri, ceu Sacri Publicani & Sectores, officia & tributa magno ſubindè pretio redimentes, decerpunt. Quorum tamen vicem pecuniæ ex æſtimationibus & venditionibus officiorum illorum ſubeunt. Hanc Cameram Innocentii VIII. Regularum Scholiaſtes *Pecuniarum Matrem* appellat. Eandem Theodoricus à Nyem *Tract. VI. cap.* 36. cum mari ſic comparat: *Camera Apoſtolica aſſimilatur mari, in quod intrant omnia flumina, & non exundat. Sic enim in iſtam portantur ex diverſis mundi partibus auri pondo millia, attamen non impletur; in qua eſt generatio, quæ pro dentibus gladios immutat, ut comedat inopes de terra, & pauperes ex hominibus: in qua ſunt multæ ſanguiſugæ dicentes. Affer, Offer. Cujus quidem Cameræ officiales gentes Cameræ nuncupantur. Benè quidem. Gentes enim ſunt barbaræ nationes, habentes ritus extraneos à moribus hominum. O juſtiſſimè gentes, rectè cum infernalibus furiis, ſeu Harpyis & Tantalo, ſortem ſitibundæ poſituræ, qui nunquam ſatiantur.*

Nundinationis Romanenſium fructus ſunt divitiæ Cleri, & expi-

CXXXV. Hactenùs *nundinationis* Hierarchicorum genera potiora, eorúmque hamos, retia, uncos, tabernas denique proſecuti ſumus. Reſtat ut eandem ex fructibus inde pullulantibus, divitiis nimirum Curiæ Romanæ, Cleri-

rique univerſi, & exterorum Regnorum expilatione, nec *latione Regnorum.*
non domeſticis teſtimoniis comprobemus.

CXXXVI. Fuit quondam tempus cùm Româ nulla unquam Reſpublica major, nec ſanctior, nec bonis exemplis ditior eſſe prædicaretur. Hæc ut Imperii, ſic virtutum omnium Lar ac domicilium audiebat. *Poſtquam* verò, Salluſtii *Catilin. cap.* 10. *&* 12. verbis uti liceat, *divitiæ honori eſſe cœpêre, hebeſcere virtus, paupertas probro haberi, innocentia pro malevolentia duci cœpit.* Igitur ex divitiis luxuria, atque avaritia cum ſuperbia invasêre. Unde civitas immutata, imperium ex juſtiſſimo atque optimo crudele intolerandúmque factum; & inter alia flagitia cumprimis, quam dixi, Avaritia, bellua illa fera, immanis, intoleranda, Divina cum humanis permiſcens invaluit; adeò quidem, ut juxta Juvenalis illud, *Romam gentilem inſatiabilis divitiarum cupiditas perdidit.*

—— Omnia Romæ
Cum pretio ——

imò ipſa urbs venalis, & maturè peritura diceretur, ſi emtorem invenerit. Ad tantam implendam ingluviem ipſa ſibi vel Roma, vel Italia non ſufficiebat, verùm *externæ opis indigebat, ac niſi Provinciarum Copiæ* (ſic, Tacito *A.* III. 54. narrante ad Romanos Tiberius) *& dominis, & ſervitiis, & agris ſubvenerint, noſtra nos nemora noſtræque villæ minimè tuebuntur.* Notúmque illud apud Juſtinum *lib. xxxviij.* 6. Mithridatis: *Ut conditores Romæ lupæ uberibus altos, ſic omnem illum populum luporum animos, inexplebiles ſanguinis atque Imperii, divitiarúmque avidos ac jejunos habere.*

CXXXVII. Hæc de vetere gentili Roma dicta, Chriſtianæ ex âmuſſim quadrant. Nam & hæc initio, ſalutari doctrinæ Chriſtianæ ſemine conſita, ſi non erat priſca illa major, erat tamen melior: ſi non cultior, at ſanctior. Quàm primùm verò illa à Chriſto prædicta infelicia lollia, *Eadem Romam quoque Chriſtianam peſſumdedit.*

ac cumprimis divitiarum ſpinæ agrum Dominicum infeſtare cœperunt, priſtinæ fidei virtutiſque puritatem corruperunt; unà cum ſuperciliosâ ſacrorum hominum ambitione, & regnandi dira cupidine, inſatiabilis avaritia ſic invaluit, ut ſitim illam nec Tagus, nec Hermus, nec Pactolus, nec poſtremò, ſi ſit aureus, totus explere poſſet Oceanus, atque, quod Alphonſum Regem Arragonum pronuntiâſſe Panormitanus *lib. j, dict. & fact. Alph. Apopht.* 8. retulit: ***Harpyæ non jam ampliùs inſulas, ut Poëtæ exiſtimârunt, incolere, ſed ex Inſulis migrâſſe in Curiam Romanam, ibique ſedem fixiſſe, viderentur.*** E reti illo piſcatorio Petrino verriculum ſibi, Regnorum florentiſſimorum opibus deglutiendis, quàm affabrè Papæ concinnauerint, vel inde conſtare poteſt, quòd non ſolùm ipſam Romam urbem, Caput rerum, unde in omnia regimen, propriam Imperatoriæ fortunæ ſedem, non paucas item alias Imperii provincias ac urbes, Aquila deplumata, fallaciter occupârunt: Verùm etiam Europæ cœteræ partem multò maximam vectigalem ſibi redditam Laverniones iſti τῶν γαλῶν ἁρπακτικώτεροι, *felibus rapaciores*, diripuerunt expilârúntque deglutiendo potiùs, ac minutatim dilaniando, quàm tondendo, quas ſuas videri volebant, oviculas: ut non magis facetè quàm verè Monachus nonnemo apud Johannem Andreæ, Juris Canonici interpretem, ***Romam fundatam à prædonibus adhuc ſapere ſua primordia***; & S. Brigida, ***Papam decem Dei præcepta in unum commutaviſſe***, DA PECUNIAM, dixiſſe videantur.

Quæ eò vecordiæ proceſſit, ut divitias veræ Eccleſiæ notam faceret.

CXXXVIII. Eò vecordiæ Hierarchici proceſſerunt, ut divitias veræ religionis notam eſſe, non muſſarent, ſed palam edicerent. De Johannis XXII. definitiva pro iis, qui Chriſtum divitem fuiſſe jactârunt, ſententia, & paupertatis contemtu, ſuprà diximus. Nuper etiam Sylveſter

Pe-

Petraſancto, Lojolæ pullus, apud Molinæum *Hyperaſp. p. 9.* ex paupertate Hugonotarum, *vanam & prorsùs nullam eſſe eorum religionem* arguit, nullam reputans eſſe religionem, ubi nummorum copia non ſuppetit. Qui etiam ſuum illud verè Babylonicum ex πετάλῳ aureo Johannis Euangeliſtæ tanquam Aſiæ Epiſcopi, aliiſque etiam futiliſſimis argumentis aſtruere conatus eſt, quem Molinæus *loc. cit.* & poſt eum Andreas Rivetus *Jeſ. Vapul. cap. 4.* pro merito depexum dederunt. Quid verò multis? Felicitatem temporalem, quæ ſine divitiarum abundantia nulla eſt, in cenſu notarum veræ & Catholicæ, Babylonicæ dixiſſet rectiùs, Eccleſiæ, ipſe Bellarminus Cardinalis, habens Rhinocerotis naſum, dixit.

CXXXIX. Sed voraginem hanc inſatiabilem Hierarchicorum propiùs ex Imperiorum & Regnorum expilationibus intueri licet. In omnes enim terras Venator ille in Sennaar, & Architectus Babelis, ſuam extendit naſſam. Germania certè, Romani Imperii nomine inſignis, pro innata probitate crimen ac dolum à Papis compoſitum altiùs non ſcrutata, ſe diutiſſimè expilandam præbuit, donec ſub onere ſuo gemens, ad ſenſum aliquem doloris & impatientiæ excitata eſt. Quamobrem expilationes iſtas ſacras inter Imperii Gravamina, uti non ſemel jam vidimus, relata ſunt. Eáſque primus Germanus Poëta Conradus Celtes, indignanti hoc carmine perſtrinxit:

Roma artibus fuit Germaniam, Galliam, Angliam, Hiſpaniam, aliaque Regna & Nationes hortendum in modum expilavit.

Quicquid in extremis habuit Germania terris,
Et mediis quicquid continet illa p'agis,
Exhauſtum eſt: totum Latias migravit in arces,
Expleat ut luxus, impia Roma tuos.

Aliorum optimorum virorum adversùs hæc βδελύγματα querulas voces infra referam. Quantum prædarum ex Galliæ Regno quotannis corraſum, & in ſacram illam Piſcatoris Romani ſagenam illapſum ſit, vix computari poteſt.

teſt. Curia ſuprema Pariſienſis defenſione pro libertate Eccleſiæ Gallicæ adversùs Romanam aulam Regi Ludovico XI. exhibita, Artic. 72. 73. *&c.* commemorat, quòd Pontifice Pio II. viginti Archiepiſcopatus & Epiſcopatus vacantes, Annatarum titulo, centum & viginti millia coronatorum; neque minùs Abbatiæ ſexaginta vacantes, & Prioratus, Decanatus, Præpoſituræ itidem vacantes centum millia coronatorum; denique Parochiæ & filiales univerſæ viginti quinque millia coronatorum, in Romanum ærarium derivâverint. Atque adeò tum exactiones Papales Regnum illud exhauſiſſe, ut ærea tantùm, & minutior moneta incolis relinqueretur, aurea omnis Romam exportaretur, iidem *artic.* 71. queruntur. Cui conſentaneum eſt, quòd Archiepiſcopi Magdenburgenſis Legatus in Sylva Locorum Communium prodidit, Lugdunenſem Archiepiſcopum in Baſileenſi Concilio edixiſſe, quòd Martini V. tempore novem milliones auri ex Gallia Romam commeaverint, non computatis immenſis ſumptibus, quos Clerici Romam frequenter euntes, redeunteſque, ibidem, & in itineribus conſumſerint. Subjicit autem hæc verba: *Judicet moratus, quanta vorago hæc.* Sed & Bodinus *de Rep. lib. v. cap.* 2. ſcribit: cùm Caroli IX. Regis juſſu cenſus in Gallia bonorum Eccleſiaſticorum ageretur, quater millies Seſtertiûm, hoc eſt, duodecim milliones reditus annui in cenſum relata eſſe extra pecuniam & gratuitas oblationes, & gravia auro templorum dona, idque parcè ac tenuiter, ne ex vero cenſu periculum aut invidia crearetur Pontificio ordini, qui ipſe, Lanovii calculo hodiè in reditibus annuis ad auri tonnas centum triginta tres, & ultra poſſidet. Idem qui ſuprà Bodinus *loc. cit.* ſibi ab Alemanno, rerum publicarum prætore narratum ſcribit, duos ferè trientes agri Gallici ad ſacrum ordinem poſſeſſione vel dominio pertinere. Hoc ſibi incredibile viſum ait, tametſi

non

non ignoraret, quatuor ſuprà centum in Gallia eſſe Epiſcopos, duodecim Archiepiſcopos, quingentos & quadraginta octo Abbates, curionum viginti ſeptem millia & quadringentos, ſi modò ſingulis urbibus & pagis ſinguli curiones tribuantur: extra minores Archimandritas, & cœnobia tenuium Monachorum vicatim mendicantium. Ac multò majores in Gallia opes Eccleſiæ futuras fuiſſe addit, niſi Johannes XXII. Nicolai Papæ decretum antiquaſſet, quo quidem licebat mendicantium ordinibus prœdia poſſidere, quæ uſu & fructu ad ſe pertinerent, nexu verò & mancupio ad Papam. De Anglia, quam Caſaubono *Præfat. ad Exercit. in Annal. Baronii* referente, ***hortum deliciarum Papis, & inexhauſtum puteum fuiſſe*** venuſtè Innocentius IV. & ipſe Papa dixit, ſuprà vidimus. Sanè per eandem tanta cum auri fame rapinas exercuêre legati à Latere, qui cum Demade ad Provincias, tanquam ***ad auream meſſem*** proficiſci ſueverunt, ut de illorum uno Othone à Gregorio IX. miſſo, Petrus Caſſiodorus Epiſtola ad Anglos A. MCCCII. ſcripta, perhibuerit, ipſum poſtquam toto triennio deteſtandis artibus pecuniam undiquaque corraſſiſſet, tandem cùm diſcederet, non tantùm pecuniæ in toto hoc Regno reliquiſſe, quantum ipſe partim jam miſerat Romam, partim abiens auferebat, Varo Quintilio non abſimilis, qui apud Vellejum Paterculum *lib ij.* dicitur ***Syriam, cui præfuerat, pauper divitem ingreſſus, dives pauperem reliquiſſe.*** Poſſent plurima veterum Angliæ Hiſtoricorum teſtimonia commemorari, qui ſuperioribus ſeculis ſæpè factum queruntur, ut propter innumerabilem Paparum rapacitatem fides in eo Regno ferè deficeret. De Hiſpania Sebaſtianus Munſterus Coſmograph. fol. 69. retulit, quòd in ea ex Archiepiſcopatibus & Epiſcopatibus quotannis ultra novem auri tonnas Quirinales illos prædones conficere ſue-

ſueverint. Ut ne quid interim de Regnis, Nationibus, Provinciis aliis ingenti numero: ne de plus quàm ter mille Epiſcopatibus, quos in orbe Papali reperiri Cardinalis Jacobatius *Tract de Concilio lib. v. art. 7. col. 7.* teſtatur, ex quorum palliis, mitris, Annatis, Reſervationibus, aliiſque cauponandi generibus ſuprà expoſitis, innumerabilem haud dubiè auri ſummam ille conficit, dicam.

Johannis xxij. opulentia à Paulo Langio meritò ſugillata.

CXL. Mirum ergò non eſt, Romanos Pontifices plus quàm Regalibus opibus abundantes, ipſis Imperatoribus & Regibus aliquando de divitiarum gloria controverſiam movere potuiſſe. Ex plurimis unum repræſentare libet Johannem XXII. illum paupertatis hoſtem longè infenſiſſimum, de quo ſic Palmerius *in Chronol. ad A.* 1334. ſcribit: *Johannes Pontifex ætatis ſuæ anno nonageſimo, pridiè Nonas Decembris Avinione moritur: relinquens in theſauris ſuis ingentem vim auri atque argenti: cujus recta comparatio fuit aurearum drachmarum quindecim milliones, hoc eſt, millies quindecim millia: quod ſcripſiſſe arduum quippe videtur. Nec legitur aliis temporibus Eccleſia Romana fuiſſe locupletior.* Quæ poſtrema verba de eodem cùm uſurpaſſet Antoninus, tale Paulus Langius, Monachus Tzizicenſis in Chronico de iis judicium tulit: *Non legitur aliis temporibus Eccleſia Romana fuiſſe locupletior, inquit Antoninus, quod quidem eſt certiſſimum. Neque enim tam dives erat temporibus Apoſtolorum, dum videlicet B. Petrus eandem rexerat Eccleſiam, qui velut verus paupertatis Chriſti Zelator petenti eleemoſynam, reſpondit: Argentum & aurum non eſt mihi, quod autem habeo, hoc tribuo. Habuit quippe alium theſaurum, virtutum ſcilicet & gratiarum, quem & egenti communicavit: Papa inops auro virtute locuples, pauper in arca, dives in conſcientia. Ditior denique procul dubio hoc tempore fuit, quàm olim Sixti Papæ & Martyris ævo, qui per*

per B. Laurentium theſauros Eccleſiæ diſtribuit pauperibus. Opulentior denique, quàm fuit Gregorii I. Beatiſſimis temporibus, qui aliquot pauperum millia quotidiè alebat. Quorum ſolicitudinem paſtoralem, gubernationem & vitam ſi iſte Papa Johannes fuiſſet imitatus, tantam auri copiam minimè poſt ſe relinquere quiviſſet: ſecurior atque Beatior, Miſericordiæ videlicet, ac bonorum operum fructu comitatus ex hoc ſeculo migraviſſet. Allegat tandem Canonem illum: *Aurum habet Eccleſia, non ut conſervet, ſed ut pauperibus eroget, non dicit,* inquit ille, *ſcortis aut hiſtrionibus.*

CXLI. Illud quoque ἀξιομνημόνευτον, quòd Cornelius à Lapide *Comment. in Act. cap. iij.* ſe apud plures fide dignos authores legiſſe ſcribit, quòd Innocentius III. apud Thomam Aquinatem, quo præſente magna ſignati auri ſumma appendebatur, jactans, non ampliùs habere Eccleſiam cauſam quiritandi cum S. Petro, *Aurum & argentum non habeo*, hoc ab eodem Aquinate reſponſo exceptus ſit; veriſſimum id eſſe, ſed Eccleſiæ tamen hoc deeſſe, quòd cum S. Petro itidem dicere claudo cuipiam mendicanti non poſſit: *Surge & ambula.* Neque proin mirum, doluiſſe Sixto IV. qui poſt Paulum II. ærarium invenit inane repertis, teſte Onuphrio, tantùm quinque aureorum millibus. Cordatè! Nam longè locupletiùs, credo, traditum Lino, Clementíque. Sed mutata erant tempora.

Thomæ Aquinatis ad Innocentium III. divitias ſuas jactantem, apophtegma.

CXLII. Audiuntur tamen, ne quid diſſimulemus, querelæ, quòd Pontifices morientes plerumque ærarium minùs grave, & millionibus onuſtum, ſucceſſoribus relinquant. Nam & modernus Papa Innocentius XI. Mercatorum maximus, & purpura, quam geſtat, voracior, clavum Papalis Imperii excipiens, querelam ſimilem moviſſe dicitur, cujus jam ingluviem non opes terrarum, nedum ſpo-

Ærarii Papalis ſubindè langueſcentis cauſa.

ſpolia tot Cardinalium vacationibus detracta explere poſſe videntur. Cœterùm, cauſæ langueſcentis ærarii tres reddi ſolent. *Prima* eſt, Lutheri peccatum geminum, auſi Papæ coronam, & Monachorum ventrem, qui ipſorum Deus eſt, juxta celebre illud Eraſmi, attingere. Cujus peccati duplicis ea vis fuit, ut non tantùm plurimæ Civitates, Provinciæ, Regna nihil ampliùs in iſtam voraginem conferrent, ſed etiam Babyloniis Mercatoribus cautiùs verecundiúſque cum obnoxiis adhuc Italis, Gallis, Hiſpanis, aliiſque, ne & ipſi fœnum admorderent, deinceps mercandum, imò quæſtus etiam ex peccatis populorum & beneficiis Eccleſiæ antehac liberaliſſimè perceptus, non tantùm multùm imminutus, ſed etiam cum populorum illorum Regibus & Principibus, ut propitiis iis uterentur, partiendus fuerit. Manſit nihilominus in Italia & Hiſpania maximus proventus minimè contemnendus, ex Annatis imprimis, decimis, diſpenſationibus, ſpoliis, belli contra Turcas, vel hæreticos gerendi prætextibus, & indulgentiis, quarum tractandarum facultas à Papa integris Monaſteriis concedi ſolet hunc in finem, ut abundans pinguedo inde in Romanam culinam, quoties lubitum eſt per tributorum, decimarum, quintarum, dimidietatum &c. exactionem derivetur: aliis denique ſubtilium exactionum generibus. Quam in rem multa Nobiliſſ. Eduinus Santis ſcripto accuratiſſimo de Statu Religionis in Europa *cap.* 29. perdoctè ediſſeruit. *Secunda* eſt, Pontificiæ Sedis ſuprà Imperatorum Regúmque faſtigium eminentis magnificentia, & Secularis ille typhus, quo ſub myſteriorum & religionis fuco ad præſtringendos populorum oculos, ut in fide & obſequio retineantur faciliùs, utitur. Quanti verò id conſtare Papæ putamus? Aulæ ſplendorem, & tot Legatorum, Nuntiorum, Corycæorum, Paraſitorum dignitatem ſtatúmque & effrœnem, quo

quo ſe ſaginant, luxum ut ſuſtineat, immenſa facultatum vi opus habet, quibus niſi Crœſus Craſſúſque aliquis par eſſe nequit. *Tertia* denique eſt, immodica profuſio ampliſſimarum opum in liberos, ſpurios, Nepotes, Conſanguineos Pontificum, qui plerúmque ſenes electi brevem in Cathedra moram proſpicientes, ſinguli ferè neceſſariis ſuis ex Eccleſiæ bonis ditandis dotandíſque gnaviter incumbunt. De quo *Nepotiſmi* ſtudio *Hiſt. Pap. ſ§. cclxx. &c.* plura diximus.

Objectio Hierarchicorum, ab Eccleſiæ Romanæ neceſſitatibus, & ſumptuum faciendorum magnitudine petita, diſcutitur.

CXLIII. Fruſtrà ergò Hierarchici Avaritiam & tot Simoniaca Stratagemata ſua ſumtuum faciendorum magnitudine & gravitate, & Eccleſiæ Romanæ neceſſitatibus exaggeratis, defendere ſatagunt. Sic enim Eccleſiæ Romanæ neceſſitates Johannes XXII. *Extravag. Cum nonnullæ I. in com. de Præbend.* Summi Pontificis & Cardinalium ſuſtentationem Eugenius IV. *Concil. Baſil. in Reſp. ad collationem Joh. de Brachenſtein* obtendunt. Cardinalis Toletus *de Inſtruct. Sac. cap.* 89. ſic ſcribit: *Dico non eſſe murmurandum contra Papam, quòd exigit pro his* (abſolutionibus & diſpenſationibus) *pecunias: non per modum pretii. Nam iſta ad ſuſtentationem dantur, qua multa indiget tanta in Eccleſia dignitas.* Atqui etiam fur pro ſuis neceſſitatibus furatur, ut habeat, unde genialiter vivat, & ſe ſuámque familiam ſplendidè alat, ornet, ditet. An propterea furtum licitum & honeſtum erit? At quæ ſunt illæ neceſſitates? ad concinnanda ne luminaria? Ad clerum Eccleſiæ utilem & neceſſarium, pauperéſve alendos? His verò faciendis ſumtibus Eccleſia Romana ſibi ſufficit, neque opus habet retia ſua aliò mittere. Ad pompam verò temporalis Principatus bona Chriſti, Eccleſiæ & pauperum inſumi & abliguriri non debent. Sed & ſuſtentatio Papæ, ſi, uti decet, frugaliter vivat, & pompas hujus ſeculi abdicet, cleróque ſuo

contentus ſit, paucis contenta eſſe poterit, ut nîl neceſſe ſit in peregrinas poſſeſſiones involare. Denique impenſæ Papæ ſi ordinariæ ſunt, habet ille Patrimonium, quod vocant, Petri, ſin extraordinariæ, veluti ſi à Patrimonio ſuo diſturbaretur, quò minùs eo uti liberè poſſit, *tunc* (ita habet Arreſtum Curiæ Parlamenti Pariſienſis in formam edicti ſub Carolo VI. d. 11. Sept. MCCCCLXVI. relatum, & à Bochello *Decret. Eccl. Gallic. lib. iv.* 5. recitatum) *cæteras monere debuit Eccleſias, excitare, adhortari & requirere de ſubſidio charitativo, quòd ei Eccleſiæ Romanæ annuì poſſet & deberet, cum tamen conſilio, moderamine & juſta cauſa, abſque præjudicio, culpa non præcedente, durante neceſſitate, ac de conſenſu & benignitate Principum, Patronorum & aliorum Prælatorum, & non cum gravamine aſſiduo & indiſtincto cæterarum Eccleſiarum.* Petrus de Alliaco, Cardinalis Cameracenſis in libello *de Reformatione Eccleſiæ*, poſtquam ex Huberto Monacho notâſſet, *cauſam diſpoſitivam ſchiſmatis Græcorum inter alias unam fuiſſe propter gravamina Romanæ Eccleſiæ in exactionibus, &c. De primo,* ait, *Gravamine, & contra hanc magnitudinem & multitudinem exactionum providendum eſſet tripliciter. Primò, per diminutionem pompoſorum Statuum, & exceſſivarum expenſarum, ut ſic Romana Eccleſia minùs eſſet oneroſa ſubjectis, & ut etiam eſſet exemplum humilitatis, & forma virtutis inſtar Chriſti, cujus iſta vicariatum, & à quo primatus honorem tenet, qui ait: Diſcite à me, quia mitis ſum & humilis corde. Secundò, per diminutionem & arctationem hujuſmodi exactionum, ſic ſcilicet, quod certa ſumma rationabilis determinaretur & limitaretnr pro moderato ſtatu Papæ & Cardinalium ſubjectis Eccleſiæ imponenda &c. ultrà quam ſummam nova exactio non poſſet imponi ſine authoritate & conſenſu*

Digitized by Google

ſu generalis Concilii. Tertiò, per diminutionem numeri Cardinalium, ita quòd non eſſet tantus & tam oneroſus numerus ipſorum, ſicut hactenùs fuit: nec Romanæ Eccleſiæ dici poſſet: Multiplicâſti gentem, & non magnificâſti lætitiam. Pluribus etiam objectionem illam Michaël Rouſſelius ipſe *Hiſtor. Juriſd. Pontif. lib. v. cap.* 4. *n.* 29. 30. *&c.* diluit, oſtendens, veteres Pontifices Gregorium M. inprimis, ab ejuſmodi exactionibus abhorrentes, ex ſolo reditu patrimoniali ſatis habuiſſe, quo & ſe ſuóſque alerent, & neceſſitatibus omnibus conſulerent, Templa multa ædificarent, reficerent, denique erga pauperes liberalitatem maximam exercerent.

Nundinatio Hierarchicorum teſtimoniis domeſticis convincitur.

CXLIV. Reſtat Hierarchicorum Avaritiam & Nundinationem teſtibus domeſticis, & è ſinu eorum petitis, convincamus. Non paucos equidem hactenùs citavimus. Et allegare penè innumera poſſemus. Sed paucis, quia in longum nimis hæc tractatio provecta jam eſt, contenti erimus, productis ex ſeptem retrò ſeculis Auctoribus graviſſimis, Imperatoribus, Regibus, Purpuratis, Theologis, Juriſconſultis, Vatibus, ne quas poſſemus altiùs querelas ſcrutemur.

Teſtes inducuntur ex Seculo Decimo, Otho III. Imperator, & Magiſter ejus Gerbertus.

CXLV. Ex *Decimo* Seculo prodeat primus Imperator Otho III. qui quales Romæ Pontifices obſervaverit, ſic *Elect. Sylv.* 2. *in fine Epiſt. Gerberti* pandit: *Romanam, Eccleſiarum omnium matrem eſſe teſtamur: ſed incuria & inſcientia Pontificum ſuæ claritatis titulos obfuſcâſſe. Nam non ſolùm quæ extra urbem eſſe videantur, vendiderunt, & quibuſdam colluviis à lare S. Petri alienaverunt; ſed quod abſque dolore non dicimus, ſi quid in hac noſtra urbe Regia habuerunt, ut majore licentia evagarentur omnibus, judicante pecunia, in commune dederunt: & S. PETRUM & S. PAULUM, ipſa quoque ALTARIA SPOLIAVERUNT. Confuſis verò Papaticis le-*

gibus, & jam abjecta Eccleſia Romana in tantum quidem Pontifices creverunt, ut maximam partem Imperii noſtri Apoſtolatui ſuo conjungerent. Jam non quærentes, quæ & quanta ſuis culpis perdiderunt, non curantes, quanta ex voluntaria varietate effuderunt, ſed ſua propria, utpote ab illis ipſis dilapidata dimittentes, quaſi culpam ſuam in Imperium noſtrum retorquentes, ad aliena, id eſt, noſtra & noſtri Imperii maximè migraverunt. Ejuſdem Imperatoris, Magiſter Gerbertus apud Baronium *ad A.* 992. *n.* 20. ſic loquitur: *Roma nunc temporis venalis expoſita, ad nummorum quantitatem judicia trutinat.*

Ex Undecimo Leo ix. Papa, Petrus Damiani Cardinalis, Ivo Carnotenſis,

CXLVI. Seculo *Undecimo* Leo IX. ipſe Papa *Epiſt.* 9. ſic de Prædeceſſoribus ſuis queritur: *Et quia abundante iniquitate, & frigeſcente charitate, S. Romana Eccleſia Catholica & Apoſtolica ſedes nimis diu obſeſſa fuit mercenariis & non Paſtoribus, à quibus ſua, non quæ ſunt Jeſu Chriſti quærentibus devaſtata jacebant mirabiliter hactenùs, Divinum conſilium voluit meam humilitatem ſuſcipere tantæ cathedræ pondus* &c. Petrus Damiani Cardinalis Epiſcopus Oſtienſis, cùm ferre Eccleſiæ Romanæ perditos mores ampliùs non poſſet, Cardinalitia dignitate & Epiſcopatu abdicato, ad ſuam cellam rediit, ubi uberrimos de Eccleſiæ Romanæ moribus, & avaritia inprimis quæſtus fudit. Inter alia *Epiſt.* 7. ſic ſcribit: *Heu Sedes Apoſtolica, Urbis olim gloria; Nunc proh dolor! efficeris Officina Simonis Magi; Terunt incudem mallei. Nummi ſunt Tartarei. Juſto Dei judicio fit iſta conditio, ut quisquis Apoſtolicam ſedem ſemel comparat, redimere non deſinat, donec malè pereat.* Idem apud Baronium *ad A.* 1061. *num.* 47. hujuſmodi ad Alexandrum II. Epigramma miſit:

Sedis Apoſtolicæ qui vult retinere vigorem,
Æqua libret rigidè pondera juſtitiæ.

Ju-

Juris enim pariles neſcit reſpicere lances,
Quem favor inflectit, ſpes vel avara trahit.
Muneribus plena qui laxat ora crumenæ,
Juſtitiæ vacuam perdit inops animam.
Cœli Roma ſeras tenet, & regit orbis habenas.
His ſi plura velit, Tartara ſola petit.

Eodem Seculo Ivo Carnotenſis floruit. Is paſſim Romanæ Eccleſiæ avaritiam perſtringit. Ex *Epiſt.* 133. ſequentia ejus verba depromere libet. *Inſuſurrârat*, inquit, *aliquis in aures Legatorum Romanorum, Ivonem in Eccleſia Carnotenſi permittere labem Simoniacam dominari. Hac de re à Legatis monitus, negat ipſe, & potiùs gloriatur, ſe multas malas conſuetudines in Eccleſia ſua inventas, & toto penè Regno radicatas avulſiſſe. Si qua autem ſunt adhuc, quæ pro conſuetudine antiqua publicè exigunt Decanus & Cantor, & alii Miniſtri ab iis, qui Canonici fiunt, me contradicente & perſequente, Eccleſiæ Romanæ conſuetudine ſe defendunt, in qua dicunt cubicularios & miniſtros Sacri Palatii multa exigere à conſecratis Epiſcopis vel Abbatibus, quæ oblationis, vel benedictionis nomine palliantur, cùm nec calamus, nec charta gratis ibi, ut ajunt, habeatur. Et hoc quaſi lapide conterunt frontem meam, cùm non habeam, quod reſpondeam, niſi Euangelicum illud: Quod dicunt, ſervate & facite, ſecundùm eorum opera nolite facere. Si autem hanc (NB) peſtem radicitùs evellere non valeo, non tantùm invaletudini meæ hoc imputandum eſt, quia ad hoc ab origine naſcentis Eccleſiæ Romana Eccleſia laboravit, nec à gremio etiam ſuo tales ſua quærentes penitùs prævaluit eliminare, nec in diebus malis regnare deſinat cupiditas, donec finito mundi termino regnum accipiat charitas.* μάλα ἐμφαλικῶς ſic avaritiæ Romanæ incurabilem *peſtem* ille depinxit.

CXLVII. In Seculum idem undecimum incidit Bernhar- *Bernhardus Corbejenſis.*

hardus, non Clarevallenſis ille Abbas, ſed Monachus Benedictinus Corbejenſis, Vir, Trithemii in ſcriptoribus Eccleſiaſticis, elogio, *in Divinis Scripturis nobiliter doctus, in ſecularibus literis peritiſſimus.* Ille *Planctum* Eccleſiæ carmine conſcripſit, ſtatumque ſui temporis Clericalem & Simoniacam impietatem vivis coloribus depinxit. Cùm non ubique obvius liber ſit, ex eo integrum carmen, quo Romanos Simones, Curtiſanos, Mercatores, Pilatos non Prælatos &c. egregiè venuſtéque depexos dedit, adſcribere non pigrabor, ut quàm fœda jam tum Eccleſiæ Romanæ facies fuerit, Monacho haud incelebri indice pateſcat. Sic autem ille cecinit:

Collationis gratia
Pertractaturus aliqua
De ſtatu clericali:
Narrabo de inſania
Quæ regnat in Eccleſia
Proceſſu criminali.
Ubique nunc religio
Recedit à veſtigio
Sanctorum Præceſſorum:
Mundanis eſt mundanior,
Et vanis multò vanior
Ubilibet locorum.
Non eſt in ea ſanitas,
Sed vanitatum vanitas,
Et omnia neglecta.
Permixta ſecularibus,
Et fœminis & maribus
Omninò fit deſpecta.
A maximis ad minimum,
Vix habet unum filium
Religio tam ſacrum:
Qui purè propter Dominũ,
Religionis habitum
Portare videatur.
Sed permulti nũc proh dolor,
Converſi quidẽ non ad cor,
Sed magis ad pulmonem:
Ut vivant commodiùs,
Et bibant glorioſiùs,
Intrant religionem.
Non ſic vos impii, non ſic,
Sed tanquã pulvis eſtis hîc,
Qui rapitur de terra.
Si vivitis neutraliter,
Torquebimini pœnaliter,
Sub Inferorum ſerra.
Indigni Deo Domino,
Deſpecti quoque ſeculò,
Peribitis in Guerra:
Vos omnes eſſe, timeo,

De

De Presbyterorum numero
Damnabili reverà.
Omnes ad Clericalia
Recurrunt, ut per talia,
Quæ ſua ſunt, acquirant:
Meſſiam non inveniunt,
Nec invenire cupiunt
Spontaneè delirant.
De Chriſti patrimonio,
Sub pompis & præconio
Viventes, intumeſcunt:
Intenti voluptatibus,
Et mundi vanitatibus,
De cappis erubeſcunt.
Non ſolùm noto Monachos,
Sed etiam Canonicos,
Et fictas Moniales:
Quæ propter Jesũ minimè,
Videntur eſſe filiæ,
Et filii ſpirituales:
Sed magis, ut divitiis
Fruantur, & deliciis,
Et cæteris cupitis.
Quæ replicare nequeo,
Nec volo, neque debeo
De iſtis hypocritis.
A quibus multa patitur
Confunditur, & quatitur
Navicula marina,
In qua dormit jã Dominus,
Quem ſuſcitat diſcipulus
Et poſtulat divina.
Væ mundo nunc à ſcandalis,
Et Clericis & laicis,
In mundo conſtitutis:
Impellitur navicula,
Jam tanta ſunt pericula,
Quòd vix ſpes eſt ſalutis.
Vix tamen ſurgit aliquis,
Et rogat Dominum pro iis
Periculis, inſtanter:
Ne navis Sanctæ fidei
Mergatur ab hypocriſi,
Quæ regnat abundanter.
In cunctis terræ finibus,
In ventis & turbinibus
Innumeris, tam dirè:
Quod niſi Deus faciat
De ſpeciali gratia,
Timendum eſt perire.
In die propinquiſſimo
Zizania cum tritico,
Et è controverſo quidem:
Nam Satan eſt in foribus,
Et in mille coloribus,
Ad deſtruendam fidem,
Quam Chriſtus ſuo ſanguine
Conſtruxit in examine
Cruentæ paſſionis:
Dum perfidos damnaverat,
Et credulos ſalvaverat
In propriis perſonis.
Quid ampliùs ediſſeram,
Si vera loquì debeam,
De vita Clericorum:
Prælati ſedent hodiè

In opulenta requie,
De ſorte miſerorum.
Vivendo ſupervacuè:
Qui charitatem maximè
Deberent exercere,
Præ cæteris fidelibus
In omnibus hominibus:
Virtutes exhibere.
Cum bonis exemplaribus
Tam fœminis, quàm maribus:
Viam ſalutis dare:
Non alta quidem ſapere:
Non fremere, non rapere:
Non aliquem truffare
Hæc eſſent meritoria,
Servorum Dei gloria,
Fidelium tutela:
Per quæ manerẽt Prĩcipes,
Et Chriſtiani ſimplices
In fidei ſequela.
Sed ubi poſſunt hæc diſcerni?
Cùm nec priores nec moderni
Pro Deo famulentur:
Imò pro temporalibus
Omnes ceu Spiritualibus
Inſiſtere videntur.
Majores cum minoribus
Indocti cum doctoribus
Et cæteri de clero,
Non habent rectam ſpeciem,
Nec curant Cæli pretium,
De Chriſto Deo vero,
Sub cujus umbra latitant,
Et ſua bona diſſipant
In pompa ſeculari:
Sunt PILATI non PRÆLATI,
Plus quàm Tyranni depravati:
In virtutibus ignari.
Per quos & grex fidelium
Tractatur in interitum,
Meſſià permittente:
Corrupti ſimul pereunt,
Abominabilésque facti ſunt
Diabolo ſuadente.
Non eſt qui bonum faciat,
Non eſt qui Deum diligat,
Inutiles effecti.
Ad munera reſpiciunt,
Juſtitiam non ſitiunt,
Deliciis illecti.
Non vivunt Chriſtianiter,
Nec juſtè, nec humaniter,
In ſeculo præſenti:
Ut magna fortalitia,
Et plura beneficia
Poſſideant, intenti.
Eorum vere ſpiritus
Inanis eſt, & irritus
Ad Dei famulatum:
Ab iſtis omnis gravitas
Egreditur, & ruit pravitas

In

In ſeculo paſſatum.
Emergit inſolentia,
Recedit conſcientia,
Communiter à Clero:
Quæ, qualis, quanta furia
Committitur in Curia?
De Curtiſanis quæro.
Nam illi ſciunt practicam
De Simone truſſaticam,
Scripturas & Calendas:
Quas ille mille artifex,
Diabolus, eorum rex
Invenit exercendas:
Ut pauperes abjiciant,
Et divites alliciant,
In modis & in formis..
Quid aliud per atria,
Quàm patens idolatria,
Et Clericus enormis.
Non pſallitur Davidicè,
Sed prorsùs hypocriticè,
De beneficiatis:
Qui qualiter & quomodo
Servire ſolent Domino,
Jam dicebatur ſatis.
Nunc de eorum veſtibus,
Et moribus & geſtibus,
Ad modicum tractabo:
In quibus fatualiter,
Et merè laicaliter
Incedunt, increpabo.
Canonici cum cæteris
Collegiorum ſociis,
Mundaniter imbuti,
In variis & ſerico
Veſtiti vadunt Jericho,
Molliſſimis induti.
Ne quid eorum corpora
Suſtineant vel aſpera
Tenerrimos offendant:
De precioſis pellibus
Subtilibus & mollibus
Camiſias emendant.
Ut placeant hominibus
Nituntur ſuis crinibus
Incedere politis:
Coronas in capitibus
Ferunt, de pilis mitibus,
Et rebus exquiſitis.
Sic imitantur Dominum,
Qui pro ſalute hominum
Eſt ſpinis coronatus:
Sic ſerviunt altiſſimo
Qui non pepercit Filio,
Dum ſtetit immolatus.
In cruce nudis genibus,
Et manibus & pedibus
Et dextra perforatus.
Sic deridetur Dominus,
A Servo nihilominus
In via proſperatus.
Præbendas habet quatuor,
Et eſt Eccleſiæ paſtor,
Vel potiùs mercator:
Si fortè chorum viſitat,
Non propter Jeſum ibi ſtat,

Præſentiæ ſpectator.
Mox habitâ præſentiâ,
Cum magna vehementia
Recurrit ad mundana:
Sequentibus conſociis,
In ſeculi negotiis
Multiplicat profana.

Cum longis, amplis manicis,
Et actibus tyrannicis,
Incedit equitando:
Perſequitur Deificos,
Subſannat ſcientificos,
In malis gloriando &c.

Ex Seculo Duodecimo Fridericus I. Imp.

CXLVIII. Inter Seculi *Duodecimi* teſtes primas Fridericus I. Imperator, Barbaroſſa dictus, obtineat. Ejus vitam Radevicus, Friſingenſis Eccleſiæ Canonicus deſcripſit. Sic autem *lib. j. cap.* 10. de illo habet: *Fridericus ſanè Imperator dolet, quòd Legati Hadriani IV. ad ſe venerint, quaſi de Mammona inquitatis inflati, de altitudine ſuperbiæ, de faſtu arrogantiæ, de execrabili tumidi cordis elatione.* Et poſteà ſic Imperator loquitur: *Quia multa paria literarum apud eos reperta ſunt, & Schedulæ ſigillatæ, ad arbitrium eorum adhuc ſcribendæ, quibus, ſicut (NB.) hactenùs conſuetudinis eorum fuit, per ſingulas Eccleſias Teutonici Regni conceptum iniquitatis ſuæ virus reſpergere, altaria denudare, vaſa domus Dei aſportare, cruces excoriare nitebantur, ne ultrà procedendi facultas eis daretur, eadem qua venerant via, ad urbem eos redire fecimus.* In reſponſione ad objecta Pontificis idem Fridericus apud eundem *cap.* 16. inter alia ſic loquitur: *Introitum & exitum Italiæ nec clauſimus edicto, nec claudere aliquo modo volumus peregrinantibus, vel pro ſuis neceſſitatibus rationabiliter cum teſtimonio Epiſcoporum & Prælatorum ſuorum Romanam ſedem adeuntibus: ſed illis abuſionibus, quibus omnes Eccleſiæ Regni noſtri gravatæ & attenuatæ ſunt, & omnes penè clauſtrales diſciplinæ emortuæ & ſepultæ, obviare intendimus. In capite orbis Deus per Im-*

Imperium exaltavit Eccleſiam: In capite orbis Eccleſia non per Deum, ut credimus, nunc demolitur Imperium.

CXLIX. Eodem Seculo vitam traduxit Bernhardus, Clarevallenſis Abbas, qui mirè paſſim & magna cum παῤῥησίᾳ Romanæ Curiæ avaritiam perſtrinxit. De appellationibus querelam ejus ſuprà deſcripſimus. *Epiſtola* 42. reprehendens nimiam Prælatorum ambitionem cum avaritia conjunctam, beneficium Eccleſiaſticum beneficio copulare conantium, ſic inter alia loquitur: *Hujus rei gratia non pigritantur crebrò terere limina Apoſtolorum, inventuri & ibi, quod magis dolendum eſt, qui ſuæ faveant improbæ voluntati: non quòd valdè Romani curent, quo fine res terminetur, ſed quia valdè diligunt munera, ſequuntur retributiones. Unde nuda loquor, nec retego verenda, ſed inverecunda confuto. Utinam privatim & in cameris hæc fierent: utinam ſoli viderimus & audierimus: utinam nec loquentibus crederetur: utinam nobis reliquerint moderni Noæ, unde à nobis poſſent aliquatenus operiri. Nunc verò cernente orbe mundi fabulam, ſoli tacebimus? Caput meum undique conquaſſatum eſt, & ego ſanguine circumquaque ebulliente putaverim eſſe tegendum? Quicquid appoſuero, cruentabitur, & major erit confuſio voluiſſe celare, cum celari nequiverit.* Idem *Epiſt.* 237. ad Eugenium Papam, reformationis Curiæ Romanæ cupidiſſimus, ſic exclamat: *Quis mihi det antequam moriar, videre Eccleſiam Dei, ſicut in diebus antiquis, quando Apoſtoli laxabant retia in capturam, non in capturam auri & argenti, ſed in capturam animarum? quàm cupio illius te hæreditare vocem, cujus adeptus es ſedem. Pecunia, inquit, tua tecum ſit in perditionem. O vox tonitrui, O vox magnificentiæ & virtutis, ad cujus terrorem confundantur & convertantur retror-*

Bernhardus Clarevallenſis.

trorſum omnes , qui oderunt Sion. Alibi *Conſid. lib. j. cap.* 10. 11. planè Divino Spiritu, & vera libertate religioſa non ſemel hanc Romanæ avaritiæ peſtem pulſat. *Si Chriſti diſcipulus es*, ſic Eugenium alloquitur, *igneſcat Zelus tuus, exurgat authoritas tua adversùs impudentiam hanc & generalem peſtem. Intuere magiſtrum ſic facientem. Ergò & tu fac ſimiliter. Erubeſcant vultum tuum iſtiuſmodi negotiatores, ſi fieri poteſt, ſi non, timeant, & tu flagellum tenes. Timeant nummularii, nec fidant in nummis, ſed diffidant, abſcindant æs tuum à te ſcientes effundere, quàm accipere paratiorem.* Sugillat potiſſimùm cauſidicos & procuratores litium beneficialium anfractus quærentes, ut inde emolumenta capiant, an rapiant, & miſeros litigantes exugant, exoptátque, ut Papa remedium adhibeat, & paucas cauſas judicandas ipſe ſumat, vel committat, eáſque graviores tantùm, & ſummariè ac ſuccinctè. Atqui nulla in toto orbe tribunalia ſunt, quæ longioribus tricis litigantes infelices involvant, quàm Sacra Romana; unde tota Curia, & ipſe Papa lucrum opimum percipit. Officia enim plurima Notariorum, Curſorum & ſimilium officialium proſtant. Et quæ multiplicantur officia, hoc pluris à Papa venduntur. Fruſtrà proin Bernhardus in votis habuit, ut litium anfractus à Papa præcidantur; quarum occaſione Curia Papalis auctior locupletiórque evaſit. Eodem libro, *Pauci*, inquit, *ad os Legiſlatoris: ad MANUS omnes reſpiciunt. Non immeritò tamen omne Papale negotium illæ (manus) agunt. Quale eſt, quòd de ſpoliis emuntur Eccleſiarum, qui dicunt tibi: Euge, euge! Pauperum vita in plateis divitum ſeminatur: Argentum micat in luto, accurritur undique, tollit illud non pauperior, ſed fortior, ac qui fortè citiùs præcurrit. A te tamen mos iſte, vel potiùs mors iſta non venit. Utinam in te deſinat! Inter hæc tu Paſtor incedis, multo & pretioſo circumdatus*

tus ornatu. Si auderem dicere, dæmonum magis quàm ovium paſcua, hæc ſcilicet ſic factitabat Petrus, ſic Paulus ludebat. Curia tua recipere magis bonos, quàm facere conſuevit. Sed & *de Conſid. lib. iij.* 1. cauſam non converſarum Auſtralium nationum idem in avaritiam Cleri conjicit. *Et forſitan*, inquit, *audiviſſemus* bonos eorum fructus, *niſi præ auro Hiſpaniæ ſalus populi viluiſſet. Tuum eſt*, ſic ille ad Papam, *& plagæ huic remedium providere &c. Quomodo & Eccleſiam Catholicam totam hoc virus infecit? Nam dum & in ipſa quoque quæ noſtra ſunt, quærimus, ſit ut invicem invidentes* &c.

CL. Nihil præter rem facturi ſumus, ſi tralatitiam illam objectionem, quòd multa hîc miniſtri Papæ deſignent, quorum culpam Papa ipſe præſtare non debeat, ejuſdem Bernhardi verbis diſſolverimus. Sic autem ille ad Eugenium: *Veniamus ad collaterales & coadjutores tuos: hi ſeduli tibi, hi intimi. Quamobrem ſi boni ſunt, tibi potiſſimùm ſunt: Si mali æquè plus tibi. Ne te dixeris ſanum, dolentem latera: hoc eſt, ne te dixeris bonum, malis innitentem. Aut ſi bonus ſis, bonitas tui ſolius, quem fructum afferre poteſt? Quid, inquam, emolumenti affert Eccleſiis Dei tua unius hominis juſtitia, ubi ſententia prævalet affectorum aliter? Sed nec tuta tibi bonitas obſeſſa malis, non magis quàm ſanitas vicino ſerpente: nec eſt, quo te ſubducas malo inteſtino. Et è regione bonum domeſticum eò ampliùs, quò ſæpiùs juvat. Sed ſive levent, ſive gravent, cui rectiùs imputandum quàm tibi, qui aut tales elegiſti, aut admiſiſti. Poteſtatem non habent, niſi quam tu eis aut tribueris, aut permiſeris.*

Thomas Cantuarienſis, Iohannes Sariſberienſis, Petrus Bleſenſis.

CLI. Eodem Seculo Duodecimo Thomas Cantuarienſis ſic apud Baronium *ad A.* 1167. de Eccleſia Romana queritur: *Ego dolendo dico rem dolendam nimis. Capta eſt urbs inclyta, quæ jam totum ferè ſubegerat orbem, ſub-*

ſubverſa humanæ gratiæ cupiditate; & quæ gladio perire non poterat, occidentali veneno infecta ſuccumbit. Proh dolor ipſius occaſu fit undique diſpendium libertatis Eccleſiæ compendio temporalium. Itur in ipſius ruinam per anfractus divitiarum. Proſtituta eſt (NB) ut fornicaria, quæ multorum libidini patet in platea. Fornicantur cum ea quilibet potentum. Idem apud eundem Baronium *ad A.* 1168. nuntium quendam Regis ſic loquentem inducit, & probat: *Dicit etiam* (nuntius) *quòd ſi Dominus Papa decederet, faceret nos deleri de libro vitæ: jactitans Curiam Romanam ita venalem eſſe, ut intervenientibus muneribus, quicquid velit, impetrare poſſit.* Qui eadem ætate floruit, Johannes Sariſberienſis, eidem Thomæ à Secretis, multa in Epiſtolis, & Policratico de Romanæ Curiæ avaritia notavit. *Romanos*, ſic *Epiſt.* 222. ſcribit, *amicis verba dare, jam nemo miratur, quia percelebre eſt, & innotuit univerſis, quòd apud eos, quantum quiſque nummorum habet in arca, tantum habet & fidei & plerunque obliquata mente legum & canonum, qui munere potior eſt, potentior eſt jure. Si ergò ibi duplicitas reperitur, nihil accidit inopinatum, cùm frequens ſit, ut Divina lex diſpendium patiatur, ubi diſpenſandi neceſſitatem fingit avaritia:* Etiam illud *Epiſt.* 232. habet: *Cardinalium nomen viluit apud Francos, eò quòd Balaamitæ, quatenus licuit inventi ſunt, & digni, qui cum ſuis Madianitis corruant gladio Moſis. Vivificant enim animas, quæ non vivunt, & Moabitarum captantes munera, populum Dei maledicto & infamia conantur involvere.* Paulò poſt: *De ſuis moribus alios metientes, nec Deo, nec hominibus habent fidem, ubi doloſi ſpes refulſerit nummi.* Voces publicas, quæ de Papa & Romana Eccleſia circumferebantur eo tempore, fideliter idem Sariſberienſis, in Policratico ſeu de Nugis Curialium editis libris,

libris, *lib. vj.* 24. his verbis deſcribit: *Romana Eccleſia, quæ mater omnium Eccleſiarum eſt, ſe non tam matrem aliis exhibet, quàm novercam. Sedent in ea Scribæ & Phariſæi, portantes onera importabilia in humeris hominum, quæ digitis non contingunt. Dominantur in Clero nec forma fiunt gregi, qui recto calle pergit ad vitam; pretioſam ſuppellectilem congerunt, auro & argento onerant menſas, ſibi etiam ab avaritia nimis parci. Nam pauper aut nullus, aut rarus admittitur, quem interdum non tam Chriſtus, quàm vana gloria introducit. Concutiunt Eccleſias, lites excitant, collidunt clerum & populum, laboribus & miſeriis afflictorum nequaquam compatiuntur. Juſtitiam non tam veritati, quàm pretio reddunt: omnia námque cum pretio hodiè, ſed nec cras aliquid ſine pretio obtinebis, &c. Sed & ipſe Romanus Pontifex omnibus gravis & ferè intolerabilis eſt. Præterea omnes arguuntur, quòd ruentibus & collabentibus Eccleſiis, quas Patrum conſtruxit devotio, altaribus quoque incultis palatia exſtruit, & ipſe non modò purpuratus, ſed deauratus incedit. Palatia ſplendent Sacerdotum, & in manibus eorum Chriſti ſordidatur Eccleſia. Provinciarum diripiunt ſpolia, ac ſi theſauros Crœſi ſtudeant reparare*, &c. Paulò poſt Papam ſic alloquitur: *Omnes applaudunt tibi, Pater omnium vocaris & Dominus: & capiti tuo infunditur omne oleum peccatoris. Si ergò Pater es, quare à filiis munera & retributiones exſpectas? Si Dominus, quare Romanis tuis timorem non incutis, & temeritate repreſſa, eos ad fidem non revocas? At urbem vis Eccleſiæ tuis muneribus conſervare. Numquid eam ſic Silveſter muneribus acquiſivit? In invio Pater es, & non in via. Eiſdem eſt conſervanda muneribus, quibus eſt acquiſita. Quod gratis accepiſtis, gratis date. Juſtitia Regina virtutum eſt, & erubeſcit quovis pretio permutari. Si gratioſa futura eſt,*

ſit gratuita, nequaquam proſtituatur ad pretium, quæ corrumpi non poteſt. Integra eſt, & ſemper incorrupta. Dum premis alios, & tu graviùs opprimeris. Quid ad hæc Hadrianus Pontifex? Riſit, & apologo illo, quo apud Livium *lib. ij.* uſus eſt Menenius Agrippa, ventris comedentis in otio, & aliorum membrorum laborantium, objecta eluſit. *Tale eſt*, inquit, *frater, ſi rectè attendas in corpore Reipublicæ, ubi licet plurimum appetat Magiſtratus, non tam ſibi, quàm aliis coacervet. Si enim exinanitus fuerit, nihil eſt quod membris valeat impartiri. Nam ſtomachi in corpore & Principis in Republica idem officium eſt.* Egregiè ſanè, O Archiflamen Babyloniæ! Quid verò Reipublicæ ſeculari cum bonis Eccleſiæ? Ea, quæ emungitis, bona ſunt Chriſti Miniſtrorum, Eccleſiarum Sanctarum & Chriſti pauperum, neque ad temporalem Rempublicam ſuſtentandam converti poſſunt. Si Princeps es ſecularis, habes principatûs tui emolumenta ordinaria, vectigalia, taxas, fiſcum &c. Bonis verò Eccleſiaſticis ne temporalia tua tegito, ſed in Eccleſiaſticos ea uſus converti cura. Et quid ſi venter tam magnus extendatur, & ſe tantoperè ingurgitet, ut ſaginato abundè proprio corpore tantum acceperit, quantum centum aut mille alia corpora ali poſſent, & tamen ex hac nimia unius repletione illa plura proprio priventur alimento? Annon venter hic dignus erit, qui diſrumpatur, atque projectus in ignem, in cinerem redigatur, ſi cibo ſibi & ſuo corpori ſoli ſufficienti & adæquato acquieſcere gravetur? Optimè enim Gerſon *de Pot. Eccl. cap.* 12. dicit, *Summum Pontificem cum Collegio ſuo ita præſidere bonis Eccleſiaſticis, ut de eis ſtatum habere ſufficientem & decentem oporteat. Sed non ita, ut caput gravidum reliqua membra obruat mole ſua, neque velit uſurpare contra naturam ſingularis membri omnia officia membrorum.* Extenuantur profectò

Ec-

Eccleſiæ omnes, & ad ſolitudinem rediguntur, miniſtri earum & pauperes fame pereunt, ut Papa modò cum ſuis Curialibus abundet, omne genus deliciis affluat, & in mundo latiſſimè dominetur. Non poſſum quin ejuſdem Sariſberienſis verba, quibus ampliùs ille avaritiam & technas Cauſſidicorum Romanenſium depingit, ex *Policrat. lib. v. cap.* 10. adducam. *Qui corruptior*, inquit, *moribus, & corrumpentior muneribus, apud iſtos beatior eſt. Si Principum manus evaſeris, grandis tibi reſtat via, arcta & ardua. antequam tortores extremos fugias, ſudandum eſt tibi: Ecce inſtrumenta tua conficit Caſſus, ſi eum ſalutare licuerit, pro magno reputa: Si Schedulam non attuleris, fruſtrà accedes: Si autem attuleris, inutilis eſt, nec acquieſcet, ut manus nobili vitio membranæ degeneret. Quid multa? Suam neceſſe eſt comparari, cum nec opera nec calamus, aut ſepiolæ, aut nigræ loliginis ſuccus tibi conſtet inemtus. Sed & ipſas ſyllabas & apices, niſi eum tibi propitium feceris, ſic diſtorquebit, tot tibi verborum ponet tendiculas, ut pro pace bellum, pro quiete litigium amici inſtrumento videatur inſcribere. Si cingulum fortè tibi venuſtius fererit, ſi inciſorium aptius, ſi quid in minuta ſuppellectile decentius, rebus ejus connumera, niſi tibi perire velis operam & impenſam. Aut enim precibus extorquebitur, aut eas liberalitate prævenies. Tandem pileum qualecunque ſit, aſportabit amicus in memoriam tui. Jam à Coſſo digredieris. Sed tibi ignis purgatorius imminet, ſupereſt Vejento, quem multâ ſolicitabis inſtantiâ, & magno artificio, geſtu, precum & munerum, ut te clauſo labello reſpiciat. Tunc de ſingulis verbis in Concilium itur, deliberationi præſcibit tempus, & apices ſinguli ponuntur in ſtatera. Niſi eum præmulſeris occurret tibi non fideliter rei geſtæ concepta ſeries, aut ſtylus oberit, aut à publica forma Notarii vel ſcriniarii divertens benignitas,*

 aut

aut negligentia juris aut aliquis ſemper nodus pecunia vindice indigebit. Ut verò minimum lædat, longa exſpectatione torqueberis, dum differtur, quod negari non poteſt. Experto crede. In manus eorum millies incidi. Fuit nempè Epiſcopus, cujus negotia fuerunt Eccleſiaſtica, & in Curia Romana ſæpiùs tractata. Pergit deinceps in eodem avaritiæ argumento, eámque pluribus excogitans, ſic inter alia loquitur: *Quid eſt, quòd apud Curiales omnia queror eſſe venalia, cùm ea etiam, quæ non ſunt, rerum ſcilicet privationes, venalitio conſtet eſſe obnoxias? Non opus, non ſermo gratuitus eſt: non tacetur niſi ad pretium. Silentium, namque res venalis eſt &c. Hoc autem à maximis pertranſit ad minimos, qui mulcentur obſequiis, & reſociantur muneribus ſibi fieri injuriam ſuſpicantur &c. Inclementiam Cerberi omnes abhorrent. Ego me credo vidiſſe Cerberos oſtiario duriores. Apud inferos tamen Cerberus unus eſt. Quot ſunt diverticula curialium, tot cerberi ſunt. Atrienſes quoque cerberos ſuſtinebis, totámque familiam, quæ ſemper aut mordet, aut latrat, &c.* Alibi *lib. viij.* 17. ironicè ſic ſcribit: *Quis ergò credat, quòd Patres Eccleſiæ judices orbis, & ut ita dicam, clariſſima lumina mundi, diligant munera, ſequantur retributiones, Provincias concutiant, ut excutiant loculos, exinanient alienos, ut ſolident ſuos, verbis prædicent paupertatem, & criminibus ad divitias properent, bonorum ſpiritualium damnent commerçia, ut cum eis duntaxat in talibus contrahere liceat, id agentes, ut omnibus ſint terrori, amentur à nullo* &c. Denique & Petrus Bleſenſis, ejuſdem temporis ſcriptor, paſſim in Epiſtolis ſuis Romanenſium avaritiam diris proſcindit. *Illud noveritis*, ſic *Epiſt.* 39. ſcribit, *quia Romana Curia me more ſuo multipliciter debitis obligavit, ſed ſi ſemel evaſero per Dei gratiam, non recidam in charybdim.* Et *Epiſt.* 42. *Nuntii veſtri*

(Re-

(Regis Angliæ) inquit, *à Romana Curia redierunt exonerati quidem argento, onerati plumbo, non multùm indumentis aut evectionibus honorati.*

Ex ſeculo Decimo-tertio Richardus Angliæ, & Alphonſus Arragoniæ Reges.

CLII. Seculo *Decimo-Tertio* duo primùm Reges teſtimonium deponent. Prior eſt Richardus Angliæ Rex, qui in orientem ad ſacrum bellum profecturus, Elienſem Epiſcopum ad Regni ſui cuſtodiam relicturus, Apoſtolica legatione firmare laboravit, idque Romæ obtinuit, ſed non ſine pretio. Audi Regem ipſum apud Rogerium *in Annal.* 1190. Cardinali Oſtienſi id, aliáſque avaritiæ turpitudines exprobrantem: *Quòd ſeptingentas marcas debuerint habere pro conſecratione Epiſcopi Cenomanenſis, & mille ac quingentas marcas pro legatione Elienſis Epiſcopi, & pecuniam magnam, ne deponeretur Burdegalenſis, qui à Clericis ſuis accuſabatur in crimine.* Poſterior, Alphonſus Arragoniæ Rex eſt, quem de *Harpyis* ex inſulis in Romanam Curiam digreſſis ſuprà lamentantem vidimus. Id JCti, Panormitanus *lib. de dictis & factis Alphonſi*, & Gomeſius *in Præf. regul. de valore benefic.* tanquam ſcitum quoddam apophtegma laudant. De advocatis tamen Curiæ Romanæ Alphonſum locutum eſſe, Sciopius regerit; quaſi non catulæ dominas imitari ſoleant. Et tamen Alphonſus de *Romana Curia* univerſa apertè locutus eſt.

Stephanus Tornacenſis, Guilhelmus Durandus Mimatenſis, Petrus Thullenſis, & Everhardus Salisburgenſis Epiſcopi.

CLIII. Neque eadem ætate Eccleſiaſticorum etiam nullæ querelæ auditæ ſunt. Etenim Stephanus Epiſcopus Tornacenſis adhuc Abbas in Monaſterio S. Genevæ, inſtaurationem Eccleſiæ illius molitus, Romanam Eccleſiam *Epiſt.* 165. haud obſcurè ſic pungit: ***Parietes reficere incepimus, comparata jam lignorum macerie, quæ & ſuperponatur innovatis parietibus, & tecto plumbeo ſupponatur. Sub quodam mendicantes rogamus & petimus, ut aliquid de benevola & benefica liberalitate veſtra mittatis nobis,***

 quo

quo plumbum emamus, non Romanum, ſed Anglicum: quoniam Anglico plumbo teguntur Eccleſiæ, nudantur Romano. Guilhelmus Durandus, Epiſcopus Mimatenſis, eodem tempore de modo celebrandi Concilii generalis tractatum ſcripſit, Pariſiis A. 1545. excuſum. Ibi *Parte ij. tit. 20.* agnoſcit, *hæreſin Simoniæ maximè corrumpere Eccleſiam univerſalem, & univerſos populos. Et proviſa remedia jam pro nihilo reputari. Et cùm in Curia Romana publicè contrarium fiat, ac ſi non eſſet peccatum committere Simoniam, vel ſi dare & accipere poſt, non eſſet ſicut dare & accipere antè. Ex quo provenit, ſicut Gregorius Francorum Regibus ſcribit, quòd fides deperit.* Eam Simoniam dixerat paulò antè maximè exerceri *in Curia Romana, in qua cœtus D. Cardinalium vult habere unà cum Domino Papa, certam portionem à Prælatis, qui promoventur ibidem.* Infrà *tit.* 41. conqueritur, *quòd Romana Eccleſia cauſas electionum multis viis & remediis ad ſe trahit, & Eccleſiæ remanent longis temporibus viduatæ &c. propter appellationes inanes & frivolas deductas ad Romanam Curiam, ubi lites efficiuntur quodammodo immortales.* Probus Tullenſis Epiſcopus, qui A. 1280. vixit & floruit, Aventino *Annal. lib. vij.* recitante, his acerrimis verbis Avaritiam, aliáque Romanæ Curiæ ſcelera perſtringit: *Quouſque Collegæ chariſſimi, Romulei illi vulturei patientia, ne dicam ſtultitia noſtra abutentur? quouſque eorum flagitia, avaritiam, ſuperbiam, luxum, tolerabimus? Non ceſſabit hoc genus Archiſynagon peſſimum, niſi omnes ad egeſtatem & ſervitutem duriſſimam redegerit. Diſcordiâ noſtrâ hocce malum crevit, diſcordiâ noſtrâ nebulones illi tuti ſunt.* Denique Everhardus Salisburgenſis Epiſcopus, eodem Aventino, eodémque libro referente, ſic coram Imperii Panegyri de Romanorum avaritia oravit. *Flamines illi Babylonii ſoli regnare cupiunt, parem fer-*

ferre non poſſunt: non deſiſtent, donec omnia pedibus ſuis conculcârint, atque in Templo Dei ſedeant, extollantúrque ſupra omne id quod colitur. FAMES OPUM, ſitis bonorum INEXPLEBILIS eſt. Quò plura avido conceſſeris, eò plura appetit.

CLIV. Ad Seculum *Decimum-quartum* feſtinantes, principem ea ætate teſtem citamus Glorioſiſſimum Imperatorem, Ludovicum Bavarum, qui in Edicto Imperiali ſic inter alia pronuntiavit: *Jam egregii illi Paſtores opibus & ſplendore à majoribus noſtris aucti, pacem ferre nequeunt, Cæſarem Italiâ, Româ, Chriſtum terris extruſêre, illi Cœlum quidem permittunt, inferos atque terras ſibi aſſeruêre. Aviditate potentiæ, PECUNIÆ ima ſummis miſcet, OMNIA VENALIA, DEUM ET INFEROS habet* &c. In alio Edicto ſic idem queritur. *Homines ſceleratiſſimi; cruentiſſimis manibus, IMMANI AVARITIA, nocentiſſimi, & iidem ſuperbiſſimi, itidem luxu effœminati, atque ambitione perditi, quibus fides, decus, pietas, poſtremò vitia, virtutes, HONESTA ATQUE INHONESTA OMNIA QUÆSTUI ſunt, arcem Reipublicæ Chriſtianæ occupant, tumultum ex tumultu, bellum ex bello ſerunt. Caput factionis, Jacobus ille de Baburca, qui ſe Papam Johannem XXII. nominat, ingentem vim pecuniæ, quam undique à Chriſtiana plebe fraudulenter corraſit, adversùs Sanctos Dei, Imperio Chriſtiano devotos expendit.* Ab hoſte Pontificis, ob confirmationem ſibi denegatam, profecta hæc teſtimonia Scioppius cauſſatur. Scilicet hoſtes Papæ, adeóque inteſtabiles omnes ſunt, qui eum non adorant. Sed ſi vel maximè Papa ille Ludovico Imperium, quod unanimi Principum Germaniæ ſuffragio obtinuit, neque Papali ulla confirmatione indiguit, confirmâſſet, an hic propterea pro ſua magnanimitate illa, quæ tum temporis jam lippis & tonſoribus

Ex Seculo Decimo-quarto Ludovicus Bavarus Imp.

Digitized by Google

bus nota erant, Romanæ Eccleſiæ ulcera atque σκύβαλα reticuiſſet?

Alvarus Pelagius.

CLV. Memoratu digna cumprimis ſunt, quæ Alvarus Pelagius, Sylvenſis in Portugallia Epiſcopus, ejuſdem Seculi Scriptor eximius, libro *de Planctu Eccleſiæ*, de Romanenſi Avaritia & Simonia poſteritati reliquit. Inter alia *lib. ij. art.* 15. Nepotiſmum vivis coloribus depingit iis verbis, quæ *Hiſt. Pap. §. cclxxij.* fuſiùs repræſentavimus. Idem *lib. j. art.* 67. inter alia multa, ſic Eccleſiæ Romanæ avaritiam perſtringit: *In bonis temporalibus dilatata, ſpiritu minorata, & in terrenis voluit dilatari, non contenta terminis ſuis etiam temporalibus legitimis, quos habebat, ſed etiam inſuper invaſit terminos alienos. O ſponſa mea, quis te excæcavit, ut nuditatem meam non aſpiceres! & eam nuditate tua non cooperires? Verè pulvis terræ te occæcavit, humor craſſus telluris pupillam oculi tui obtenebravit. Auro, & argento & gemmis, & diverſis coloribus me cooperuiſti, ſed decepta fuiſti, & illaqueavit te Synagoga aurea, cui ſucceſſiſti authoritate: quæ templum ſuum & templi vaſa deaurabat, & aurum quærebat, & poſſeſſionem in terra, ſed carnalis erat, & cæca & rudis, & prona idololatrare, & carnalibus ſacrificiis dedita, ne flueret. Quàm longè jam diu viæ tuæ à viis meis fuerunt! In ligno, & à ligno regnavi, meum Imperium dilatavi. Et tu ſemitis contrariis labores meos caſsâſti, poſſeſſione me filiorum tuorum & meorum pro majori parte privâſti, & fidem meam & tuam quaſi ad nihilum reduxiſti, & in fabulam ac deriſum eam apud exteros conduxiſti, & apud laicos propter malum exindè datum, ſcandalum poſuiſti, dicentes: Ubi eſt Deus clericorum ſic viventium?*

Franciſcus Petrarcha, Marſilius

CLVI. Addam ex eodem Seculo quatuor verè inclyta nomina, Franciſcum Petrarcham, Marſilium Patavi-

num

num Albericum Roxiatum, & Johannem Vitoduranum. Petrarcha paſſim in Epiſtolis ſine titulo libera candidáque de Synagoga potiùs Babylonica, quàm Eccleſia Romana judicia profert, quæ alibi diſertiora referam. Satis hîc erit, quæ inter alia calamitates urbis Romæ deplorans *Epiſt.* 15. profert, verba exhibuiſſe. *Vides, inquit, populum non modò Chriſti adverſarium, ſed quod eſt gravius, ſub Chriſti vexillo, Chriſto rebellantem, militantem Sathanæ, & Chriſti ſanguine tumidum atque laſcivientem populum, cui non modò propriè convenire dixeris Euangelicum illud atque Propheticum: Populus hic me labiis honorat, cor autem eorum longè eſt à me: Sed illud etiam Judæ Iſcariotis, qui Dominum ſuum prodens & exoſculans ajebat, Ave Rabbi: & Judæorum, qui indutum purpurâ, coronatum ſpinis, percutientes & conſpuentes illuſione amariſſima, flexis poplitibus adorabant & ſalutabant: Ave Rex Judæorum. Quid enim? quid, oro, aliud aſſiduè geritur hos inter Chriſti hoſtes, & noſtri temporis Phariſæos? Nonne etenim Chriſtum ipſum, cujus nomen die ac nocte altiſſimis laudibus attollunt, quem purpurâ atque auro veſtiunt, quem ſalutant & adorant, eundem in terra EMUNT, VENDUNT, NUNDINANTUR eundem, quaſi velatis oculis non viſurum, & impiarum opum vepribus coronant, & impuriſſimi oris ſputis conquinant, & vipereis ſibilis inſectantur, & venenatorum ictuum cuſpide feriunt, &, quantum in eis eſt, illuſum, nudum, inopem, flagellatum, iterum atque iterum in Calvariam trahunt, ac nefariis aſſenſibus cruci rurſus affigunt. Et O pudor! O dolor! O indignitas! Talium hodiè Roma eſt.* Alibi ſic Hierarchicorum Simoniam deſcribit: *Auro triſtis Janitor mollitur, Auro Cælum panditur, quid multis?* AURO CHRISTUS VENDITUR. Jàm & Marſilius Patavinus in Defenſore Pacis

Patavinus & Albericus Roxianus.

cap. 24. Romanam Curiam *Domum negotiationis* apertè inſignit, ſubjiciens: *Quid aliud Romæ, quàm Simoniacorum undique concurſus?* Præmiſerat hæc verba: *Quoniam Simonia, quamvis poſt factum expleatur, ampliſſima eſt, quod eadem poteſtate redditus & proventus beneficiorum omnium, & ubique, quo primùm anno vacantia fuerint, ſibi reſervat, ſecundùm hunc modum ſibi congregans omnes mundi theſauros, & eiſdem omnia Regna ſpolians, atque Provincias, in quibus diſtribui debent miniſtris Euangelicis, & perſonis miſerabilibus, aut in Reipublicæ, de qua ſumuntur ſubſidium oportet converti, quoniam ad hoc ſtatuta & ordinata fuerunt.* Albericus quoque Roxiatus JCtus celebris, qui A. MCCCXL. claruit, in Dictionario Juris Civilis & Canonici, verbo *Roma,* hos ætate ſua tritos verſus memorat:

Curia Romana non quærit ovem ſine lana.

Et

Roma manus rodit, non dantes ſpernit & odit.

Item

Si caput à capio, vel dixeris à capiendo
Tunc eſt ipſa Caput: omnia namque capit.
Si declinando capio, capis ad capiendum,
Retia laxavit, retia larga nimis.

Denique Johannes Vitoduranus *ad A.* 1344. ſic exclamat: *O Deus quanta avaritia, idolorum ſervitus Eccleſiam fœdavit & deformavit! Quando S. Petrus, cæterique Apoſtoli, & eorum Succeſſores, Martyres, Doctores, Eccleſiæ militantis fundamenta ponentes, credidiſſent, vel credere potuiſſent in noſtris temporibus ſtatum Eccleſiæ quandoque inclytum & glorioſum, fore ex peſtifera radice avaritiæ taliter deturpandum? Impletum eſt verbum Jeremiæ: A majori ad minimum omnes ſtudent avaritiæ.* Plura ex eodem Celeb. Hott. *Anal. p.*43. &c. affert.

CLVII. Se-

Digitized by Google

Ex Seculo Decimo-quinto Regum Galliæ Sanctio Pragmatica: Eccleſia Græcæ.

CLVII. Seculum *Decimum-quintum* excipit. Eo celebratum Concilium Baſileenſe, *Seſſ.* 21. Annatas ante & poſt illud tempus Romæ receptas damnâſſe, ſuprà vidimus. Eodem Seculo in Gallia Carolo VII. Rege cuſâ, & A. MCCCCXXXIX. promulgata Pragmatica Sanctio, Pontificiæ circa Annatas, Exſpectativas, ſimiléſque expilandæ Galliæ artes Simoniæ fibulam impoſuit. Eam Sanctionem cùm inſtante Pio II. abolere Ludovicus XI. Caroli filius cogitâſſet, Senatus Curiæ Pariſienſis ſupremus interceſſit, Regique inter alia demonſtravit: *Niſi ſanctio Patris valeret, quotannis è Galliis Romam elatum iri decies centeno millia aureorum.* Cùmque Rex nihilominus Papæ aſſenſurus videretur, Procurator Regius, & Schola Pariſina magnis animis obſtitit, & à Papa ad Concilium provocavit. Dein Ludovicus XII. graves hoc nomine inimicitias exercuit cum Julio II. donec Franciſcus I. in prœdæ partem cum Papa veniens, cum Leone X. certis conditionibus Bononiæ tranſegit, & Sanctioni Concordata ſuccenturiavit. Accedit hiſce publicum Eccleſiæ Græcæ teſtimonium. Teſtis enim eſt Johannes Mandavilla *lib. j. cap.* 7. Illos Johanni XXII. ſub jugum ſuum eos mittere molienti, laconicè ſic reſpondiſſe: *Potentiam tuam ſummam erga ſubditos tuos firmiter credimus: Superbiam tuam ſummam tolerare non poſſumus: Avaritiam tuam ſatiare non valemus. Diabolus tecum, quia Dominus nobiſcum.*

Æneas Sylvius, Cardinalis Cuſanus.

CLVIII. Qui eadem ætate ſpiritum traxit, Æneas Sylvius, nondum Papali typho corruptus, *Epiſt.* 66. ſic ſcripſit: *Nihil eſt quod abſque argento Romana Curia dedat. Ipſa manuum impoſitio, & Spiritus S. dona venduntur: nec peccatorum venia niſi nummatis impenditur.* Cardinalis quoque Cuſanus *de Concord. Cathol. lib. ij.* 40. ubi Curiæ Romanæ Reformationem exoptat: *Et quia,*

inquit, *paſſim promotiones ad fortunam in curia fiunt, illuc confluunt omnes à teneris annis ibi agentes, & expectantes ditari, ac poſtponunt ſtudia & religionum exercitia: deferunt aurum & argentum, & reportant chartas.*

Nicolaus Clemangis. CLIX. Ex Nicolao Clemangis, Pariſienſi doctore, & Archidiacono Bajocenſi, qui eodem Seculo librum de corrupto Eccleſiæ ſtatu, aliáque ſcripſit, eam in rem plura afferri poſſent. Afferam pauca. Inter alia de Papa hæc habet: *Qui emolumentis Romani Epiſcopatûs, Petrique patrimonio ſuper Regna quæque ampliſſima non contentus, in aliena ovilia lana & lacte copioſa incurrit, omniúmque Præſulatuum & Eccleſiarum vacantium, quocunque per orbem terrarum Chriſtiana religio tenditur, jura & collationes ſibi tribuit, & legitimas electiones Paſtorum ſuis reſervationibus, proviſionibus & advocationibus irritas fecit: & Eccleſias annua, biennali, triennali, quandoque quadriennali fructuum exactione; decimis, angariis, procurationibus, Prælatorum ſpoliis, & infinitis aliis oneribus oppreſſit, & collectores ad hæc omnia exigenda per omnes provincias inſtituit, non ſine horribili abuſu ſuſpenſionum interdictionum & anathematum, ſi quis ſolvere recuſabat. Et eam negotiationem per Curiæ ſuæ lites & Cancellariæ regulas exercuit, ut domus Dei facta ſit* SPELUNCA LATRONUM. *Et Cardinales ſuos, tanquam ſui Pompatus ſocios, ex ſortis infimæ clericatu in elationem evexit, ut Reges ipſos æquiparare contendant: & per diſpenſationes ſuas locupletavit ipſos, ut officia, beneficiáque non quidem duo vel tria, decem vel viginti, ſed centena & ducentena, & interdum uſque ad quadraginta, vel quinquaginta aut ampliùs, eaque non parva, vel tenuia, ſed omnium pinguiſſima, & optima poſſideant. Replevit Eccleſiam mutis canibus, & malis beſtiis per uſur-*

uſurpationes, exemtiones, compoſitiones, Simoniam, proſtitutionem, & fornicationem cum Principibus terræ commiſſam, ut tueatur ſuperbiam, libidinem, luxúmque Regificum ſtatûs ſui mundani, quem ultra Reges & Imperatores extulit. Inter ejuſdem opera extant rythmi, quibus Papæ & Curiæ Simoniam graphicè ille depingit. Curiam Papalem confert cum *Freto Siculo.* Dicit; *Eam ſorbere aurum, imò totum mundum devorare inſtar Scyllæ & Charybdis, ita ut vix ſit poſſibile, homines ab ea ſibi ſervare vel obulum.* Addit, *Romæ venalia eſſe jura: plus dantem meliùs allegare: Ibi Nummum loqui, & Leges tacere. Apud Papam non eſſe locum niſi danti. Papam derivari à papando, quia omnium opes devorat.* Hortatur turgida marſupia, *Romam modò veniant, ibi enim eſſe Medicos qui ea purgare ſciant.* Qui eodem Seculo vixit, Felix Malleolus noſtras *Recapitul. Jubil. p.* 62. ſic ſuorum, Nicolai inprimis V. temporum Simoniam depingit: *Nunc facie ad faciem experienter videmus, quòd in Curialibus & Officialibus poſt majorem, & uſque ad minimũ nunquam viſus eſt execrabilioris exorbitationis, direptionis, deceptionis, circumventionis, derogationis, exactionis, corraſionis, & omnis, ſi audemus dicere, Simoniacæ pravitatis, adinventionis novæ, & renovationis antiquæ, continuationis uſus & exercitatio continua, quàm pro nunc, & tempore Pontificis moderni* (Nicolai) *& interim pauperum nullus eſt adjutor.* Dixerat paulò ſuprà, *ſub Bonifacio IX. Simoniam, cœteráque omnia vitia præ frequentatione non ampliùs fuiſſe palliata.*

CLX. Laurentius Valla, Romanus Senator, & Alphonſi Arragonum Regis ac ipſius Papæ Secretarius, qui mendaciſſimam Conſtantini M. Donationem ſolidiſſimè refutavit, ſic inter cœtera Romanæ Curiæ ſtatum deplorat: *Meliùs Summus Pontifex ab augendo* AUGUSTUS, *di-* *Laurentius Valla, Baptiſta Mantuanus.*

diceretur, niſi quòd dum temporalia auget, ſpiritualia minuit. Papa & alienas ſitit opes, & ſuas exſorbet, ut Achilles in Agamemnone δημοβόρος βασιλεύς. Dico, & exclamo (neque enim timebo homines, Deo fretus) neminem mea ætate in Summo Pontificatu fuiſſe, ut fidelem diſpenſatorem & prudentem, qui tantùm abeſt, ut dederit familiæ Dei cibum & eſcam panis. Papa & ipſe bella pacatis populis infert, & inter civitates Principéſque diſcordias ſerit. Papa & alienas ſitit opes, & ſuas exſorbet. Jungam ex eo Seculo unum Baptiſtam Mantuanum, ſic Romanæ Curiæ in Alphonſo *lib. iij.* ſtatum depingentem:

—— Petrique domus polluta fluente
Marceſcit luxu. Nulla hîc arcana revelo.
Non ignota loquor, liceat vulgata referre:
Sic urbes populíque ferunt, ea fama per omnem
Jam vetus, Europam mores extirpat honeſtos.
Sanctus ager ſcurris, venerabilis ara Cynædis
Servit, honorandæ Divam, Ganymedibus ædes.
Quid miremur opes, recidiváque ſurgere tecta?
Thuris adorati globulos & cinnama vendit
Mollis Arabs, Tyrii veſtes: venalia nobis
Templa, Sacerdotes, altaria ſacra, coronæ,
Ignis, thura, preces, Cœlum eſt venale Deúſque.

Plura ex eodem ipſe Eſpencæus *in cap. j. ad Tit.* excerpſit.

Ex Seculo Decimo-Sexto Imperator Maximilianus I. Hadrianus VI. Cardinales Pauli III.

CLXI. Ex Seculo Decimo-ſexto ad teſtimonium dicendum prodeant Imperatores, Principes, Papa, Cardinales. Gravamina Imperii crebrò à nobis allegata, Imperatore Maximiliano I. & Principibus Imperii Pontificiis adhuc authoribus compoſita, & poſt à Principibus Pontificiis & Proteſtantibus, Norimbergæ Papæ Legato exhibita, Imperatoris & Principum de Romanorum nundinationum

num extrema impudentia reconditum ſenſum clariſſimè patefaciunt. Idem verò Maximilianus Cæſar, cùm à Legato Pontificis Cardinale Cajetano A. MDXVIII. urgeretur ad ſumtus in bellum Turcicum conferendos, Eccleſiaſticorúmque per Germaniam decimas eidem devovendas, reſpondit: *Vix poſſe ſperari, ut ab ordine ſacerdotum illud impetretur. Nam Curiæ Romanæ variis ac ſubindè novis artificiis illorum facultates atque jura vehementer impediri: populum verò, ſi quid imperetur, clamare, toties jam hoc nomine datam eſſe pecuniam, & demirari, quomodo profuſa ſit, quove cenſus ille pervenerit è ſolis Annatis per Germaniam collectus?* Inter Hadriani VI. Papæ laudes Onuphrius hoc retulit, *quòd reſervas, acceſſus, regreſſus, coadjutorias, & id genus alia Romani aucupii neſcio* inquit, *quo nomine appellata retia, quæ facilitate Leonis ſupra modum propagata erant, ex parte ſuſtulerit, præſertim quòd ea via plurimi probroſi ineptique ad optima Sacerdotia obreperent, qui pecuniam haberent, qua nihil non parare eſt, maximè Romæ, ubi probi literatique, qui eam non haberent, ab eis excluderentur.* Faſſus idem eſt per Nuntium ſuum ad Comitia Imperalia A. MDXXII. miſſum, *in Sede Sancta aliquot jam annis multa abominanda fuiſſe, abuſus in ſpiritualibus, exceſſus in mandatis, omnia denique in perverſum mutata*, addens, Prælatos ac Sacerdotes maximè indigere reformatione, quomodo *Salvator curaturus infirmam civitatem Hieruſalem priùs Templum ingreſſus ſit, ut Sacerdotum peccata (ementium inprimis & vendentium) primò caſtigaret.* Facit huc conſilium Cardinalium & Præſulum à Paulo III. delegatorum de emendanda Eccleſia, eidem Papæ exhibitum, & à nobis in Hiſt. Pap. *ſſ. clxvij. clxviij.* commemoratum. Ibi abuſus Curiæ plurimos, inprimis circa *ordinationem Clericorum, collationem beneficiorum eccleſiaſticorum, maximè*

mè Curatorum, expectativas, reſervationes beneficiorum, abſentiam Clericorum ab Eccleſiis ſuis, gratias & diſpenſationes &c. ad incudem revocatos cernere eſt.

Franciſcus Duarenus; Dominicus Soto, Iaſon, Budæus, Eraſmus, Eſpencæus, Sanſovinus.

CLXII. Langii Citizenſis, Eraſmi, Budæi, aliorúmque ex eadem ætate teſtimonia ſuperiùs laudata repetere nihil attinet. Ex Franciſco Duareno nonnulla jam quoque allegavimus. Idem verò *de S. Eccleſ. Min. & Benefic. lib. v.* 8. ſic ſcribit: *Ex aula Pontificis Romani proficiſcuntur diplomata, quibus mandat ac præcipit beneficia quibuslibet conferre. Convenit tamen inter omnes, quotquot ſunt, juris Pontificii enarratores, hanc beneficiorum diſtribuendorum rationem apud veteres in uſu non fuiſſe. Avaritia etenim aulæ Pontificiæ poſt aliquot Secula hoc novum pecuniæ aucupium adinvenit, quod nunquam veteribus in mentem venerat. Res ipſa loquitur, & nos quotidiè ſatis docet experientia, quantum hæc lues peſtiſque noceat Eccleſiæ.* Suprà *lib. j. cap.* 6. ſic idem ſcripſerat: *Quis eſt adeò imperitus rerum, ut Romanæ Curiæ artes non nôrit, & quantum ea hirudo Gallici exſorbeat ſanguinis quotidiè non intelligat? Dicam, quod à Viris peritiſſimis, ac diu in Republ. verſatis non ſemel accepi, quanquam incredibile videtur, quotannis variorum diplomatum à Pontifice obtentorum nomine, ad ſeptingenta, aut eo ampliùs aureorum millia Romam hinc exportari ſolere, quæ ita illic velut capta vinctáque detineantur & cuſtodiantur, ut nullo unquam poſtliminio ad nos redeant. Quid multa? In proverbium abiit jam pridem Romana permutatio, plumbi videlicet cum auro.* Tot artium Romanarum turpitudinem etiam Dominicus Soto, homo Pontificiæ poteſtati addictiſſimus, vidit, & *de Juſt. & Jure lib. ix. q. 4. art.* 4. ſic modeſtè perſtrinxit: *Congruens fuit Dei præceptum, ut Decimarum decimam ſummo Sacerdoti penderent. Qua utique ratione ſummus Pontifex, juſta in-*

ingruente neceſſitate decimam decimarum à Clero exigere valet. Imò verò utinam univerſalis, eaque perpetua toti Clero imponeretur: ſi tamen illa ratione omnis alia occluderetur in perpetuum via & modus alia commentandi jura, aliáſque excogitandi artes ſuſtentandi Apoſtolicam ſedem, quibus Eccleſiaſticæ leges non poſſunt non periculoſiſſimè arctari. Jaſon Magnus, JCtus celebris *in L. qui Romæ ß.* Sejan 16. *ff. de verbo oblig.* Sic Imperatorem & Papam contendit: *Imperator tanquam Aquilas prædam ſuam partitur, nec curat in omnibus epulis os ſuum apponere, tanquam ſit inſatiabilis. Secus eſt in Papa, qui quaſi totum continet.* Ex Claudio Eſpencæo multa ſatis hanc in rem ſuprà excerpſimus. Longum nimis foret huc ſevocare graviſſimas ejus de Romanenſium αἰσχροκερδία querelas, quas *Com. in Tit. cap. j.* ſub titulo *Turpilucri* conſignavit. *Annon*, ſic querelam ſuam auſpicatur, *αἰσχροκερδία eſt clariſſima, quòd tam multa poſitivo tantùm jure præcepta vel prohibita, eouſque ligant homines, donec pecunia ſibi harum conſtitutionum gratiam impetrent? Ita ut Regina rerum pecunia divitibus licitum faciat, quod pauperibus illicitum eſt, quia divitias, hoc eſt, ſpinas non habent. Hæc enim ſic demum procedunt, ſi gratis ea facere quis intendat. Quòd ſi doloſi ſpes refulſerit nummi, jam quod priùs erat interdictum liberè fit ac impunè. Tum diverſa eſt in his relaxandis divitis atque pauperis conditio. Vix enim quicquam prohibetur, quàm ut ne quis gratis controveniat, & quod vetatur numeratâ ſtatim pecuniâ diſpenſatur, quaſi nullum ſit peccatum majus, quàm nummis carere.* Ut *quidam apud Horatium ſerm.* 2. *ſ.* 3.

Credidit ingens
Pauperiem vitium.

Et quod alter lib. 3. *elog.* 7.

Nunc ſit barbaries grandis habere nihil.

Latè deinceps hoc argumentum ita perſequitur, ut vix in Romanenſium inſatiabili Avaritia & Simonia deſcribenda ardori ſuo ſatisfacere poſſit. Denique Franciſcus Sanſovinus Venetus, deſcribens Romanæ Curiæ adminiſtrationem primùm in *Conſiſtorio*, deindè in *Pœnitentiaria*, tum *in Curiis libellorum*, altera *gratiæ*, altera *Juſtitiæ*; poſteà in *Cancellaria*, & poſtremò in *Camera*, tantundem perſtringit, quantum à nobis dictum eſt de importuna Pontificum libidine, in officiariorum ordinatione, tractatione cauſarum, bonorum Eccleſiæ adminiſtratione, cenſurarum abuſu, & legum Eccleſiæ ſanctione. Etiam hoc addit ampliùs, quo manifeſtè docetur, quàm degenerent Papæ ab Epiſcopali ſtatu ad Regium, *eſſe certum* videlicet, *Præſulem conſtitutum, quem Vicarium Romanum appellant, cui earum rerum omnium intra Romanæ Diœceſeos fines curam mandârunt, quæ ad quemque in ſua Diœceſi Epiſcopum ſpectant, & quæ ſimiliter ad ipſos in ſua pertinent, quâ propriè ſunt Epiſcopi Romani.*

Nundinationem Hierarchicorum morbum incurabilem eſſe, ex hiſtoria Concilii Baſileenſis,

CLXIII. Fundus calamitatis eſt, quòd nullam Hierarchia Simoniacæ hujus pravitatis emendationem hactenùs paſſa eſt, vel patietur unquam, donec Chriſtus è machina cœli Babylonicum ejus Emporium deſtruet. Nullius enim mortalis, ſed ſolius Chriſti judicio hic ſe ſubeſſe, pertendit. Id quod diſertis verbis ex hypobolimæo Anacleto ſuo Juris Canonici Conſulti *C. 2. q. 6. cap.* 15. probare conantur. Ibi enim Anacletus ſic *Epiſt. 2.* ad Epiſcopos Italiæ ſcribens inducitur: *Accuſatio quoque eorum, ſuper quæ nos conſulere voluiſtis, non niſi ab idoneis & probatiſſimis viris, qui & ſuſpicionibus & ſceleribus carent, fieri debet: quia Dominus ſacri ſui corporis tractatores à vilibus reprobis, ac non idoneis perſonis infamari noluit, nec calumniari permiſit: ſed ipſe proprio flagello peccantes Sacerdotes è Templo ejecit, unde liquet, quòd Summi Sacer-*

do-

dotes, id eſt, Epiſcopi à Deo ſunt judicandi, non ab humanis aut pravæ vitæ hominibus lacerandi, ſed potiùs ab omnibus fidelibus portandi: ipſo Domino Exemplum dante, quando per ſemet ipſum, & non per alium vendentes & ementes ejecit de Templo. Et paulò poſt: *Nullus enim, ut reor, invenitur inter nos, qui velit ſuum ſervum ab alio, quàm à ſe judicari. Quod ſi præſumptum fuerit, aut multa ipſe indignatione iraſcitur, aut potiùs ultionem quærit ſuper eum.* Et infra: *Unde & Dominus per Prophetam inquit: Qui vos tangit, tangit pupillam oculi mei.* Sic ſolus Chriſtus *idoneus* ille & *probatiſſimus* Vir eſt, qui Hierarchicorum illorum collybiſtarum menſas evertere poſſit. Atque ita rem habere, argumento eſt, quod ipſorum Conciliorum, quæ hactenùs menſas illas everſura videbantur, contentionem nullo ferè negotio Papa ſufflaminavit. Olim quidem dum adhuc moribus ſanctior, & doctrinâ purior eſſet Eccleſia, *ſi* quando *Romani Epiſcopi* (ſic Auguſtinus *epiſt.* 162. ſcribit) *non boni judices fuiſſe putarentur, reſtabat adhuc plenarium univerſæ Eccleſiæ Concilium, ubi etiam cum ipſis judicibus cauſa poſſet agitari, ut, ſi malè judicare convicti eſſent, eorum ſententiæ ſolverentur.* Aſt deinceps, quando religio, ad ſuperſtitionem, & more Cleri ad nimiam ambitionem ac avaritiam incubuerunt, Concilium appellare cauſa remedii licuit nemini, niſi ei, qui piorum cœtu moveri; quod & Bulla Cœnæ Domini obnuntiat, & Archiduci Sigiſmundo, & ejus Oratori Heimburgenſi accidit: aut etiam laqueo vitam finire; quod Andream Carnorum Archiepiſcopum, procurante Sixto IV. Pontifice, paſſum fuiſſe eandem ob cauſam ſcribunt; vellet. Atque id etiam aliquot nonniſi ad inanem ſpeciem indictis Conciliis clarè patuit. Nam in Concilio Baſileenſi Cæſaris ac Principum expectationem fruſtrati Hierarchici, talia vel conſimilia decrevêre: *Clericus*

 cur-

curtam veſtem non gerat: laxas manicas in tunica non habeat: Cardinalis ſupra 30. beneficia Eccleſiaſtica non poſſideat: concubinam Clericus apertè ne foveat: crines ac barbam minimùm ſemel in menſe tondeat. Atque hæc anilia deliramenta *Eccleſiæ Reformationem* appellare auſi ſunt. Ubi verò ejuſdem Synodi Patres id meditantes conantéſque, ut graviora quædam reformarent, plenitudinem Pontificiæ poteſtatis arctioribus limitibus concludebant, amputando maximam partem *Reſervationum* ejus, omneſque *expectativas gratias*, & *compoſitiones*: contrahendo etiam *citationes, diſpenſationes, appellationes, numerúmque & poſſeſſiones Cardinalium*; inprimis definiendo, *Papam teneri Synodo obedire:* Onuphrius in Rom. Pontif. & Card. hinc pronuntiat, *illos ſub prætextu reformandi Remp. Chriſtianam, pleraque Romanæ Eccleſiæ privilegia, & ea, quæ magis neceſſaria, omninò tollere & antiquare ſtuduiſſe.* Concilium igitur, Papa tergiverſante, & ſuum illud *Non obſtante* opponente, irritum cecidit. Sic planè Sigiſmundus Imperator populis undequaque conquerentibus ſpem fecerat, curaturum ſe in Concilio Conſtantienſi, ut de reformanda Eccleſia cogitaretur: nec omiſit Concilii Patres eo nomine ſeriò ſolicitare, eò impenſiùs, quòd capite nondum conſtituto (novi enim Papæ electio tum ſuſcipienda erat) de eo in ordinem redigendo Concilium & majore cum authoritate, & minore cum contradictione ſtatuere poſſit. Concilii igitur Præſes, Cardinalis Hoſtienſis, quædam decreta legit, de quibus Concilium ſententiam ferre rogatur, ut à Papa futuro ante Concilii ſolutionem publicarentur: atque inter ea etiam *numerum, qualitatem, notionem Cardinalium: Reſervationes, Annatas, Expectativas gratias & collationes, Regulas Concellariæ & Parlamentarias, Indulgentias, Decimas*, &c. quæ nihilominus omnia poſt ele-

ctio-

ctionem Papæ terminanda rejiciuntur: haud dubiè, quia angebat eos, quod Sigiſmundo excidebat, verbulum, qui dicentibus, *Reformationem inchoandam eſſe à Minoritis*, reſpondit; *Imò à Majoritis;* Papam & Cardinales innuens. Pontifice ergò electo omnis reformatio abrupta, & ex mandato Papæ pronuntiatum eſt: *Domini, ite in pace;* quibus verbis *dimittebantur, ſublato* inquit Platina in Martino V. *omnium conſenſu, maximè verò Imperatoris:* quo rogante, ut ſaltem pauxillum in Germania moræ facerent, neceſſitatem Romam redeundi obtendit Papa, *quòd Sanctorum Capellæ per abſentiam ſuam collaberentur*. Regreditur igitur Pontifex in Italiam, ovans haud dubiè, quòd ſolertiâ ſuâ formidabilem hunc Reformationis ſcopulum evaſiſſet.

CLXIV. De Reformatione nundinationum in Tridentino Concilio ſuſcepta, frivola illa, ludicra, hypocritica, deſultoria, & in unius ſoliuſque Papæ arbitrio poſito, in Anatome Concilii Tridentini paſſim multa diximus. Omnium penè malorum radicem in Papa & Curia Romana, & utriuſque tyrannide, avaritia, luxu, ambitione fixam vix attingere, certè tollere Patres illi auſi non ſunt. Si qua ſalutaria decreta, Pontificémque Curiámque obliquè ferientia, cudi viſa ſunt, iis nervos ſuccidit omnes tum ſecutum *Seſſ. xxv. cap.* 21. decretum, *ut in omnibus de morum Reformatione & Eccleſiaſtica diſciplina decretis ſalva ſemper Sedis Apoſtolicæ authoritas & ſit, & eſſe intelligatur:* tum jus interptetandi & declarandi ſingula Concilii decreta, quod, Synodo indulgente, ſibi Papa reſervavit. Quæ duo efficere poſſe, ut omnia Papæ & Curiæ noxia decreta in nihilum recidant, & ſenſim ſine ſenſu in antiquum cuncta ſtatum redigantur, Pontifici de confirmando Concilio anxio Cardinalis Amulius & Epiſcopus Veſtanus ſuggeſſerant. Multorum abuſuum, nundi-

& Tridentini demonſtratur.

dinationum multarum fontem *non-reſidentiam*, & *Epiſcoporum mediatam inſtitutionem*, quàm mala fide abrogaverint, tractaverintque, fusè ſatis oſtendimus. *Iſta Tridentini Concilii Reformatio*, ſic Julius Clemens Scotus, Monachus Servita Italus, *Not. Cenſor. pag.* 93. loquitur, *effecit, ut nunc non ea pecuniarum ſumma in urbem Romam deveheretur, quæ priùs ac Pontificii reditus ipſimet inde imminuti. An verò hæc imminutio compenſata deindè fuerit auctis ordinariis, ſeu conſuetis olim contributionibus, pro quibus nihil ſtatutum, aut non ſervatis quibuſdam Tridentinis legibus, quæ ipſum Pontificem nullatenus obſtringunt, ut apertè declarârunt Tridentini Patres aut novis officiis in curia conſtitutis, aut aliundè nôrunt illi, qui illis colligendis præfecti ſunt.* Sed & Claudius Eſpencæus, Theologus Sorbonicus graviſſimus, *Comment. in Ep. ad Tit. cap. j.* Reformationis à Tridentinis ſuſceptæ vanitatem ſolidiſſimè demonſtrat, & demonſtrationem ſuam his verbis *pag. m.* 480. 481. claudit: *Tam diuturnorum motuum non alia cauſa major, quàm quòd tot annis nihil immutatur, nihil renovatur, & omnis reformandi ſpes inde abrupta, ſpecies ablata, quod reliquum Eccleſiæ corpus reformatum velint, qui tam multis annorum centenariis urbem, in qua merum atque mixtum habent imperium, deformatiſſimam adhuc reliquerunt. Quid enim vel excuſare, vel excogitare verum aut veriſimile poſſunt, quibus non vel Rex, vel Cæſar non populus, non clerus, non generalis Synodus, non denique tota Eccleſia dicere poteſt, Cur ita facis? quid, inquam, prætexere poſſunt, quod eis ſibi ſuiſque reformandis moram vel remoram tamdiu fecerit? Et ubi tamen ſub ſole major malorum omnium licentia, clamor, impunitas, ne dicam infamia & impudentia? talis ſanè ac tanta, ut nemo credat, niſi qui viderit, neget nemo, niſi qui non viderit.*

CLXV. Hæc

CLXV. Hæc cùm ita ſe habeant, univerſæ Hierarchiæ, ejus Principi ſupremo, Papæ, inprimis jure dicemus, quod Jehova ipſe Regi Jehudæ Jehojakimo dixit Eſai. XXII. 17. אין עיניך ולבך כי אם על בצעך *Non ſunt oculi tui & cor tuum* intenti *niſi ad avaritiam*. Neque ampliùs vel Simonis *Petri*, ſed potiùs *Magi* ſucceſſor, vel *Caput*, ſed potiùs *Venter* Eccleſiæ Papa ſalutabitur, juxta apologum Menenii Agrippæ apud Livium *Annal. lib. ij.* quem, uti ſuprà vidimus, ipſe Hadrianus IV. Papa cum Johanne Sariſberienſe colloquens, ſibi applicavit. Denique hac non poſtrema nota, ut argumentum hucuſque ſolidè demonſtratum concludam, Hierarchiam, utpote *Avaritia* & *ſpirituali nundinatione* nefariè pollutam, Babylonicæ impietatis ream juſtiſſimè nos peregiſſe, planè meritóque confidimus. *Argumentum concluditur.*

DIS-

DISSERTATIO
DECIMA SEPTIMA
QUA

Hierarchiam, ſeu Clerum Eccleſiæ Romanæ dominantem, Babylonem Magnam eſſe, probatur Duodecimò, *quia ob impietatem ſuam ſeverum Dei judicium provocans, illud aliquatenus jam ſubivit, & finale illud ac decretorium porrò ſubitura eſt.*

BREVIARIUM.

I. *Babylonis M. poſtremus actus, iſque tragicus, eſt judicium Dei, quo illa perdi debuit, quod duplici caſu, primo & finali, ſeu peremtorio abſolvitur.*

II. *In Hierarchiam judicium illud competere, tum illud demonſtrat, quòd peccata Hierarchiæ & Babylonis congruunt: tum Syllogiſmo probatur ulteriùs.*

III. *Judicium ſeu caſus Babylonis prior cum illuminatione illa, quà terra gloriâ Dei colluſtrari debuit adeòque Euangelii præconio ampliſſimo, conjunctiſſimus eſſe debuit.*

IV. *Generalitas vaticinii, quòd terra gloriâ Dei colluſtrari debeat, explicatur.*

V. *Splendor ille ex oppoſitis præcedentibus tenebris cognoſcitur.*

Digitized by Google

VI. *Tenebræ Papatûs Reformationi præviæ deſcribuntur tum in univerſum:*

VII. *tum in ſpecie, quoad ejuſdem fidem & religionis dogmata:*

VIII. *quoad ceremonias:*

IX. *quoad cultum externum, idololatria, ſuperſtitione multiplici & magica impietate fœdatum:*

X. *tum quoad gubernationem, & Eccleſiam ac Politiam univerſam Papali tyrannide oppreſſam:*

XI. *tum quoad media Religionis cognoſcendæ; cujuſmodi ſunt inprimis Verbum Dei, cujus penè extincti loco, legendæ, fabulæ, ſcripta Ariſtotelis, &c. pro ſuggeſtu tractari ſueverunt.*

XII. *Linguæ, Originales maximè, Latina etiam, quarum ignorantia, atque ſic barbarie extrema Clerus ferè omnis laboravit.*

XIII. *Philoſophiæ ſobriæ uſus, cujus locum futilis & ſterilis Sophiſticè ſubivit:*

XIV. *quæ cum rebus ſacris commixta Theologiam Scholaſticam, optimis quibuſque fœtentem, & Verbi Divini Majeſtati è diametro oppoſitam peperit:*

XV. *quomodo etiam Juri Cæſareo Canonicum oppoſitum, atque hoc ſupra illud exaltatum eſt.*

XVI. *Tenebras haſce Papatûs cœleſtis lucis ſcintillæ quædam, Teſtes Veritatis, publicæ corruptioni reſiſtentes, interſtinxerunt.*

XVII. *Splendor ille, quo terra illuſtranda fuit, phosphoros ſuos habuit; puta tum linguarum Orientalium ſtudium quoddam Viennenſis Concilii decreto commendatum: unde editio Bibliorum Complutenſis profecta eſt.*

XVIII. *Tum Academiarum & Scholarum inſtaurationem, literarúmque adeò & literatorum florem.*

Digitized by Google

XIX. *Tum inſervientem utrique Typographiam, qua Babylonis caſum maturari debuiſſe, oſtenditur.*

XX. *Reformationis prodromis hiſce acceſſerunt deſideria ejuſdem teſtatiſſima:*

XXI. *neque quoad mores duntaxat, ſed etiam fidem ipſam, uti ex Gerſone & Ænea Sylvio oſtenditur*

XXII. *nec non bona omina & præſagia, Viſionéſque Babylonis mox ruituræ*

XXIII. *Quas tandem ipſa cæleſtis illuminatio, terram præconio Euangelii ſeu juſtitiæ ſolius Chriſti, ceu cauſæ ſalutis unicæ, colluſtrans, excepit.*

XXIV. *Præconium illud Euangelii cum judicio Babylonis conjunctiſſimum fuiſſe probatur.*

XXV. *Illuminatio illa terræ, ſeu Reformatio, tenebris Papatûs è diametro oppoſita fuit, quod ex reſtitutis dogmatis fidei, ceremoniis, cultu externo, regimine Eccleſiæ, religionis cognoſcendæ mediis, Verbo Dei inprimis, aſſeritur.*

XXVI. *Facies inde Papatus inverti, & retrò ſublabi tota cœpit.*

XXVII. *Hierarchiæ quoque poteſtas pluribus in Occidente Regnis atque Provinciis corruit.*

XXVIII. *Neque tamen Papa priore hoc caſu regnum ſuum univerſum amiſit, ſed ſceleton quoddam retinuit. Unde Babylon Papalis Domicilium dæmonum, & cuſtodia omnis ſpiritus immundi, & avis inviſæ evaſit.*

XXIX. *Duo genera hominum in Papatu poſt ejus caſum priorem reſidua:*

XXX. *quorum alterum dæmoniorum, impurorum ſpirituum & exoſarum avium indolem refert.*

XXXI. *In Papatu ſpiritus immundi, ſimiles ranis, graſſantur.*

XXXII. *In eodem regnant doctrinæ dæmoniorum, de qui-*

bus

Digitized by Google

bus S. Paulus 1 *Tim. iv.* 1, 2, 3. *&c. vaticinatus eſt, quod ex characteribus doctrinarum illarum à S. Paulo expreſſis oſtenditur.*

XXXIII. *Apoſtolus ibidem cœlibatus;*

XXXIV. *nec non ciborum certorum in jejunio interdictum Pontificium directè impetit.*

XXXV. *Ex characteribus iiſdem ad liquidum perducitur, Papatum dæmoniacarum doctrinarum corpus integrum in ſinu ſuo fovere.*

XXXVI. *Cujuſmodi ſit Papalis Eccleſia, etiam ex definitione Eccleſiæ à Bellarmino prodita,*

XXXVII. *nec non novis Tridentini Concilii creaturis colligitur.*

XXXVIII. *Papatum poſt Reformationem cuſtodiam immundorum ſpirituum, & avium impurarum exoſarúmque factum eſſe, ex clauſtris religioſorum oſtenditur.*

XXXIX. *Jeſuitas præ cæteris aves impuras & exoſas eſſe, cùm ex aliis, tum ex Theologia eorum caſuiſtica, nec non Cenſura ejuſdem in Facultate Pariſienſi adornata, in qua permultis ejus Propoſitionibus dæmoniacarum doctrinarum ſtigma inuritur; demonſtratur.*

XL. *Vaticinium de immundis avibus Babylone relictis, ex hiſtoria Concilii Romani, cui feralis bubo præfuit, illuſtratur.*

XLI. *Vox alia ex Cœlo audita, exitum ex Babylone mandans, patefacit, futurum, ut janua exeundi quandoque aperiatur.*

XLII. *Impletum id in Pacificationibus Religioſis oſtenditur.*

XLIII. *Exitum ex Babylone commendant Viri pii & docti, fermentum Pontificium magis magiſque expurgantes, & Syncretiſmo reſiſtentes.*

XLIV. *Regum, qui Babylonem oderunt, deſolârunt, & carnibus privârunt hiſtoria.*

XLV. *Ipſe quoque Imperator, & Reges Hiſpaniæ, Galliæ, Hungariæ &c. licet amorem Papatûs præ ſe ferant, Hierarchiam odiſſe, deſolare & carnibus privare pridem cœperunt:*

XLVI. *& perfecturos odium, ſpes eſt.*

XLVII. *Exitum ex Hierarchica Babylone multùm Concilii Tridentini anathema promoverunt.*

XLVIII. *Separatos à Papatu Schiſmatis reos non eſſe cùm aliis argumentis;*

XLIX. *tum ex hiſtoria ipſa ſeparationis aſſeritur.*

L. *Concilii cujuſpiam reformaturi expectatio irrita fuit, & erit ſemper.*

LI. *Argumenta cuncta Reformationi oppoſita inciduntur.*

LII. *Vox cœleſtis vindictam de Babylone ſumere, eámque cruciare imperat.*

LIII. *Cruciatum Hierarchia exquiſitum per ſcripta & præconia, quibus impietas ejus denudata eſt, & denudatur quotidiè, experta eſt, & experitur adhuc.*

LIV. *Falsò Lipſius, aliique ſtudia oppugnantium Papatum ab aſtrorum poſitu arceſſunt, quem Cœleſti inſpirationi Spiritus S. ipſe tribuit.*

LV. *Cauſa cruciandæ Babylonis ejuſmodi inſolens ejuſdem jactantia, quòd ſedeat Regina &c. perhibetur:*

LVI. *cujus occaſio eſt ingratitudo populi Babylone exeuntis:*

LVII. *quæ ipſi Babyloni vires colligendi & inſoleſcendi anſam ſuppeditavit, & ſuppeditat adhuc:*

LVIII. *quod ex Prophetia Eſaiæ de Tyro illuſtratur.*

LIX. *Hucuſque progreſſo Dei adversùs Hierarchiam judi-*

Digitized by Google

judicio, finale & decretorium eidem imminere oſtenditur.

LX. *Plagæ noviſſimæ Babyloni imminentes explicatæ.*

LXI. *Celeritas excidii ejus ab Angelo adumbrata.*

LXII. *Tempus finalis excidii hujus approximans, licet, vix exactè definiri poteſt.*

LXIII. *Pontificiorum nonnullorum de imminente Romæ ruina teſtimonia producuntur.*

LXIV. *Ejus potentia & proſperitas præſens judicium Divinum ſufflaminare non poterit.*

LXV. *Gemina orbis converſio improviſa, à Gentiliſmo ad Chriſtianiſmum una; à Papiſmo ad renovationem Chriſtianiſmi altera, fidem de ſecuturo Babylonis excidio ſuffulcire potis eſt.*

LXVI. *Neque illud obſtat, quòd Romæ timendus hoſtis nemo videatur.*

LXVII. *Regum, Mercatorum & Nautarum ſuper Babylonis excidio planctus.*

LXVIII. *Ex quo colligitur, Babylonis excidium cum mundi fine conjunctum non iri.*

LXIX. *Locus S. Pauli 2 Theſſ. ÿ. 8. explicatus.*

LXX. *Nec non locus alter Apoc. xix.* 19, 20. *ſententiæ eidem obſtare viſus.*

LXXI. *Planctui Regum, Mercatorum & Nautarum Angeli conclamatio Cœli, Apoſtolorum & Prophetarum ad jubila opponitur.*

LXXII. *Cœlum, Apoſtoli & Prophetæ ad jubila invitati quinam ſint?*

LXXIII. *Eorundem hymnus, ſeu Hallelujah, ob deletam Babylonem cantatum.*

LXXIV. *Concluſio argumenti & operis.*

Digitized by Google

Babylonis M. poſtremus actus, iſque tragicus, eſt judicium Dei, quo illa perdi debuit, quod duplici caſu, primo & finali, ſeu peremtorio abſolvitur.

I. Supereſt poſtremus Babylonis Magnæ actus, verè tragicus is & horribilis, judicium Divinum, quod ob ſcortationem cum Regibus & incolis terræ fœdiſſimam omnium, ſuperbiam, tyrannidem, blaſphemias, impuritatem, veneficia & nundinationes ſpirituales, provocavit, & poſt impletam iniquitatis menſuram deſtinato à Deo tempore ſubitura fuit. Per gradus illud proceſſurum, duplicique caſu, quorum prior incipiens vitam & Spiritum, ſed afflictiſſimum illi relinquet: poſterior, finalis ille & peremtorius ſubitò, in ſolidum, magnáque cum ἀπωλείᾳ auferet, abſolutum iri, ex filo Prophetiæ S. Johannis de Babylone M. jam ſuprà *Diſſert. iij. ß.* 41——47. pluribus demonſtravimus. Atque ut ibi paulò fuſiùs dicta, heic contractiora repetam, Babylonis M. caſus prior in eo collocatur, quòd poſt Angelum è Cœlo deſcendentem, magnáque poteſtate præditum, gloriâ ſuâ totam terram illuſtrantem, ſic Babylon cadere debuit, ut ſeparatis ab eadem fidelibus, & Regibus eandem denudantibus, deſolantibus & carnes ejus devorantibus, fieret habitaculum dæmonum & cuſtodia omnis ſpiritus immundi, aviſque immundæ & odioſæ: quódque per continuatam demonſtrationem Veritatis ejuſdem inſolenter licet ſe jactantis, authoritas, Regnum & felicitas quotidiè magis infringi, debilitari & labefactari, ipſáque talionis lege, duplicatis etiam pœnis mulctari debuit, donec, ad tempus ceſſantibus licet ejus fatis, iiſque continuata impietate provocatis, ad finale ſuum exitium approximet. Poſterior verò, idémque finalis, cum πανωλεθρίᾳ ejus conjunctus, in eo conſiſtet, quòd una die, Deo omnipotentiam ſuam exerente, & impetu eandem proſternente, venient ejus plagæ, mors, luctus, fames & combuſtio, ita ut in mundo ampliùs non inveniatur. Hæc ex Apoc. XVII. 1. 16.

1. 16. XVIII. 1. 2. &c. eruta, deditâ operâ ſuperiùs jam explicavimus.

II. Penè ſuperfluum videri poteſt, oſtendere, quemadmodum Divina iſthæc judicia Hierarchiam jam appetierint, atque appetitura ampliùs ſint, donec circumacto faторum ejuſdem orbe, noviſſimum ſibi exitium, & Sanctorum omnium jubila maturabit. Cùm enim Hierarchiam menſuram impleviſſe, & implere adhuc omnium abominationum, quas in Babylone M. Spiritus S. notavit, hactenùs firmiſſimè & ὀφθαλμοφανῶς demonſtraverimus: ipſa Dei juſtitia, & impietatis ejuſdem vindicatio ſimilis neminem pium cordatúmque dubitare patitur, quin judicium Divinum Babyloni M. denuntiatum, Hierarchiam, abominationum Babylonis convictam, corripere debuerit. Ne tamen lectoris expectationem in poſtremo iſthoc actu deſtituamus, demonſtrandum inpræſentiarum ſuſcipimus, Hierarchiam judicium Divinitùs Babyloni intentatum, aliquatenus jam ſubiviſſe, & porrò ſubituram eſſe. Syllogiſmus talis eſto:

In Hierarchiam judicium illud competere, tum illud demonſtrat, quòd peccata Hierarchiæ & Babylonis congruunt: tum Syllogiſmo probatur ulteriùs.

Ille cœtus judicium Dei Babyloni Divinitùs denuntiatum, aliquatenùs jam ſubivit atque porrò ſubiturus eſt, adeóque cæteris paribus Babylon Magna eſt, quem poſt terram gloriâ Dei, omnigenâ Sapientiâ & Euangelicâ veritate illuſtratam, & Reges illi ipſi, qui priùs Beſtiæ poteſtatem ſuam dederant, à Cœleſti veritate perſuaſi, agnitum, quòd Babylon Magna ſit deſolârunt, nudârunt, carnibus privârunt; ipſique etiam Sancti reliqui Reformatione inſtituta, & Babylonicis abominationibus repudiatis, ſive ſponte ab ea exeuntes, ſive anathematis expulſi deſeruerunt: qui poſt ſeparationem iſthanc ob doctrinas dæmoniacas, fidem juxta atque mores concernentes, acriter defenſas, doctores tenebrarum ſtrenuos & inviſos pluribus, impuritatem, crudelita-

litatem & rapacitatem ſimilis eſt domicilio dæmoniorum, cuſtodiæ ſpiritus immundi, avis immundæ & inviſæ omnis: quem Sancti demonſtratione veritatis continua & vehemente cruciant: quique denique ſecurâ poteſtatis & infallibilitatis ſuæ jactantiâ horrendum ſibi & finale excidium maturabit.

Atqui Hierarchiam, ſeu Clerum Eccleſiæ R. dominantem, poſt terram gloriâ Dei, omnigenâ ſapientiâ & veritate Euangelica illuſtratam, & Reges illi ipſi, qui priùs Beſtiæ poteſtatem ſuam dederant, à Cœleſti veritate perſuaſi, agnitam, quòd Babylon Magna ſit, deſolârunt, nudârunt, carnibus privârunt; ipſique etiam Sancti reliqui, reformatione inſtituta, & Babylonis abominationibus repudiatis, ſive ſponte ab ea exeuntes, ſive anathematis expulſi deſeruerunt; iſque poſt ſeparationem iſthanc ob doctrinas dæmoniacas, fidem juxta atque mores concernentes, acriter defenſas, doctores tenebrarum ſtrenuos & inviſos pluribus, impuritatem, crudelitatem & rapacitatem ſimilis eſt domicilio dæmoniorum, cuſtodiæ ſpiritus immundi, avis immundæ & inviſæ omnis: à Sanctis demonſtratione veritatis continua & vehemente cruciatur: denique ſecurâ poteſtatis & infallibilitatis ſuæ jactantiâ horrendum ſibi & finale excidium maturabit.

Ergò Hierarchia ſeu Clerus Eccleſiæ Romanæ dominans judicium Dei Babyloni Divinitùs denuntiatum, àliquatenus jam ſubivit, atque porrò ſubitura eſt, adeòque, cæteris paribus, Babylon Magna eſt.

Propoſitio harmoniæ Propheticam inter de Babylonis Magnæ judicio prædictionem, & eventus commemoratos: Aſſumtio experientiæ innititur. Utrique Prophetiam cum eventu διὰ μέσου comparantes, ampliorem lucem fœnerabimur.

III. S. Jo-

Judicium ſeu caſus Babylonis prior cum illuminatione illa, quà terra gloriâ Dei colluſtrari debuit adeóque Euangelii præconio ampliſſimo, conjunctiſſimus eſſe debuit.

III. S. Johannes judicium Babylonis M. repræſentaturus *vidiſſe* ſe teſtatur *Angelum de Cœlo deſcendentem, qui habebat poteſtatem magnam, & à cujus gloria terra illuſtrata eſt.* Apoc. XVIII. 1. Sive Angelus ille Chriſtus eſt, efficacem Spiritus ſui illuminantis gratiam ex Cœlo in terram demittens, & veritatis cœlitùs patefactæ gloriâ mundum colluſtrans: ſive Spiritus S. propter jus Chriſti efficax in multorum hominum cordibus, atque id efficiens, ut luce veritatis & Sapientiæ Divinæ atque humanæ omnia colluſtrentur: ſive organa utriuſque, Viri Dei & Heroës, gloriæ ejuſdem ſpargendæ & propagandæ intenti, ſunt: illud certè conſtat, judicium Babylonis Magnæ conjunctiſſimum eſſe cum *illuminatione* illa terræ, qua illa *gloriâ Dei*, omnigenâque adeò Sapientiâ, ea maximè, quæ revelationi Divinæ explicandæ ancillantur, & Veritatis Euangelicæ notitiâ, qua Babylonis ipſius ſcortatio, & impietatis detegi debuit, colluſtrabitur. Convenitque haud dubiè, quod *Angelus volans in medio Cœli, habens Euangelium æternum, ad annuntiandum habitantibus in terra, & omni genti, & tribui & linguæ, & populo, dicéſque voce magna: Timete Deum, & date ei gloriam, quia venit hora judicii ejus: & adorate eum, qui fecit Cœlum & terram & mare & fontes aquarum,* Apoc. XIV. 6. 7. inducitur. Quo Euangelii æterni præconio audito, alius Angelus ſecutus eſt, dicens: *Cecidit, cecidit Babylon, Civitas illa magna*, v. 8. Unde ſatis liquet per æterni Euangelii præconium, tanquam Babylonici excidii cauſam, Babylonis caſum promoveri maturaríque debuiſſe.

Generalitas vaticinii, quòd terra gloriâ Dei colluſtrari debeat, explicatur.

IV. Neque illud emphaſi caret, quòd de illuminatione terræ per Angelum, Propheta tam generaliter loquitur: Καὶ ἡ γῆ ἐφωτίσθη ἐκ τῆς δόξης αὐτοῦ; *Et terra illuſtrata eſt à gloria ejus.* Sub hac enim generalitate Spiritus S. comprehendere univerſum illum ſplendorem voluit, quo res huma-

manæ ſuperiori Seculo etiam extra religionis Reformationem, in omni diſciplinarum, ſcientiarum & artium genere illuſtratæ ſunt, dum illæ etiam Linguæ in communem uſum revocatæ ſunt, quæ ſub adventum Chriſti in carnem, in potiſſima orbis parte publicè obtinuerunt; in quibus etiam traditum, & ad poſteritatis inſtructionem tranſmiſſum eſt, quicquid Dei providentia Beatiſſimo iſti Seculo, ad omnis Divinæ & humanæ ſcientiæ cognitionem, uberrimè contulit. Hunc ſplendorum verè Divinum cùm prædicâſſet meritò, ſummiſque laudibus tuliſſet Wigandus, Oratione de bonis & malis Germaniæ, habitâ, Laurentius Surius donorum à Spiritu S. in ſuperiori tempore liberaliter adeò effuſorum iniquus æſtimator, *Comment. Rerum in orbe geſtarum ad A.* 1566. albis eum dentibus deriſit. Sed nota ſcilicet novercalis illius judicii cauſa eſt. Urebat locuſtam illam, quòd hic ſplendor, qui toti Mortalium generi tam gratus & jucundus extitit, ſoli Babyloni, Matri ſuæ tam funeſtus & calamitoſus acciderit, ut ejus mariſcæ, quæ eouſque tam feliciter latuerant, ita in apricum productæ ſint, ut nullâ ampliùs ceruſſâ ſe fucari aut obduci patiantur.

Splendor ille ex oppoſitis præcedentibus tenebris cognoſcitur.

V. Lucem ſplendorémque orientem tenebræ præcedunt. Et utræque oppoſitæ cognoſcuntur penitiùs. Pari ratione ex tenebris Papatûs ſplendorem illum, quo terra ſubitò colluſtrata eſt, præcedentibus, ipſum ſplendorem illum cognoſcemus rectiùs. Age igitur, tenebras Papatûs Reformationi prævias, paucis pandamus. Licet enim ex iis, quæ hactenùs de Hierarchia Babylonica diximus, ignorari nequeant, juvabit tamen eaſdem tum in univerſum: tum ſeorſim, prout illæ fidem, ceremonias, cultum externum & gubernationem Eccleſiæ, mediáque ipſa religionis conſervandæ obſcurârunt, ſuppreſſerúntque penitùs, compendiaria narratione, eáque magnam

par-

partem non tam meis, quàm Graviſſimi Theologi, Friderici Spanhemii P. efficaciſſimis verbis, dignis planè, quæ ex *Geneva* ejus *reſtituta*, cujus pauci fortè copiam habent, huc ſevocentur, contexta perſtringere.

VI. Craſſæ utique erant tenebræ Ægyptiacæ, quæ palpari etiam poterant: Opacæ erant illæ Cimmeriorum veterum, nullo Sole, lucis ſtricturâ nullâ colluſtratæ ſpecus. Neque tamen illæ comparari poſſunt cum ſpiſſa illa & profunda nocte, qua, Hierarchia univerſa connitente, totum Eccleſiæ Chriſtianæ Cœlum velut obductum horrebat. Ex quo enim illa myſterio iniquitatis operari, ipſéque Supremus Hierarcha ſe ſupra omne illud, quod Numen vocatur, efferre, & in Templo Dei ſedem ſuam figere cœpit: mox apoſtaſia univerſalis inceſſere, religio ſuperſtitione, Divinum verbum humanis commentis, cultus idolomaniâ, conſcientia fictis terroribus, orbis denique Chriſtianus horrenda tyrannide occupari & peſſundari. Tanta inde rei Chriſtianæ vaſtitas & ſtrages paſſim ſecuta eſt, ut ignoraret penè orbis ſe Chriſtianum eſſe, eſſe aliquod Dei verbum, Religionem ad Deum & conſcientiam pertinere. Illud manibus populi excuſſum, & ſub modio abſtruſum: hæc ad digitorum articulos, labiorum murmura, Sacrificulorum mugitus, Monachorum crepitacula, clauſtrales tonſuras, Anachoretarum cilicia, laciniarum, pectinum, crepidarum venerationem, indulgentiarum nundinationes, ſpectrorum, lemurum & fatuorum ignium μορμολυκεῖα, aliáque id genus faſcina, dementandæ plebi idonea, redacta eſt. Hic in univerſum Eccleſiæ ante exortum Euangelii ſplendorem ſtatus fuit.

Tenebra Papatûs Reformationi pravia deſcribuntur tum in univerſum:

VII. Quæ *fides* in Eccleſia invaluerit, ex dogmatibus receptis liquet. Hæc verò univerſa penè non ad amuſſim verbi Divini, ſed ad compendium cleri exacta: illa ſuppreſſa, quæ Deum; illa publicata, & veris ac ſaluta-

tum in ſpecie, quoad ejuſdem fidem & religionis dogmata:

ribus dogmatibus ſubſtituta ſunt, quæ hominem homini commendarent, imò quæ hominem ſupra Deum nefariâ, ſed utili fraudum architectis impietate efferrent. Hinc Chriſti Salvatoris officia & beneficia obliterata: gratia Dei velut in triumpho ducta: corruptio hominis, ſtatu puræ naturæ commendato, diſſimulata, vel abnegata etiam: ſalutis gratuitæ canalis occluſus: humani arbitrii idolum erectum: meritorum fiducia inculcata: interceſſionum, ſatisfactionum alienarum & ſupererogationum cauponatio introducta, pergula excitata, & inſtitoria in Eccleſia exercita, licitationíque à ſacris publicanis Sacra & profana, uti abundè demonſtravimus, omnia ſubjecta ſunt. Non conſcientiis afflictis quæſita pax, ſed animis miſerorum excuſſa, fictíſque terroribus perculſi animi, obnoxii redditi ſunt impoſturis, atque id denique addictum pretio terreno eſt, quod pretium nec habet, nec habere poteſt. Ne dicam profligata ſic pietate & reverentia nominis Dei, meras eáſque multiplices blaſphemias Papatus, univerſam ferè fidem contaminâſſe: quod de Hierarchia ſuprà quoque probavimus.

quoad ceremonias: VIII. In *Ceremonias* Papatus ſuperſtitio, ſeu, Epiphanii verbo utar, ἐθελοπερισσοθρησκεία mera invaſit, candidámque Eccleſiæ primitivæ faciem indignè deturpavit. Quicquid ergò in ceremoniis Judaicis ſplendidum, puta traditiones, conſecrationes, unctiones, benedictiones, purificationes Templi, Pontificatûs & Sacerdotii magnificentia, ac innumera alia; Quicquid in gentilitia ſuperſtitione floridum, puta pigmenta & figmenta imaginum, incenſatio, cerei, deraſio verticum Sacerdotum, Februalia, feſta &c. Quicquid in Muhamedica impietate nitidum, veluti Alcorani lingua, Turcis incognita, demurmuratio, lectionis ejuſdem promiſcuæ prohibitio, religionis violenta propagatio, peregrinationes religioſæ, Mo-

Monachatûs, jejuniorum fictitia ſanctitas; Quicquid in veterum hæreticorum quisquiliis coruſcum; Quicquid denique in occupandis, demulcendis hominum oculis, auribus, animis potens, illud omne prudenti in ſpeciem, & ad Judæorum ſimul ac Gentilium converſionem accommodo, ſed infelici tamen conſilio Eccleſiaſticas in ſanctiones infartum, & à Romano Pontifice, ceu vulture Romulejo, magnâ cum veritatis & pietatis jacturâ interceptum eſt. Et quod liberum primò erat, id ſenſim in neceſſitatem, & poſt in rationes meriti & expenſi coram tribunali Divino abiit.

IX. Sic ergò *Cultus*, etiam *externus* non ſolùm Ceremoniarum iſtarum ἀμίκτων coagmentatione & πανσπερμίᾳ fœdè collutulatus, ſed idololatriæ etiam multifariæ, quin Magicæ etiam impietatis peſte correptus corruptúſque eſt. Pro Chriſto beata Virgo: pro Deo tutelarium Numinum plauſtra, gentili apotheoſi poſtliminio introducta: cadaveribus, oſſibus, cineribus, ligno, lapidi tributum, quod Dei ſolius erat; & illa omnia in ſocietatem fiduciæ, ſpei, adorationis, cultûs religioſi ſoli Deo debiti, communi omnium praxi, ſi non communibus & conſpirantibus Doctorum placitis calculiſque vocata ſunt. Deum inter & B. Virginem provinciæ in diribitorio Romano diſtributæ; illi rigor juſtitiæ, huic clementia Diva aſſignata eſt: Franciſci ſtigmata, Chriſti ſtigmatibus exæquata: Lauretana, Compoſtellenſia, Romana, Montisſerratenſia & alia id genus fana ac idola, mendacibus præſtigiarum & prodigiorum centonibus in ſummo venerationis faſtigio locata, ad quæ ex remotiſſimis locis excurrere, pars felicitatis, & devotionis ſupremus apex habebatur. In anguſtiis, calamitatibus etiam publicis, morbis, peſtilentia non ampliùs ad Deum itum, ſed ad legatos & optiones, quibus Pontificum arbitrio & conſultis ta-

quoad cultum externum, idololatriâ, ſuperſtitione multiplici & magica impietate fœdatum:

talia commiſſa; quorum egregiâ ſcilicet providentiâ non Regnis tantùm, provinciis, civitatibus, ſed & morbis, opificiis, brutis ſua præſtituta Numina, ad quæ promta acceſſio, neglecta Dei ipſius acceſſione, promittebatur. Febri correptis Petronella, morbo comitiali Valentinus, ophtalmiæ Ottilia, odontalgiæ Apollonia, thoracis anguſtiis Blaſius, calculo Liberius, podagræ Wolphgangus, peſtilentiæ Sebaſtianus & Rochus, curatores & averrunci deſtinati ſunt. Pictores Lucam, agricolæ Medardum, ruſtici Urbanum, vinitores Chilianum, piſcatores Chriſtophorum, nautæ Nicolaum, venatores Euſtachium, equites Georgium, Carminarii Blaſium, Sartores Lucium, fabri Eligium, textores Severum, molitores Arnoldum, figuli Guarum, alii alios artis ſuæ anteſignanos & vexillarios venerabantur. Bobus Pelagius, equis & vaccis Eulogius, ovibus Wendelinus, anſeribus Gallus, canibus Hundbertus, porcis Antonius, muribus Nicaſius, alii aliis & capitibus & curis Romanæ curiæ inſtituto addicti ſunt. Deus interim ſolio ſuo excuſſus, & cum Jove Homerico in Æthiopiam convivatum relegatus eſt. Tales ſcilicet Deaſtros patronos habere, venerari, eorum delubris, idolis, iconibus oſcula figere, vota nuncupare, anathemata ſuſpendere, primas inter curas pietatis erat. Franciſci cucullo veſtiri, clauſtrali diſciplina macerari, hæc verò recta in Cœlum via, & aureolæ promerendæ indubius callis habebatur. Reliquiarum quinetiam exoletis pudendiſque mercibus, adeò ſimplicitati populi illuſum eſt, ut non illa duntaxat, quæ ſpecie aliqua obtrudi poterant, ſed ea etiam, quæ ad mera ludibria comparata erant, obtruderentur. Non ſolùm Mariæ pecten, Eliſabethæ peplus, Eliæ zona, Judæ laqueus, Johannis crepidæ, & alia id genus crepundia; ſed etiam Michaëlis Archangeli pugio, Gabriëlis pennæ, Joſephi

ſephi ſerram reciprocantis, vel ictum retorquentis ſpiritus, Nicodemi ſcilicet chirotheca exceptus, diducto ſipario, velut in ſcena oſtendebantur: ut complura alia omittam, quibus projecti & proſtituti pudoris homines plebis Chriſtianæ ſtoliditati illuſerunt miſerè. Multorum denique, qui nunquam dias luminis hujus auras ſalutârunt, reliquiæ auro gemmíſque variegatæ, cultuíque expoſitæ ſunt: multi Sanctorum Geryones & Briarei redditi, quibus capita, ora, brachia, pectora complura affictа ſunt; fucatæque ejuſmodi merces protruſæ innumeræ ſunt. Nihil de Magica impietate dicam, qua univerſum cultum externum aſperſum & inceſtatum fuiſſe, & hodiéque eſſe, ſuprà demonſtravimus.

X. *Gubernationem* inprimis dominatio invaſit & intoleranda tyrannis, quæ Thologiæ Romanenſis erat acropolis & Helena illa, cui uni & falſitate in dogmatis, & ſuperſtitione in ceremoniis, & idololatria ac Magia in cultu externo novæ Babylonis architecti litârunt. Sic ergò Chriſto Petrum, Petro vicarium caput ferè Italicum ſubſtitutum eſt; & Homo ille peccati, Babylonius Rex ſupremus, populi univerſi libertatem, Epiſcoporum mitras, Principum, Regum, Cæſarum ſceptra, diademata, coronas, ipſum denique verbum Dei, Chriſtum, adeóque quicquid in Cœlo & terra venerabile eſt, libidini dominationis ſuæ ſubjecit. Atque occupato ſemel ſublimi illo faſtigio, pro arbitrio ſuo religionem Chriſtianam corrupit, cultum voluntarium conſtituit, conſcientias conſtrinxit, gratias diſtribuit, Cœlos clauſit, inferos aperuit, Imperatorum, Regum, Principum jura, ſceptra, capita rexit, totum orbem obnoxium, vectigalem ſibi, & prodigioſa Epiſcopi Urbis in Orbis Monarcham metamorphoſi, ex Chriſtiano Romanum reddidit; denique non ſecùs ac callidus ille Europæ bajulus, orbem è litore in altiſſimum pelagus nihil

tum quoad gubernationem, & Eccleſiam ac Politiam univerſam, Papali tyrannide oppreſſam:

hil ſentientem deduxit, donec ex flamine Latiali inglorio factus

Rex Anius, Rex idem hominum Phœbíque Sacerdos,

caput Cœlo efferret, imperiúmque adeò ſibi, non ulla quidem quod mireris, vi, ſed ſola fama & opinione hominum conſtans, vindicaret. Sic demùm Sedis Romanæ Præſules, poſtquam ſe fortunæ & flagrantiſſimæ imperandi libidini permiſère, naturam & officium ſuum dedidicère, & per licita atque illicita fœdati, Divina & humana inter dominationis flagitia, & ſervitutis inſtrumenta habuère. Hæc & à Spiritu S. prædicta variè, & experiundo cognita in hiſtoria Papatûs, atque hoc ipſo Opere procedente, ſic demonſtravimus, ut ea non niſi præfractus, & tantorum dedecorum ſibi ipſe conſcius, inficias ire poſſit.

Jam quoad media Religionis cognoſcendæ; cujuſmodi ſunt inprimis Verbum Dei, cujus penè extincti loco, legendæ, fabulæ, ſcripta Ariſtotelis, &c. pro ſuggeſtu tractari ſueverunt.

XI. Jam & *media* ipſa religionis veræ cognoſcendæ & conſervandæ ſuppreſſa ſunt, ut faciliùs obſcurata & tantùm non deleta religione ſalutifera, Chriſtianæ plebi Romanenſia placita, & placitorum eorum ſupremus apex, *παμβασιλεία* dictatoria poteſtate, imperari obtrudíque poſſent. Sicut ergò nocturni graſſatores lucem extinguere ſolent: ſic Romani Pontifices lucem verbi Divini, quod ſolùm regenerationis incorruptibile ſemen eſt, extinguere penitùs curæ habuerunt. Hinc adeò pericula ex lectione Scripturæ emergentia exaggerari, conſcientiis ſcrupuli ſuper ejuſdem lectione anxiè injici, Dominici, Franciſci, Veronicæ acta inculcari, Legendæ aureæ dictæ, cùm ferreæ eſſent, febrilibus & anilibus deliriis conſui, farciri, & publicè prælegi. Hiſtoria Euangelica in theatrales operas, ſacratiſſima paſſionis Dominicæ memoria in ſcenicos actus converſa, & *riſu*, quem vocant, *Paſchali*, quo luctus Quadrageſimali jejunio contractus, abſtergi ſuevit, terminata eſt. Si quandoque S. Biblia attingerentur, ſtatim illa ſacra ſementis laciniosis & ſpinoſis Seraphicorum Doctorum,

Digitized by Google

rum, Lombardi, Comeſtoris, Thomæ, Scoti, Bonaventuræ, Durandi, Occami, aliorúmque id genus hominum, verborum barbarie, & rerum inutilium otioſa ſubtilitate certantium, commentationibus & interpretationibus, velut in herba ſtrangulabatur. Certè Philippus Melanchton, Vir candidiſſimus, teſtis eſt, diebus Dominicis variis in locis, pro thematibus Dominicalibus, inde à Caroli M. ætate in cathedras Eccleſiaſticas introductis, Ethica Ariſtotelis publicè populo prælecta, & à ſe Tubingæ in agro Wirtenbergico audita eſſe. Tiguri quoque, & alibi paſſim, ex Thoma & Scoto conciones habitæ ſunt. Et jactatum à multis eſt, tametſi S. literæ intercidiſſent, ex Platonis, Ariſtotelis, Senecæ, Plutarchi, aliorúmque id genus ſcriptorum monumentis, viam ad ſalutem ſatis ſupérque erui poſſe. Eò tandem res Chriſtiana, temporum illorum calamitate, redacta eſt, ut Abbas quidam Neuhuſianus, in contermino Vangionibus cœnobio, disertè profeſſus fuerit, *ni Lutherus graſſanti ſuperſtitioni ſe oppoſuiſſet, futurum fuiſſe, ut Monachi homines jumentorum inſtar præſepibus alligarent, & fœnum comeſſe docerent.* Adeò nulla unquam poteſtas ſua potentia ad impotentiam ſuperbiùs iſto hominum genere uſa fuit.

XII. Verbi Divini rectè intelligendi adminicula ſunt bonæ literæ, Linguæ, Originales inprimis, & artes liberales, earúmque uſus ſobrius. Harum etiam ſtudia præfocata ſunt, contra barbaries introducta, & ſtupor omni arte promotus eſt. *Authores Scholaſtici*, ſic Melchior Canus ipſe *Loc. Comm. pag.* 59. queritur, *quadringentis integris annis ſolam editionem Latinam retinuerunt, quippe Linguæ Græcæ & Hebraicæ nullam habuerunt peritiam.* Udalricus Zaſius *in funere Cæs. Maximil. p.* 8. fatetur, *barbariem ducentis & ampliùs annis fœda ty-*

Linguæ, Originales maximè, Latina etiam, quarum ignorantiâ, atque ſic barbarie extremâ Clerus ferè omnis laboravit.

rannide invaſiſſe, & omnia oppreſſiſſe. Claudius Eſpencæus *Comment. in Tit.* 3. teſtatur, eam inter Clericos graſſatam eſſe linguarum originalium ignorantiam & barbariem, *ut in Latinis authoribus Græcè noſſe ſuſpectum fuerit, Hebraicè propè hæreticum.* In explicandis proin vocibus Hebraicis, quàm turpitur ſe dederint Magiſtri illi noſtri, multis equidem oſtendi poſſet. Vel ex uno Guilhelmo Durando, at quanto Doctore illo! vocem Hebraicam *Alleluja* in *Rationali Div. offic. fol.* 58. explicante, conjecturam capiamus. *Eſt Alleluja*, ſic ille, *Hebraicum nomen: vocabulum ſiquidem ſignificans potiùs, quàm exprimens ineffabile gaudium ab hac vita peregrinum* &c. *Cujus verbi expoſitio ſecundùm Innocentium III. ex ij. Pſalmo habetur, cui cùm Alleluja præmittatur, in titulo, ſtatim Pſal. exponendo titulum, incipit, Laudate pueri Dominum. Unde ſecundùm eum Halleluja interpretatur, Laudate pueri Dominum. Auguſtinus verò ſic exponit:* Al, *id eſt, ſalvum:* le, *id eſt, me:* lu, *id eſt, fac:* jah, *id eſt, Domine. Hieronymus ſic:* Alle, *id eſt, cantate:* lu, *id eſt, laudem:* ja, *id eſt, ad Dominum.* Gregorius *ſic:* Alle, *Pater*, lu *Filius*, ja, *Spiritus S. Vel:* Alle, *id eſt, lux*, lu, *id eſt, vita*, ja, *id eſt, ſalus. Magiſter Petrus Antiſiodorenſis ſic:* Al, *id eſt, Altiſſimus:* le, *id eſt, levatus in cruce:* lu, *id eſt, lugebant Apoſtoli:* jah, *id eſt, jam ſurrexit. Petrus Manducator dicit ſuper Apocalypſin, & Auguſtinus in gloſſa Pſalterii, quòd* alla *verbum eſt imperativi modi, & ſonat* allelu, *id eſt, laudate*, ja, *id eſt, univerſalem, vel* ja, *inviſibilem, ſcilicet, Deum* &c. Neque melioribus fatis gaviſam eſſe Hellada, idem Durandus documentum præbet, quando eodem Divinorum officiorum libro, vocem Græcam σύμβολον, derivat à σὺν,

quod

quod eſt, *cum*, & βόλ☉ *ſententia: quòd* (ſymbolum nempe Apoſtolicum) *compoſitum fuit ex diverſis verbis Apoſtolorum: ſicut pueri in feſtivis convenientes, offerre ſolent bolos, id eſt fruſta carnium & panis, quæ in unum collecta, ſymbolum vocantur, id eſt, collectio minutiarum.* Sic Gloſſator decretorum Papalium *Diſt.* 15. Apocryphum ab ἀπὸ *de* & κρύψις *ſecretum*, derivat. Cornicum quoque oculos confixit Monachus ille, qui vocem Græcam Ἀποκάλυψις ab ἀπὸ *re*, & *clipſon*, *velo* deduxit. Satis nugarum. Notum omnibus eſt celebre temporum illorum apophtegma, quod Accurſio authori refertur acceptum: *Græca ſunt, legi non poſſunt*. Neque Latinæ Linguæ ſtudium apud Væjovis Latini clientes tutum ſatis erat. Terrebat eos exemplum Hieronymi, cujus lumbos κατ' ὄναρ dæmon dedolavit, quòd Ciceroni addictior eſſet. De quo ſic Eraſmus *ad Epiſt. Hieron. de cuſtodienda Virg. ad Euſtachium* ſcribit: *Hæc eſt illa fabula, quam memoriter etiam tenent omnes ii, qui ne verbum quidem unquam legerunt in ſcriptis Hieronymianis. Vapulavit, inquiunt, Hieronymus, quòd Ciceronem legerit. Ac mira quadam religione ſic ab omnibus bonis abſtinent literis, ut nec attingant, ne fortè impudenter incidant in aliquod verbum Ciceronis, & cum Hieronymo vapulent: & tum ſibi videntur Apoſtolis proximi, ſi quàm ſpurciſſimè loquantur.* Hinc Vatinianum in literas & literatos odium æſtuavit. Franciſcum Petrarcham, ſcriptorem doctiſſimum, palam Magum appellârunt, eò quòd Virgilium legiſſet, uti in vita ejus Andreas Schraderus teſtatur. Hinc tot calumniarum imbres, convitiorum plauſtra, imprecationum fulmina; quibus à Monachis, ſanctæ inſcitiæ ſuæ (ſic appellabant) tenaciſſimis, Eraſmus Roterodamus impetitus & obrutus fuit. Ipſos Pontifices Ro-

Romanos multos *adeò illiteratos fuiſſe, ut etiam Grammaticam ignorârint*, Alphonſus de Caſtro *adv. hær. lib. j. cap.* 4. queritur. Plerorumque omnium animos ineptum illud, ſed ætate ea haud indignum Johannis Dullardi axioma: *Quantò eris melior Grammaticus, tantò pejor Theologus*, occupavit.

Philoſophiæ ſobriæ uſus, cujus locum futilis & ſterilis Sophiſticè ſubivit:

XIII. Sed & Philoſophiæ ſobriæ, Theologiæ ancillantis uſus omnis in illa temporum nocte exoleverat. Ariſtotelis philoſophemata ſe ſectari, præferebant ferè omnes. Quibus Ludovicus Vives *de cauſis corrupt. art. lib. j.* ſic meritò inſultat: *Quid dicitis, Ariſtotelem diſputando vos victuros? Ne juretis ipſi, ego id pro vobis dejerabo, & quidem perſanctè. Nam quas artes vos modò exomniâſtis, quas nugas, & quidem ex illius, ut putatis dogmatibus, ipſe, ſi reviviſceret, non intelligeret, ac ne ſuos quidem libros, uti vos explicatis.* In Dialecticis cavillationibus omne ævum conſumi conſuêſſe, etiam Æneas Sylvius *Epiſt.* 165. ſic queritur: *Maximum autem hujus* (Viennenſis) *Gymnaſii vitium eſt, quòd nimis diutinam operam in Dialectica, nimiúmque temporis in re non magni fructûs terunt. Qui Magiſterii artium titulo decorantur, hac una in arte maximè examinantur; quibus omne ſtudium in elenchis eſt, vaniſque cavillationibus, ſolidi haud quicquam.* Juvabit etiam τὸν πάνυ Bullingerum noſtrum, Divinarum juxta atque humanarum artium peritiſſimum, ſic de Philoſophiæ ſtudio in Scholis Pontificiorum recepto quiritantem audire. *Et ut nonnihil*, ſic ille, *hujus negotii attingam, nonne Academiæ, quas hodiè Univerſitates vocant, corruptiſſimæ ſunt? Quid enim in his audias aliud, quàm Genus, Species, Differentia, Proprium, Accidens, Individuum, Subſtantia,*

tia, Quantitas, Propoſitio, Sorites currit, & Plato diſputat? Nullus interim ſimplicium vocum prædicabilium, Prædicamentorum aut Propoſitionum, aut ullarum præceptionum dialecticarum demonſtratur uſus. Hinc quoque ſine fructu diſputatur ab adoleſcentibus, an definitio generis ſit bona: quæ tamen quæſtio nonnihil conferret ad definitionum naturam rectè cognoſcendam, ſi methodo agerent diſputatores. Stultiores & ineptiores ſunt illæ quæſtiones, utrum omne animal fuerit in arca Noë? An Logica ſit de primis, an ſecundis intentionibus? Quomodo differant hæ propoſitiones: Romæ venditur piper, & piper venditur Romæ? An vera Propoſitio: Nullus & Nemo mordent ſe in ſacco? An homo mortuus poſſit celebrare Miſſam? An conſequentia bona, annon bona: Tu differs ab Ente: Ergò tu non differs ab Ente? Utrum bona ſit conſequentia: Deus eſt: Ergò baculus ſtat in angulo? Utrum omne impoſſibile ſit concedendum? Prælegitur Petrus Hiſpanus, infelix & jejunus Dialectices Magiſter. Prælegitur Porphyrii iſagoge elegans quidem, ſed malè reddita & expoſita. Prælegitur denique Ariſtotelis organon nobiliſſimi hac in re artificis: ſed, ſi rediret Ariſtoteles, non agnoſceret illam, qua utuntur, verſionem tam affabrè exornatam hujuſcemodi floſculis: Quoniam, quandoquidem igitur, &c. Utuntur interpretibus ſive expoſitoribus putidiſſimis, Tartareto, Bricoto, Scoto & Capulatis quibuſdam ter quaterque ineptiſſimis. His fraudantur, fruſtrantur & ſeducuntur optima ingenia. Nam nullus vel ex præceptoribus, vel ex diſcipulis genuinam authoris optimi mentem ex talibus commentatoribus aſſequitur. Et quod majori cum detrimento ſtudiorum conjunctum eſt, novator

 vator

vator protinùs dicitur , quiſquis ſtudia juvare , & ſinceriores Ariſtotelis expoſitores , Themiſtium , Alexandrum , Boëtium , Argyropylum , Stapulenſem , ac hujus ordinis alios eruditos viros proferre in medium cupit.

qua cum rebus ſacris commixta Theologiam Scholaſticam, optimis quibuſque fœtentem, & Verbi Divini Majeſtati è diametro oppoſitam peperit :

XIV. Talis igitur , bella ſcilicet Philoſophia , cum rebus ſacris commixta , Theologiam tandem Scholaſticam Scripturæ Sacræ oppoſitam conflavit , & in arce Eccleſiæ collocavit. Trithemius Abbas Spanheimenſis in Petro Abælardo Dialectico, qui circa A. MCL. vixit, hæc verba habet : *Ex hoc tempore Philoſophia ſecularis ſacram Theologiam ſua curioſitate inutili fraudare cœpit.* Et Nicolaus Beroaldus, Sorbonicus doctor *Catal. teſt. lib. xvj.* ſic queritur : *Sophiſticis nugis arcanæ cœleſtéſque literæ jam diu nimiùm depravatæ ſunt & obrutæ. Non enim ſtudiorum ingenia exacuunt iſtæ captiunculæ & tricæ ſpinoſæ , ſed mentis ſuccum omnem exhauriunt.* Cornelius Muſſus, Epiſcopus Bitontinus, *Comment. ad Rom.* 6. gravem etiam his verbis querelam conſignavit : *Divinæ Scripturæ olim quanto damno omnium negligebantur ? Vigebat ſpinoſa & moleſta neſcio quæ Theologia , de inſtantibus , relationibus , quidditatibus , formalitatibus : itémque hæc omnia Syllogiſmis arctè contortis , & humanis duntaxat argutiis , quæ procul dubio qua authoritate recipiuntur , ea & refelli poſſunt , pertractabantur. Is ſublimis Theologus habebatur , qui majora portenta pro ſuis traditiunculis effingere ſciret ; pretiíque pars erat gloriola inanis , non intelligi grandia illa verba , quæ alto ſupercilio inter mulierculas de ſacris literis philoſophantes trutinabant. Juraverant univerſi verbi Divini duces in verba Magiſtrorum. Hinc ſexcentæ ſectæ , Thomiſtæ , Sco-*

Scotiſtæ, Occamiſtæ, Bacconiſtæ, Albertiſtæ, Ægidiani, Alexandrini, ô ſcelus! Poſthabebantur Euangelia, Epiſtolæ, Chriſtiana Philoſophia deliteſcebat, à pauciſſimis tractabatur, ſed frigidè, ne dicam inſincerè. Cornelius Agrippa *de Vanit. Scient. cap.* 97. eandem Theologiam ait *à Pariſienſi Sorbona mixtione quadam ex Divinis eloquiis & philoſophicis rationibus, tanquam ex Centaurorum genere biformem diſcipliuam conflatam, & paulatim in ſophiſmata delapſam eſſe, dum recentiores iſti Theoſophiſtæ ac verbi Dei Cauponatores, qui nonniſi emto titulo Theologi ſunt, ex tam ſublimi facultate logomachiam effecerint.* Sed & Melchior Canus *Loc. Theolog. lib. viij.* 1. diſertè ſic ſcribit: *Efficitur, quod ego magno cum aſſenſu omnium dicere me video, miſeram eſſe Scholæ doctrinam, quæ ſe titulis Magiſterii defendat: miſeram etiam, quæ detracta Scripturæ Sacræ authoritate, ſyllogiſmis contortis de rebus Divinis philoſophatur.* Et *lib. ix.* 1. id egiſſe Diabolum ſcribit, quod ſine lachrymis dicere non poſſit, *ut, quo tempore adversùs ingruentes hæreſes in Germania oportebat Scholæ Theologos optimus eſſe armis inſtructos, nihil prorsùs haberent, niſi arundines longas, levia puerorum arma.* Sic eſt, Cane; niſi quòd canina facundia *hæreſin* inſignis, Cœleſtem doctrinam, non ex Centauris illis Agrippæ, ſed ex Scripturæ, cui contortis Syllogiſmis authoritatem Scholæ veſtræ Doctores detraxiſſe ingenuè profitebare, penetralibus hauſtam. Neque proin nulla cauſa eſt, cur eruditi Apocalypſeos Interpretes, Theologiam hancce portendi aſtruerent ab Angelo primo, phialam ſuam in terram effundente: unde ἐγένετο ἕλκος κακὸν καὶ πονηρὸν, *ulcus malum & malignum in homines habentes ſignaturam beſtiæ & imaginem ejus adorantes,* Apoc.

Apoc. xvi. 2. Sicut nempe ulcus non ſtatim cutim dividit, ſed unionis ſpeciem relinquit, dum intus caro fatiſcit, inflammatur & putreſit; unde ſcabies, pruritus, eroſio oritur: ita Theologia hæc, & ex ea enata innumera diſſidia, quæſtiones ἀπέραντοι, diſputandi vitiligo, diſſenſio hæreditaria Thomiſtarum, Scotiſtarum, &c. in Regno Pontificio, unionis quamvis ſpeciem præferente, ulceris inſtar fuit, quod ſcabiem & inteſtinam rupturam effecit, multúmque adeò promovendo iniquitatis myſterio inſervivit. Neque adeò immeritò Theologiam hanc Nicolaus Clemanges *cum fructibus lacûs Aſphaltitis, qui foris ſpeciem pulchram habeant, ſed intus fumum ac cinerem*, comparavit. Et quid ſunt τὰ βάθη τοῦ Σατανᾶ, *Profunditates* illæ *Sathanæ*, Apoc. II. 24. ſi *Scholaſticæ* illæ *profunditates*, Doctores *profundos* protrudentes non ſunt? Sed Theologiæ hujus famoſæ Helenæ, & Meretriculæ Babylone dignæ, quam *Diabolicam artem litigandi* Calvinus *Comment. in* 1. *Tim. j.* definivit, & cum *caverna Caci* ac *Trojano equo* ſcitè Antonius Sadaël comparavit; errores varios, cujuſmodi ſunt, quòd falſis & heterogeneis principiis innititur: quòd de rebus Theologicis graviſſimis utramque in partem topicè, ſcepticè & Academicè diſceptat: quò veritatem non illuſtrat, ſed argutis ſophiſmatis, & terminorum obſcuriſſimorum prodigiis involvit: quòd tota in quæſtionibus curioſis, vanis & futilibus occupatur: quòd denique perpetuis ſententiarum divortiis, litibus & pugnis ſcatet; *Diſſert. de Theologia Scholaſtica*, fuſiùs proſecuti ſumus.

quomodo etiam Iuri Cæſareo Canonicum op-

XV. Sicut autem juris Divini Majeſtatem Theologiæ talis præſidio laceſſere & oppugnare: ſic humani, Cæſarei puta, Majeſtatem alteram oppoſito Canonico ju-

jure convellere placuit. Id quoque *Hiſt. Pap. ſ. xcv. xcvj.* demonſtrat; ubi etiam diſerti pro Papali omnipotentia textus allegantur. Et conſtat, juxta Canoniſtas, quos ſequuntur, aut ſequi debent Juriſconſulti ſub Papatu, uti quidem Chaſſaneus *part. x. conſid.* 17. fuſiùs aſtruere conatur, Jus Canonicum multis paraſangis civili antecellere; atque ſicubi pugnant, illo, non hoc ſtandum eſſe.

poſitum, atque hoc ſupra illud exaltatum eſt.

XVI. Sic fuerunt *tenebræ*, quæ Cœlum Pontificium ante ſplendorem Divinitùs exortum, non tam obduxerunt, quàm obruerunt. Scintillas tamen cœleſtís lucis, ſeu ſtellulas quaſdam intermicantes fulſiſſe, nulli equidem diffitemur. Cùm enim cum externo illo Eccleſiæ adeò obtenebratæ Occidentalis maximè, Corpore, vera Chriſti Eccleſia, in captivitate hac Babylonica gemens fluctuánſque, & velut in deſerto palabunda, commixta fuerit: neque adeò penitùs verbum Dei & palmarii fidei articuli, in Symbolo Apoſtolico comprehenſi, obliterari & deleri potuerint, quò minùs lux nonnulla reliquiis ſalvandis affulgeret: Deus è medio quoque Sacrorum Antiſtitum, Epiſcoporum & Cleri totius ordine, Cœleſti Virgula tactos, Viros nonnullos pios, eruditos, Divinæ veritatis ſcrutandæ, aſſerendæ & propagandæ ſtudio mirificè flagrantes excivit; qui Pontificis tyrannidi, injuſtitiæ, idololatriæ, erroribus palam prædicándo, ſcribendo, atteſtando, diſputando, carceres & exilia ſuſtinendo, martyria quoque ſubeundo, ſe conſtanter opponerent: quorum nonnulli etiam à Pontificum ſecretis, domeſtici, familiares, auriti & oculati teſtes extiterunt; quorum tria inprimis, inde à Bonifacii VIII. Papatu ad Leonis uſque X. tempora; adeóque Decimumtertium, quartum & quintum Secula feraciſſima fuerunt.

Tenebras haſce Papatûs cœleſtis lucis ſcintillæ quædam, Teſtes Veritatis, publicæ corruptioni reſiſtentes, interſtinxerunt.

runt. Quorum ſtrenuiſſimorum Chriſti athletarum nomina, dicta, ſcripta & facta utcunque in Hiſtoria Papatûs ex Catalogis Teſtium Veritatis, aliiſque monumentis prodita, percenſere hujus loci non eſt. Neque ſingulares duntaxat perſonæ apoſtaſiam Papalis Eccleſiæ accuſârunt, detexerunt, oppugnârunt: verùm integri etiam & populoſi cœtus non in Orientali duntaxat, ſed Occidentali etiam Eccleſia; Waldenſes cumprimis aliique, qui in Gallia, Belgio, Germania, Anglia, Bohemia, aliiſque in locis ſegreges cœtus inſtituerunt, atque in iis Romanenſis Eccleſiæ apoſtaſiæ pleno gutture, & μέχρι αἵματος, *ad ſanguinem uſque*, reclamârunt: quorum reliquiæ triſtes hoc ipſo tempore à novis Cyclopibus diriſſima quæque perpeſſæ, adeò ut denuò in iis impletam eſſe Prophetiam Eſajæ LVII. 5. *Qui mactatis pueros in vallibus, ſub faſtigiis petrarum*, dicatur meritò; cœleſtémque adeò Nemeſin ad vindictam, de iis, qui terram corruperunt, propediem exigendam inclamantes, teſtimonium ſuum ad finem perducere videntur.

Splendor ille, quo terra illuſtranda fuit, phosphoros ſuos habuit; putatum linguarum Orientalium ſtudium quoddam Viennenſis Concilii decreto commendatum: unde editio Bibliorum Complutenſis profecta eſt.

XVII. Splendori porrò illi, quo terra colluſtranda fuit, promovendo, tria potiſſimùm propitiâ Dei providentiâ, remedia, ceu prodromos phoſphorúmque paulatim ex thalamo ſuo prodituri Solis adhibuit; puta Verſionem Bibliorum, Scholarum & ſtudiorum inſtaurationem qualemcunque, & artem Typographicam. Cùm enim Romani Pontifices ſupra annos ducentos, incredibili ſanguinis Chriſtiani jactura, pro Palæſtina recuperanda, infelicia bella geſſiſſent, & recuperatam amiſiſſent iterum, tandem in celebri Galliæ Synodo Viennenſi, circa A. D. MCCCXII. ſancitum fuerat, ut linguæ Orientalibus populis vernaculæ, puta Hebræa, Syria-

riaca , Chaldaica , Arabica & Græca in publicis Scholis docerentur : útque Sacra Biblia in eaſdem linguas converterentur , quò Saraceni infideles , qui nulla hactenùs bellorum cruentiſſimorum vi ſubigi poterant, lectione ſacrarum literarum ad viam ſalutis revocati , Chriſto poſtliminio lucrifierent. Quod decretum tardos licet & exiguos habuit ſucceſſus , habuit tamen nonnullos. Nam Franciſcus Ximenius , Archiepiſcopus Toletanus in Hiſpania , Academiæ Complutenſis fundator, circa A. D. MDXV. Sacra Biblia, ſex tomis incredibili ſumtu ediderat; vetus quidem Teſtamentum textu Hebraico , Paraphraſi item Chaldaïca , totidémque verſionibus Latinis : Novum verò Græco , & tranſlatione Latina. Atque opus iſthoc à Leone X. magnificis privilegiis communitum , univerſóque orbi Chriſtiano commendatum fuerat, veluti κειμήλιον ſacratiſſimum , & oraculum cœlitùs delapſum. Qua occaſione exoptatiſſima factum eſt , ut textus Bibliorum Sacroſanctus, jam pridem Monachorum & Sacrificulorum torpore , pulvere ſitúque coopertus , in apertam lucem revocaretur ; & mox hoc ipſo gladio ſpirituali , Viris doctis in manus porrecto , vulnera Pontificio corpori lethalia infligerentur. Nam eo ipſo tempore , quo Verſio iſta Bibliorum Complutenſis Hiſpanica in lucem prodiit, Cœleſtis mox Splendor ille terram perfundere cœpit.

XVIII. Sed & inclytæ Academiæ & Scholæ in præcipuis Europæ Regnis , puta Germania , Gallia , Anglia , Hiſpania , Italia , Bohemia apertæ & conſtitutæ ſunt ; in quibus Monachali barbarie profligata , literæ & artes liberales priſtino ſuo nitori atque puritati reſtitutæ ; ingenia doctorum mirifico ſtudio atque ardore

Tum Academiarum & Scholarum inſtaurationem, literarúmque adeò & literatorum florem.

re ſacras literas legendi, ſcrutandi, veritatem Divinam cognoſcendi, eandem à ſcoriis & fraudibus humanis ſeparandi, impoſturas denique Papales detegendi oppugnandique accenſa fuerunt. Commodúmque etiam, uti in *Hiſt. Pap. ß. cxliij.* narravimus, capta Conſtantinopoli, & exilio perpetuo bonis literis in Oriente indicto, Turcarum metu Romam ſe contulerunt Viri undequaque doctiſſimi, quos Nicolaus V. Papa, literarum juxta atque literatorum, rara Pontificum indole, amantiſſimus, perhumaniter excepit, & liberaliter ſuſtentavit. Sicut igitur olim Moſes in aula Ægyptiaca educatus eſt, qui poſteà filios Iſraëlis ex Ægypto eduxit, ipſámque Ægyptiacam aulam peſſundedit: ita in *ipſa* quoque Antichriſti hujus aula bonæ literæ promotæ ſunt, quarum deinceps auxilio, Antichriſtus orbi revelari, & in multorum cordibus jugulari debuit. Atque huic Pontifici acceptum referimus, quicquid deinceps ſplendoris Latinæ & Græcæ literæ in Italia primùm, poſteà etiam in Germania, acceperunt. Sic, ringentibus licet, & ſacra omnia commoventibus Monachis, aliíſque φιλοβαρβάροις, Græcas juxta atque Hebraicas literas Germaniæ Capnio ſeu Reuchlinus; Syriacas & Arabicas Theſeus & Widmanſtadius; *Philoſophiam* ſaniorem Agricola, Valla, alii, intulerunt: omnem denique eruditionis Oceanum Picus Mirandulanus, Eraſmus inprimis Roterodamus, Lud. Vives, Budæus, Stephani, alii, exhauſerunt. Quorum veſtigiis laudabilibus ii ipſi, quorum opera & miniſterio Deus lucem Euangelii ſparſit, Zwinglius, Lutherus, Theodorus Bibliander, Pellicanus, Melanchton, alii, inſtiterunt ſedulò; quos proin ob literarum etiam bonarum, & elegantiorum linguarum inprimis exactiorem notitiam, inſulſiſſimi

mi Monachi, Cœli Pontificii Atlantes, hæreſeos crimine arceſſere nulli dubitârunt.

Tum inſervientem utriqueTypographiam, qua Babylonis caſum maturar debuiſſe, oſtenditur.

XIX. Utriſque & verſionibus S. Scripturæ, & literarum humaniorum notitiæ propagandæ, Splendori inprimis Euangelii diffundendo mirificè Typographia, media Seculi Decimi-quinti ætate inventa, beneficium Divinum nunquam ſatis laudatum, inſervivit. Nam ars iſthæc nobiliſſima mox Babylonicæ Meretricis pudenda detexit, & Cœleſtem verbi Divini lucem longè latéque, nequicquam reſiſtentibus, imò vento occlamitantibus Papæ mancipiis, ſparſit, etiamnum ſpargit, & ſpargere nunquam deſinet. Digniſſimum profectò memoratu eſt, quòd Antichriſtum, adeóque etiam Babylonem Magnam, ejuſdem emblema, per linum perdendum Sibylla Erythræa non ſemel Romam, Chriſti nomen profeſſam, Babylonis nomine inſigniens, prædixit. Verba ejus ſunt:

Αἴλινος ἔκτοτε καιρὸς, ὅτι λίνος αὐτὸν ὀλεῖται.

Miſerum inde tempus, quia linum perdet eum.

En modum atque inſtrumentum, quo perimi oportebat immanem hoſtem, idque ex fatis atque prædictionibus Sibyllinis. *Linum*, ſic fatidica mulier, *perdet eum:* non utique ex lino pharmacum aliquod, quo poto aut comeſto peſtis illa emoriatur. Nam Divinâ potentiâ ſeu Spiritu oris Chriſti & Cœleſtibus armis expugnari debuit. Quid verò, inquias, ad pugnam hanc, victoriam & triumphum Chriſti adversùs Antichriſtum linum, gramen fragile, adferet? Scilicet materia, in qua ſcriptitatur vel excuditur quidvis, ex lineo panno minutatim conciſo in aquis, & glutine denſato fit: quam chartam lineam, abuſione veteris nominis, papyrum appellant. Ex ea fiunt epiſtolæ, quas Apoſtolos etiam

vocant : ex ea codicilli , ex ea codices de rebus Divinis & humanis. Nec quiſquam ignorat, libros authorum ſuorum accipere nomina ; ut qui librum Moſis legit, dicatur Moſen legere; qui libros Pauli recitari audit, Paulum audiat. Libri ergò Prophetarum & Apoſtolorum ſcripti , & , quod præſtantiùs multò eſt , impreſſi, hac notione Prophetæ & Apoſtoli ſunt, ex lino quadam παλιγγενεσίᾳ & regeneratione Divina procreati. Hæ legiones præliari validiſſimè contra Babylonem : hæc tormenta, gladii , ſariſſæ , lanceæ, lethales ei plagas inferre debuerunt. His velis & rudentibus naviculæ Petri orthodoxæ & Apoſtolicæ moveri , ut piraticam triremem in mari ſupero & infero vagantem effugerent: his verriculis & ſagenis capi Leviathan : his retibus feræ immanes , quæ agrum Domini , Eccleſias & Politias legitimas infeſtant, capi debuerunt. Hæc invicta potentia eſt Principis noſtri Jeſu Chriſti , dominantis in medio inimicorum ſuorum : qui cùm nutu omnia peragere poſſet, operum tamen ſuorum ſocios & συνεργὲς homines adhibet , eos ad prælia Domini animat & inſtruit; eligendo ſic res infirmas, quas mundus vilipendit : quibus alta , firma , præpotentia , inexpugnabiliáque Mortalium judicio , & molitiones Sathanæ evertit. Factúmque adeò eſt , ut qui in mundo ſupremam ſibi dignitatem arrogabant, tonantes fulminantéſque, ut Salmoneus iſte, aut Sapores Perſarum tyrannus , linum tamen iſthoc perindè ut lymphatici aquas metuerint; & quia metuerunt, cane pejùs & angue oderint , libros minimè malos ferro & igni perſecuti fuerint; quos abolere non potuerunt, corruperint, legi prohibuerint, expurgârint ; id unicè & flagrantiſſimè voventes , ut typographicas officinas vel in ſuam poteſtatem redigant , vel penitùs aboleant

leant omnes: quod vel ſolum Tridentini Concilii de librorum publicatione decretum, Seſſioni IV. inſertum comprobat.

Reformationis prodromis hiſce acceſſerunt deſideria ejuſdem teſtatiſſima:

XX. Prodromis hiſce ſecuturi mox Splendoris ipſius, acceſſerunt vota enixiſſima bonorum omnium, quibus ex meliore luto præcordia Deus finxit. Inter eos enim nemo non Reformationem Eccleſiæ adeò corruptæ in votis flagrantiſſimis habuit: quorum cogitationes exhibentur Pſal. IV. 7. *Multi dicunt: Quis nos faciet videre bonum?* Sua quiſque ætate ſucceſſuram eam, ſpe bona præcepit. Johannes Vitoduranus Barvota noſter *ad A.* 1348. hæc notavit: *In his temporibus apud homines diverſi generis, imò cuncti generis multos valdè apertiſſimè vulgabantur, Imperatorem Fridericum II. hujus nominis ad Reformandum ſtatum omninò depravatum Eccleſiæ eſſe venturum in robore maximi Potentatûs. Adjiciunt quoque homines prædicta ſentientes, quòd neceſſe ſit eum venire, ſi in mille partes ſecatus eſſet, imò ſi in pulverem per combuſtionem redactus foret, eò quòd divinitùs ſit decretum, ita debere fieri, quod immutari impoſſibile eſt.* Extant adhuc lucubrationes eorum, qui publicis ſcriptis & neceſſitatem Reformationis demonſtrârunt, & modum ejuſdem præſcripſerunt; veluti Dominici Brixienſis Epiſcopi libellus ad Pium II. titulo, *Reformatio Curiæ Romanæ*, ſcriptus: Jacobi de Guitrade liber *de Septem ſtatibus Eccleſiæ in Apocalypſi, ejúſque Reformatione:* Petri Numagen Trevirenſis, *Geſta Archiepiſcopi Craynenſis in facto indictionis Concilii*, à Celeb. Hottingero *Hiſtor. Eccl. Tomo IV. pag.* 355. &c. ex Manuſcripto edita: Nicolai Clemangis *de Corrupto Eccleſiæ ſtatu querela*, liber à Cl. Lydio publici juris factus,

ctus, notiſque illuſtratus, cujus *capite* 31. demonſtrat, quòd ſtatus Eccleſiæ Papalis propter ſuperbiam tendat ad ruinam; & *cap.* 32. quòd Eccleſia priùs humilianda, quàm erigenda ſit: Petri de Aliaco, Cardinalis Cameracenſis tractatus *de Reformatione Eccleſiæ*, ſex conſiderationibus abſolutus: ubi non morum duntaxat Cleri & populi, ſed etiam conſuetudinum eccleſiaſticarum, ſuperſtitionum, Scholarum, Theologiæ cumprimis Scholaſticæ & linguarum καταίρτισιν vehementer urget: Andreæ de Petra, Archiepiſcopi Coloſſenſis, Eugenii IV. in Concilio Baſileenſi Oratoris, *de Reformatione Eccleſiæ* oratio, qua ob Cleri corruptionem, *myſtici Templi ſtructuram graviſſimum lapſum atque ruinam minari* præſagivit; ipſo Bzovio ad *A.* 1432. narrante: Epiſtola Chriſti nomine ad Concilium Conſtantienſe, ſecundo ejus anno ſcripta, quæ in Bibliotheca S. Andreæ Brunſuigæ reperitur, qua *Reformationem à Papa, aliiſque ſummi ordinis incboandam eſſe*, aſſeritur: Colloquium Petrum inter & Paulum inſtitutum, paſſímque in Bibliothecis obvium; quo paucos metu tyrannidis Papæ errores Antichriſti perſtringere ſuſtinere, queritur: Johannis Gerſonis ſcripta complura, Conſtantienſis Concilii tempore vulgata, quibus Reformationis Eccleſiæ neceſſitatem urſit, modúmque aphoriſmis & propoſitionibus pluribus comprehenſis præfinivit. Cujus inprimis articuli ſedecim, etiam Catalogo teſtium veritatis *lib. ix. p.* 831. non expreſſo authoris, qui fortè ſcriptorem Catalogi illius latuit, nomine, inſerti ſunt, Eccleſiæ Romanæ fœdam faciem, reformationis indigam, vivis coloribus depingit. Taceo Durandum Mimatenſem, Sigiſmundum Imperatorem, Concilium Conſtantienſe & Baſileenſe, Langium Cittizen-

Digitized by Google

tizenſem, Chemenſem Epiſcopum, Hadrianum VI. Ordines Imperii & Cantones IX. Helvetiæ, Prælatos Pauli IV. juſſu Conſilium de reformanda Eccleſia meditatos, ipſos Tridentini Concilii Patres, quos Reformationis neceſſitatem agnoſcentes *Hiſtor. Papatûs* §. 123. 140. 141. 156 —— 173. induximus.

neque quoad mores duntaxat, ſed etiam fidem ipſam, uti ex Gerſone & Ænea Sylvio oſtenditur.

XXI. Ne verò de morum duntaxat reformatione ſolicitos fuiſſe hoſce ἱεροδιώκτας putemus, en inter Gerſonis regulas, Conſtantienſi Concilio oblatas, has etiam: 1. *S. Scriptura eſt fidei regula, contra quam benè intellectam, non eſt admittenda authoritas, nec ratio hominis cujuſcunque, nec aliqua conſuetudo, nec conſtitutio, nec obſervatio valet, ſi contra S. Scripturam militare convincatur.* 2. *S. Scriptura dum conſideratur in aliqua ſui parte, vel propoſitione, non eſt tenenda in ſolis terminis illius propoſitionis, aut in illo ſenſu, quem illa propoſitio per ſe & nudè conſiderata facit; ſed conferenda & concordanda eſt per comparationem ad alios S. Scripturæ paſſus.* 3. *S. Scriptura poteſt & debet in ſuis partibus, & partialibus aſſertionibus reverenter, & humiliter, & diligenter expoſitionem recipere, concordando paſſum cum paſſu, & unum per alterum judicando.* 4. *S. Scriptura in expoſitione partium requiſivit homines præditos ingenio, exercitatos ſtudio.* Nervum tetigit Gerſon, & fidei principium, Scripturam à nullius authoritate ſuſpendendam, reſtitui pertendit. Vel ex his laciniis de reliqua textura judicare licet. Quin & Papam ipſum Euangelicæ traditioni contradicentem, coërcendum, & Concilio ſubjiciendum eſſe, Æneas Sylvius ſic Epiſtola ad Colonienſes ſcripta pertendit: *Homini Chriſtiano, qui verè Chriſtianus dici vult, nullam rem magis cordi eſ-*

ſe convenit, quàm ut fidei ſibi per majores traditæ puritatem ſervari, ab omnibus immaculatam ſtudeat. Et quippe, ſi quando adversùs Euangelicas traditiones aliquid aſtruitur, ſurgendum populariter eſt, & ad commune reſtinguendum incendium afferre aquam omnes tenemur. Nec timendum eſt, ut inimici aut inviſi fiamus, verum dicentes. Reſiſtendum eſt quibuſcunque in faciem, ſive Paulus, ſive Petrus ſit, qui ad veritatem non ambulat Euangelii. Quam rem feciſſe per hos dies Univerſitatem veſtram, gaudio in hoc Concilio Baſileenſi gaudemus omnes. Allatus nempè ad nos eſt tractatulus veſter, quo imperitiam, vel, veriùs dicam, temeritatem illorum arguitis, qui & ſubjectum Concilio Romanum Pontificem, & ſupremi judicii tribunal in Eccleſia eſſe diffitentur, quos ſic vivacibus rationibus, & Scripturarum veritatibus & rationibus premitis & retunditis, ut nec tanquam lubrici angues ſe evolvere, nec in aliquo cavillari aut ſibilare queant. Hanc mentem ſi Papa factus Æneas retinuiſſet, & poculo aureo hauſto inebriari ſe paſſus non eſſet, poterat optimos quoſque votorum ſuorum damnare. Sed non inde ſalutem Eccleſiæ affulgere Deus voluit, unde maxima corruptio ejuſdem originem traxit.

nec non bona omina & præſagia, viſionèſque Babylonis mox ruituræ.

XXII. Sed neque bona omina, & ſecuturæ mox Reformationis caſuſque Antichriſti prædictiones deerant; quas haud paucas Johannes Wolphius, diligentiſſimus memorabilium & reconditarum rerum collector, Catalogi Teſtium veritatis, & Rhonæus in idea Reformationis conſignârunt. Mitto Johannem Huſſum, qui conſtantiſſimus Martyr jamjam cremandus, cygneum ejuſmodi vaticinium emiſit: *Huſſum (anſerem* non Bohemis modò ea vox notat, ſed & Hebræis ac Arabibus vox אוז) *cre-*

crematis hodiè: (die 6. Jul. MCCCCXV.) *Poſt centum annos cygnus veniet, quem cremare non poteritis* Hiltenus quoque, Iſenacenſis Franciſcanus, annum Reformationis prædixit, cujus ſe vidiſſe vaticinium αὐτόχειρον Melanchton alicubi teſtatur. Extat epiſtola Farelli ad Pellicanum A. MDLVI. ſcripta his verbis: *Pius ſenex, Jacobus Faber, quem tu nôſti, ante annos plus minùs quadraginta, me manu apprehenſum ita alloquebatur:* Guilhelme, oportet orbem immutari, & tu videbis, *dicebat.* Ego *tum charus eram ſeni, & perrexit mihi eſſe pater. Sed nihil erat niſi ſuperſtitio, in qua ſeni adnitebar accedere aliquantum. Nam æquare vix poterat quiſquam, tantùm abeſt, ut vinceret. Sanè ſtupeſco, quando cogito inſanam tanti Viri ſuperſtitionem, qui vel floribus jubebat Marianum idolum, dum unà ſoli murmuremus preces Marianas ad idolum, ornari. In Miſſa omnes vincebat. Tandem aliquid lucis cœpit intueri. Sed quanta caligo adhuc reſtabat? Demùm coactus Galliâ Argentoratum deſcendit: ubi Virum commonefeci eorum, quæ olim prædixerat, & jam tempus inſtare dicebam. Quod & pius Senex fatebatur, meque hortabatur, pergerem in annuntiatione Euangelii.* Prophetiam civis cujuſdam Erfurdienſis A. MCCCXLI. ſcriptam, ex Lubecenſi Bibliotheca Pomeranus eruit, quæ ſic ſonat: *Cùm numerabitur annus milleſimus quingenteſimus decimus-octavus, res maximi momenti in his oris continget, quæ ſuis viribus nixa, poteſtatem habebit ſuper omnia, tamque potens erit, ut vim nullam ipſa paſſura ſit. Superabit enim potentiam omnem, & qui vim ei opponere cogitabit, vim patietur ipſe.* Poſſet huc etiam referri Viſio, quam Fratri Nicolao Helvetio Subſylvano, paulò ante Re-

formationem factam, filius ejus Carolo Bovillo tradidit, atque hic rectà ad Nicolaum Horium, Archiepiſcopum Rhemenſem, qui eam publicè primus celebravit, miſit. Vidit is ſplendenti & pellucido circulo incluſum caput Papale, redimitum triſido diademate, cujus faſtigio orbiculus cum cruce fuerat impoſitus; ſicut is Imperatoribus hactenùs præferri conſuevit. Caput ipſum mediam circuli aream occupabat. Facies rubicunda erat, vultus atrox & valdè minax: frons corrugata, trucéſque & micantes oculi excandeſcentis ſpeciem præ ſe ferebant: mentum barbâ valdè hirſutâ, & in tres cirros diſcretâ, veſtiebat, ſed canitiei ſitu ſqualidâ: ſuperiùs labium itidem myſtace prominente ferociebat. Porrò in faciem ex circi circumferentia tres acuti gladiorum mucrones tendebant, quorum unus ex imo circi progrediens perrupta barba os papale petebat; reliqui duo ab utroque latere oculos fodicabant. Contra hos ex ipſo capite alii totidem tendebant, duo nempe ex naribus versùs utrúmque circuli latus cuſpides demittebant, tertius ex caperata fronte ſursùm per diàdematis longitudinem versùs orbiculum tiaræ impoſitum vergebat. Viſionem hanc *μυστηριώτατην* Theologus ſagaciſſimus, Conradus Graſerus, in *Plaga Regia. pag.* 218. *&c.* explicavit, & futuro Papæ caſui & excidio in phialarum ſeptem effuſione, aliiſque vaticiniis Divino Spiritu prædicto, clariſſimè aptavit. Alios plures, ſplendorem Euangelii inſecuturum prænuntiantes, puto Nicolaum Cuſanum, Johannem Lichtenbergium, Joachimum Abbatem, Hildegardem, Brigittam, Andream Prolem &c. ad compendium pono.

Quæ tandem ipſa cœleſtis illu- XXIII. Neque præſagia ejuſmodi eventus fefellit. Poſt tot enim prodromos, phoſphoros, deſideria bonorum

rum

rum & omina, ipſe Cœleſtis Veritatis Sol ſubitò ex thalamo ſuo eluctatus, gloriâ ſuâ terram illuſtravit, atque mox terra, juxta vaticinium Eſai. XI. 9. *plena facta eſt cognitione Domini, ſicut mare aquis tegitur*. Hoc verò tum effectum eſt, quando Leone X. ad Romanæ Eccleſiæ gubernacula ſedente, ejuſdémque nutu indulgentiarum nundinatione, principio fidei de Jeſu Chriſti Salvatoris unici gratia, è diametro oppoſita, per inſtitores ejuſdem in orbem terrarum emiſſos impudentiſſimè exercita, & ad impietatis faſtigium ſummum producta, Deus Spiritu ſuo Heroës induit, *ut lege juſtitiæ Chriſti*, quæ eſt *Lex fidei in Chriſtum*, cujus ſolius merito & juſtitiâ conſummatiſſimâ, peccata credentibus remittuntur, pleniſſimáque adeò venia indulgetur, ex Dei infallibili verbo, ſemotis traditionibus, Papalibus Bullis, omnique authoritate alia, illuſtrata, nuſpiam non ſermo de ea eſſet, atque integra Regna, Provinciæ, Civitates ei adſtipulari cogerentur. Qui verò hanc *Legem juſtitiæ* Chriſti, ſeu viam *juſtitiæ* novit, is novit Dominum, Jerem. XXXI. 33, 34. De qua juſtitiæ via manifeſtanda, ſic loquitur, Eſaias cap. XXXV. 8. *Via ſanctitatis ita in aperto futura eſt, ut & ſtulti non errent.*

minatio, terram præconio Evangelii ſeu juſtitiæ ſolius Chriſti, cen cauſæ ſalutis unicæ, colluſtrans à excepit.

XXIV. Revelatio illa Legis juſtitiæ multùm ad judicium Babylonis faciebat haud dubiè, quia per eam non tantùm denudari illa, deſolari, compertumque fieri cœpit, quòd non ſit Eccleſia Chriſti, & quòd Jezabel non ſit Prophetiſſa, ſed Meretrix & Babylon, utpote deficiens à Lege juſtitiæ Chriſti, & aliud amoris fiduciæque ſuæ objectum, aliud ſalutis præſidium, amplexa: ſed etiam per eam factum eſt, ut quorum cordibus Deus Legem hanc inſcripſit, apud eam manere non potuerint,

Præconium illud Evangelii cum judicio Babylonis conjunctiſſimum fuiſſe probatur.

quia Babylon Legem illam juſtitiæ reapſe blaſphemavit, eámque profitentes hoſtili odio perſecuta eſt; ita enim planè evenit. Poſtquam enim Viri Dei, Zwinglius, Lutherus, aliique doctrinam de juſtificatione per ſolam Chriſti juſtitiam, non per ulla hominis opera, indulgentiarum nundinationi, ex Dei verbo ſtrenuè oppoſuerunt, & Euangelium ex eodem ſincerè, clarè, efficacitérque prædicârunt, atque in Regiam illam ſalutis viam plurimos induxerunt, præconio huic Romanus Præſul ſe πανστρατιᾷ oppoſuit, & ſementem in herba ſuffocare conatus, omnes vineas pluteóſque ſuos admovit, ut Præcones Euangelii ſtrenuos illos & indefeſſos fulminibus ſuis afflatos è medio tolleret. Machinatio illa reluctantis Papæ exacuit Euangelicorum Paſtorum ſtudia, ut non tantùm ipſius authoritatem & poteſtatem, adeóque pupillam ejus validiſſimè, magnóque cum ſucceſſu oppugnare inciperent, ſed etiam ad alia maximi momenti dogmata deflecterent, reformationémque indies perfectiorem redderent. Quare caſus Babylonis plurimùm promotus fuit, contumacia & inobedientia errantium indies creſcente, ut non tam per ſtultitiam, quàm per rebellionem veritati reſiſterent, atque ita Babylon ipſa ad judicium ſuum matureſceret.

Illuminatio illa terræ, ſeu Reformatio, tenebris Papatûs è diametro oppoſita fuit, quod ex reſtitutis dogmatis fidei, ceremoniis, cultu externo, re-

XXV. Illuminatio illa terræ, tenebris, quibus Papatum totum involutum fuiſſe ſuprà oſtendimus, contraria omnia habuit. Nam, ut paucis res maximas complectar, *fidei* dogmata ad verbi Divini amuſſim exacta tota, priſtinum nitorem ſuum receperunt. Scripturæ eminentiſſima authoritas, ſepoſitâ & ſpretâ omni authoritate aliâ, in arce collocata eſt: corruptio hominis ex eadem oſtenſa: liberi arbitrii idolum confractum: gratiæ divinæ non partes duntaxat ſive primæ, ſive ſecun-

cundæ tributæ ſunt, ſed univerſa ſalus, converſio, fides, denique quicquid in homine boni auſpicatíque eſt, in ſolidum relatum acceptum eſt: Chriſto Salvatori officia & beneficia ſua illibata reſtituta, & ab eorum ſocietate Angeli hominéſque excluſi: Juſtitiæ merito, ſatisfactioni & δικαιώματι ejus in verbo & ſacramentis oblato, à Deo peccatori per ſolam gratiam imputato, veráque fide recepto, uni ſolique, excluſa omni dignitate humanæ operationis, nedum pretio rerum terreſtrium, cui hactenùs Dei gratia addici ſuevit, meritum omne, juſtitia omnis, remiſſio peccatorum, vita æterna, transſcripta: denique univerſa, quæ ad fidem & charitatem pertinent, ad Lydium ſolius Scripturæ, demonſtrato ejuſdem ex Scriptura ſenſu, lapidem exacta ſunt. In *Ceremoniis*, cuncta ſimplicitati inſtitutionis Chriſti & praxeos Apoſtolorum, nec non ordini & decoro conformata, & ſacramenta ex Dei verbo priſtinæ ſuæ ſimplicitati, atque iis, quibus à Chriſto ſacrata ſunt, uſibus reſtituta: quæ ad εὐταξίαν pertinent, pauca, innocua, ſine neceſſitatis & ſingularis myſterii opinione, ſolius ordinis & decori præſcriptione, vel retenta vel recepta ſunt. In *Cultu externo*, invocatio, adoratio, veneratio ſolius Supremi Numinis, & infinitæ Majeſtatis probata: Creaturarum in univerſum omnium religioſa veneratio omnis profligata: fuci illi cultûs duliæ, hyperduliæ; directi, obliqui, majoris, minoris, tranſitivi, intranſitivi abſterſi ſunt. In *Gubernatione Eccleſiæ*, omnis Miniſtrorum Eccleſiæ, Tros Rutulusve fuant, in temporalibus & ſpiritualibus dominatio, elatio, ἀλλοτριοεπισκοπία omnis ſeverè interdicta, & pro Dominis, ne dicam, tyrannis conſcientiis ipſis dominantibus. Paſtores legitimi, gregem ſoli Chriſto, non ſibi & concupiſcen-

gimine Eccleſiæ, religionis cognoſcendæ mediis, Verbo Dei inprimis, aſſeritur.

piſcentiis ſuis paſcentes, & quod boni paſtoris eſſe ſapienter ὁ δεῖνα dixit, tondentes, non deglubentes; Oeconomi adeoque & Miniſtri, non alia quàm ex præſcripto prædicandi Euangelium, Sacramenta diſpenſandi, & ordinem atque decorum omne liberè in Eccleſia conſtitutum, ritè cuſtodiendi, poteſtate pollentes ſubrogati ſunt. Denique quoad *religionis cognoſcendæ media*, verbum Dei Solius in arce dominandi, ſummoque authoritatis culmine repoſitum, omnibúſque legendum, meditandum, ſequendum propoſitum, commendatum unicè, & ſupra traditionem, authoritatem hominum & ſignaturam Beſtiæ adeò exaltatum eſt, ut jam ne pueri quidem, juxta vaticinium Eſaiæ xxxv. 8. aberrare poſſent, commenta humana, μύθοι σεσοφισμένοι, ſeu *fabulæ artificioſè compoſitæ*, ad orcum relegatæ: Linguarum, Originalium inprimis, & ſanioris πρὸς χρῆσιν οἰκοδομῆς facientis Philoſophiæ ſtudia ex ſuo exilio, quo diu damnata jacebant, revocata ſunt. Hoc ſcilicet brevi cœleſtis ille ſplendor ſubitò ex æthere erumpens, univerſámque terram colluſtrans; hoc nova quædam Pentecoſte, tantam in Eccleſiam Metamorphoſin inducens, effecit.

Facies inde Papatus inverti, & retrò ſublabi tota cœpit.

XXVI. Ubi jam apud eos, quos ſic Spiritus S. ſuo φωτισμῷ renovavit, Papiſtica illa κειμήλια, idola & altaria? Ubi cuculli, roſaria, globuli preculares, grana conſecrata, horæ canonicæ? Ubi anniverſaria manium καθάρματα, miſſarum ſolennia, indulgentiarum diplomata, ſuffragia pro defunctis, ſuffumigia pro vivis, aqua februa, ciborum, veſtium, dierum diſcrimina? Ubi chriſmata & exorciſmi? Ubi ſtigmata Franciſci, peregrinationes ad ſtatuas, tabellæ votivæ, mortuorum adoratio? Ubi denique

Som-

Somnia, terrores magici, miracula, ſagæ,
Nocturni Lemures, portentàque Theſſala?

Ut retineant religionem tot Seculis uſurpatam, ut nos in Eccleſiæ ſuæ gremium reducant, cur non portentoſa aliqua de Spectris, de Lemuribus, de Inferis comminiſcuntur? Cur non mortuorum apparitiones fingunt? Omnia tentata hactenùs, ſed nihil uſpiam ſuccedit. Nimirum cœleſti hac luce perfuſus, ſapere cœpit Orbis Chriſtianus, patefactæ ſunt nebulonum fraudes, aperti doli, detracta perſona. Bernenſe ſcelus, quod Chronica noſtra recenſent, aliáque fictis iſtis viſionibus atque miraculis fidem derogârunt. Monachorum ſomnia atque aniles fabulæ pro nihilo ducuntur: contemnuntur & Papæ tonitrua è pelvi. Bullæ ipſæ Papales, pro bullis habentur. Nihil præter Euangelium jam admittimus. Et quoniam vox cœleſtis de Chriſto, *Ipſum audite*, præcipit, nihil jam moramur authoritatem Papæ & Sanctulorum ejus, Dominici, Franciſci, &c. nihil deliramenta Monachorum, nihil apparitiones mortuorum. Ipſum jam, ipſummet, inquam, Chriſtum audire ſolum volupe eſt. Itaque eò jam promotum ferè eſt, ut mendax & fucoſa ſuperſtitio ſublata propemodùm è medio, atque extincta radicitùs è mortalium plurimorum animis videatur.

Hierarchia quoque poteſtas pluribus in Occidente Regnis atque Provinciis corruit.

XXVII. Sic planè Papa cum omni ſuo ſyrmate hactenùs viſus ſedere, & ſolis inſtar lucere in Cœlo, cecidit in terram. Cecidit Babylon, cùm ſic verus juſtitiæ Sol ſplendore ſuo colluſtravit terram: & ſpiritualia Papatûs fundamenta, prætextus Catholicæ Eccleſiæ, Chriſti œcumenicus Vicariatus, Petri perſonalis & ordinaria ſucceſſio, aliáque ejuſmodi, quorum aſcititio fuco Meretrix illa toti mundo nequiter impoſuit; ſubruta

ta ſunt. Quomodo Apoc. IX. 1. buccinante quinto Angelo, ſtella ex Cœlo cecidiſſe dicitur. Cui caſui Regis Babylonis myſticè caſus in terram Eſai. XIV. 12. reſpondet. Sicut in Cœlo ſedebat, & ſtella fuerat, opinione hominum: ita lapſus eſt in terram, cùm homines eam opinionem de ipſo perſuaſionémque abjecerunt, atque Papa ſtupor ille mundi, jam vulgi fabula factus eſt. Convenit, quòd Apoc. XIV. 8. poſt prædicationem æterni Euangelii cœptam, ſimiliter caſus Babylonis ſic annuntiatur: *Cecidit, cecidit Babylon urbs illa Magna.* Deſumtum id eſt ex Eſai. XXI. 9. ubi de Babylone Chaldaica ſermo eſt; quæ cecidiſſe dicitur, quando motûs bellici initia apparuerunt. Sic planè Papatus cecidit, ſeu cadere cœpit, quando Splendore Euangelii illuſtrati homines pii, Deique reverentes, aperuerunt oculos, & Hierarchiam Babylonem eſſe, doctrinâ, ceremoniis, cultu ejus omni & gubernatione, cum verbo Dei & doctrinâ Euangelii publicè jam & clarè ſonante, comparata, agnoverunt, abominationes ejus & turpitudines abhorruerunt, communionem ejus neglexerunt, fœdæ nundinationi ejus nuntium remiſerunt, nihil ampliùs Regnis, Provinciis, Civitatibus in iſtam voraginem conferentibus, quin potiùs nidorem illum culinæ ex offertoriis Miſſarum, ignemque purgatorii luculentiſſimum extinguentibus; Annatas, Indulgentias, Pallia, Regalia, ſeu pretia ex iis hactenùs redacta, & id genus alia πρὸς ἄλφιτα, & ad cuticulam profuſiùs curandam pertinentia, ſubtrahentibus; denique univerſam factionem Papalem, Babylonicæ impietatis convictam, res ſuas ſibi habere & πολλὰ οἰμώζειν, multum plorare juſſerunt.

Neque tamen Papa priore hoc

XXVIII. Non tamen hac quidem vice ſic cecidit Papa, ut Regnum planè nullum; ſuumque veluti σκέ-

λετον

Digitized by Google

λετον quoddam ad tempus non retineret. Nam & Babylon primùm lapſa, non illicò regnum ſuum dominatiónémque univerſam perdidit, ſed & domicilium cuſtodiámque quandam, & domicilii ſui, cuſtodiæque incolas quoſdam retinuit. Poſtquam enim cecidit, ſtatim de ea Apoc. XVIII. 2. enuntiatur: *Et facta eſt domicilium dæmoniorum, & cuſtodia omnis ſpiritûs immundi, & cuſtodia omnis avis immundæ & inviſæ.* Alludit Prophetia ad Eſai. XXXIV. 11. —— 15. Sicut in Civitatibus deſólatis ſerpentes & infauſtæ aves dominari ſolent, ita factum innuit, ut in Babylone lapſa, loco ſerpentum dæmonia, loco avium impurarum & inviſatum, homines mali, rapaces, truculenti, obſcœni habitent.

casu regnum ſuum univerſum amiſit, ſed ſceleton quoddam retinuit. Unde Babylon Papalis Domicilium dæmonum, & Cuſtodia omnis ſpiritus immundi, & avis inviſæ evaſit.

XXIX. Poſt caſum Papatûs, & ſeparationem ab eodem, Eccleſiæ, quæ hactenùs in eo captiva ſuſpiraverat, duo hominum genera in ejuſdem communione remanſerunt. Prius eorum, qui fundamenta Chiſtianæ Religionis abnegare perrexerunt, & in omni impietate ſua Babylonica obdurati, ſignaturam Beſtiæ prona voluntate receperunt, retinueruntque. Poſterius eorum, qui tametſi corpore adhuc cum eodem conjuncti, quia non ſtatim omnes profunditates Sathanæ iis innotuerunt, ſuſpirantes tamen, & emendationem ſperantes; quin & propter ſcandala aliundè, cujuſcunque culpâ id fieret, iis objecta, quò ſe conferrent, ancipites hærent; adeóque corpore magis, quàm affectu animóque intra Babylonis illius ſpiritualis mœnia ſe continent. Sicut Babylon Chaldaica, egreſſo inde Zorobabele, unà cum populo Iſraëlitico, illicò cœpit fieri habitaculum hominum impurorum: licèt non omnes ſimul Iſraëlitæ egrederentur, ſed paulatim multi exirent, qui lo-

Duo genera hominum in Papatu poſt ejus caſum priorem reſidua:

co licet cum impuris hominibus juncti, animo tamen disjunctiſſimi erant: ita, quando Eccleſia cœpit ex Babylone ſpirituali egredi, illicò cœpit illa fieri habitaculum dæmoniorum & impurarum avium, licèt multi corpore conjuncti, animo disjuncti, in eo cenſu non ſint. Sed, ut continuatur egreſſio populi, ita Babylonis deſolatio proficit. Eatenùs igitur de nonnullis, qui nondum Babylone exiverunt, ſpem habere poſſumus, quòd ad Babylonem non pertineant, quatenùs ſpem habere poſſumus, eos neſcire, quid Babylone geratur, & quæ ſit cauſa eorum, qui ex ea egrediuntur; adeóque non habere doctrinam Babylonis, ſed per verba fundamenti veritatem didiciſſe, & amorem Dei ad parendum certo ipſius verbo concepiſſe, denique ſuſpirare propter peccata, quæ in Babylone fiunt. Prius verò illud genus hominum Spiritus S. *dæmonia, aves impuras & odioſas*, Babylonémque eorum *domicilium* & *cuſtodiam* inſignit:

quorum alterum dæmoniorum, impurorum ſpirituum & exoſarum avium indolem refert.

XXX. Cujus enim, quæſo, poſt ſeparationem fidelium, veritatis profeſſorum, domicilium Papatus, ſpiritualis illa Babylon, factus eſt, in quo doctrinæ dæmoniorum obtinent, & caſtra ſua metantur homines, qui iis delectantur unicè: in quo non tolerantur pii, qui ſe diſcipulos verbi Divini profitentur, & volunt piè vivere: ſaltem, qui timent in nomine Dei facere, cujus Deus author non eſt, & quod nunquam ille præcepit: in quo denique nonniſi homines flatibus aëreis tenebroſi hujus ſeculi acti, & doctores cum inauſpicata voce corvorum & bubonum inſtar, pervolitantes regnant? Jam olim quidem Bernhardus *lib. iv. Conſid.* ſic Papam Eugenium compellavit: *Inter hæc tu Paſtor procedis, multo & pretioſo circumdatus ornatu. Si auderem*

rem dicere, DÆMONUM *magis, quàm ovium* PASCUA *hæc ſunt.* Quantò magis dæmonum paſcua evaſerunt tum, cùm veræ oves Chriſti, vocem ejus, Paſtoris unici, audientes, arida illa & deſerta Babylonis loca deſeruerunt, ſecúmque irrigua & ſalubria, ſi qua ſupererant, paſcua abduxerunt?

In Papatu ſpiritus immundi, ſimiles ranis, graſſantur.

XXXI. S. Johannes Apoc. XVI. 13. 14. ſexto Angelo phialam ſuam in fluvium illum magnum Euphratem effundente, vidiſſe dicitur, ex ore Draconis, & ex ore Beſtiæ, & ex ore Pſeudoprophetæ prodeuntes *Spiritus tres immundos, ſimiles ranis. Erat enim*, inquit, *πνεύματα δαιμόνων ſpiritus dæmonum, facientes ſigna, qui exeunt ad Reges terræ, & totius habitabilis, ut congregent illos in bellum diei illius magnæ Dei omnipotentis.* Tripartitum illud ſpirituum, Papæ emiſſariorum, & Tot-Orbi-perambuli-technorum, Draconico homicidii, Beſtiali cupiditatis rerum temporalium, & Pſeudoprophetico mendacii, falſæque doctrinæ afflatu turgentium agmen ſuprà, ubi crudelitatem Babylonis repræſentavimus, explicatiùs paulò dedimus. Cúmque eorum operatio, & totius phialæ ſextæ prophetia cum Babylonis hoc caſu planè conveniat, ubi attentiùs conſideranti liquebit, hæc ipſa utique dæmonia, poſt factam piorum ſeceſſionem, in Babylone remanſiſſe, & in eadem ceu cuſtodia ſua detineri, liquet, tametſi non tam Deus, quàm eorum cupiditates, avaritia, hypocriſis, mollities & adamata vitæ luxuries, ſplendor fortunæ, & ſimilia, in carcere illo eoſdem detinet. Hæc enim, non quicquam aliud, eò illos propellit, ut Regnum illud Avaritiæ & Impietatis, tanquam portum negotiationis ſuæ, tanto conatu contra conſcientiam ſuam defendant.

In eodem regnant doctrinæ dæmoniorum: de quibus S. Paulus 1. Tim. iv. 1, 2, 3. &c. vaticinatus eſt, quod ex characteribus doctrinarum illarum à S. Paulo expreſſis, oſtenditur.

XXXII. Ubi doctrinæ dæmoniacæ regnant, ibi domicilium dæmoniorum fixum haud dubiè eſt. In Papatu autem doctrinas dæmoniacas regnare, manifeſtum eſt, quia in eodem impletum eſt S. Pauli vaticinium 1. Tim. iv. 1. 2. 3. his verbis conceptum: *Spiritus tamen expreſsè dicit, poſtremis temporibus quoſdam à fide defecturos, attendentes ſpiritibus erroneis & doctrinis dæmonum, per hypocriſin falſiloquorum, cauteriatam habentium conſcientiam, prohibentium inire matrimonium, & jubentium abſtinere à cibis, quos Deus condidit ad participationem cum gratiarum actione fidelibus, & qui veritatem agnoverunt.* Hcc vaticinium Papatui, ex eo inprimis tempore, quo ab eodem Eccleſia Chriſti ſeceſſit, ex amuſſim congruere, ſinguli ferè apices demonſtrant. *Primò* enim, prædicit S. Paulus *apoſtaſiam à fide*, eámque futuram *poſtremis ſeu noviſſimis temporibus*. Papatum autem à fide defeciſſe, ex ejuſdem erroribus tyrannicis, in Chriſtum ejúſque officia arietantibus, Idololatricis & Magicis ſuprà probavimus, & à fide decidere cœpiſſe eundem ὑςέροις καιροῖς, *noviſſimis temporibus*, hoc eſt, uti pluribus Joſephus Medus *de Apoſtaſia noviſſimorum temporum pag.* 103. &c. poſt Imperii Romani ruinam, quod tempus juxta Calendarii Prophetici ſtylum, *noviſſimorum temporum* nomine venire ſolet, ex hiſtoria & prophetiæ ipſius filo liquet. *Secundò*, apoſtaſia tribuitur iis, qui attendunt *ſpiritibus ſeductoribus*. In quibus proin eſt προσοχὴ, *attentio*, ad *ſpiritus* hominum, qualis videlicet includit opinionem, quòd hi homines mendacium loquentes, habeant *ſpiritum*, cui attendendum ſit; quique adeò errare, fallere vel falli ipſe nequeat: & cui jubenti ſimpliciter, præcipientíque, non demonſtran-

ſtranti ex Scripturis, juſſa, ἀβασανίστως credendum parendúmque ſit. Sic planè Papicolæ προσοχὴν ἀδοκίμαστον, *attentionem rebus non exploratis*, commodandam, hoc eſt, *fidem implicitam*, quæ in Papæ, aſſiſtentiam perpetuam Spiritus S. adeóque infallibilitatem in rebus fidei, quoad *jus*, & (ſic enim hodiè Jeſuitaſtri ſaltem ſciſcunt) quoad *factum*, jactantis, tanquam Pontificii imperii nervum, poſtulant præſtántque. Sed ſpiritui tali cœcam fidem ſubſtringere Spiritus S. quod res eſt, προσέχειν πνεύματι πλάνῳ, *attendere ſpiritui deceptori*, appellat. *Tertiò*, eadem apoſtaſia tribuitur iis, qui attendunt διδασκαλίαις δαιμονίων, *doctrinis dæmoniorum.* Sive autem δαιμόνια hîc Deaſtros, Angelos, Sanctóſque in Divorum religioſè colendorum cenſum vocatos, ſignificant, uti quidem idem, qui ſuprà, Vir doctiſſimus Jeſephus Medus, Theologus Anglus, eodem doctiſſimo libro probare ſuſtinuit, quid Dæmoniorum, hoc eſt, Deaſtrorum religioſo cultu, & idololatria in Papatu frequentiùs? Sive *Cacodæmones* notantur, doctrinæ dæmoniacæ, à Sathana introductæ, quas procedente etiam hoc tractatu demonſtramus, tam manifeſtè in Papatu obtinent, ut res jam tum geſta, non gerenda demùm deſcribi videri poſſit. *Quartò*, Prophetia apoſtaſiæ hujus & dæmoniacarum doctrinarum certos quoſdam characteres figit, eoſque maximè obvios & notorios. Nam ſic deficientes & dæmoniacis doctrinis, ſeu ſpiritibus deceptoribus attendentes, dicuntur *mendacium locuturi in hypocriſi, cauteriatam habere conſcientiam, vetare uxores ducere, jubere abſtinere à cibis.* Sunt enim Spiritus ii, quibus deficientes à fide attendunt, *deceptores.* In deceptione autem duo ſunt; ut, qui decipere velit, tum gratum aliquid & ju-

Digitized by Google

jucundum exhibeat atque oſtentet, quale quid mendacium eſt, quo maximè homo naturalis delectatur: tum tegat ea, quæ proponit, ut videantur utilia, aut ſaltem non appareat, ea eſſe noxia; hoç eſt, ne videantur pugnare cum eo, quod de Deo & via juſtitiæ cognitum eſt, & ignorari non poteſt, quod fit per ὑπόκρισιν, ſeu *ſimulationem* eam, qua aſſumitur nomen Chriſti, voluntas ſequendi Scripturam Euangelicam, accipiendi ſigna fœderis, quædam cum fidelibus communia dicendi, faciendıve, abſtinendi à gentilium Idololatria, eamque inſectandi, Judæos & Hæreticos ſingulari cum zelo oppugnandi, præfertur. Altera ſic docentium nota eſt, quòd *habent conſcientiam cauterio aduſtam*. Cauterium, quo ſic conſcientia aduritur, ſunt concupiſcentia ingens, hypocriſis, fraus, ſophiſmata, quibus ſe indurant & obſtupefaciunt, qui ita à fide deficiunt, & dæmoniacas doctrinas inducunt. Sed clariſſimi omnium characteres deficientium à fide, & dæmoniacas doctrinas introducentium ſunt, quòd *vetent* illi *uxores ducere*, & jubeant *abſtinere à cibis*, *quos Deus condidit*. Hæc de Hierarchicis prædicta eſſe, meridiani ſolis radiis ſcriptum eſt. Papæ enim vetant eos, qui Epiſcopi, Presbyteri, Clerici eſſe volunt, uxores ducere; & cibis certis in jejunio abſtinere præcipiunt.

Apoſtolus ibidem cælibatus;

XXXIII. Qua verò etiam hîc, ut in reliquis omnibus Hierarchici ψευδολόγων ὑποκρίσει, *mendaciloquorum hypocriſi*, utuntur: quo cauterio conſcientiam ſuam obſtupefaciunt? Negant in univerſum, Apoſtolum loqui de omnibus, qui vetant nuptias, ſed de quibuſdam duntaxat, qui matrimonium, ceu rem malam, univerſis interdicunt; cujuſmodi olim Encratitæ, Carpocratiani, Ma-

Manichæi, Marcionitæ, alii fuerint. Hæc mala renitentium conſcientia eſt. Fingunt enim ex ſuo ingenio non in univerſum de omnibus, ſed de quibuſdam, Apoſtolum loqui, atque ita fas eſſe prohibere alicui, quod nefas ſit prohibere omnibus. Cùm tamen interdictum hoc in uno eſſe juſtum, in alio injuſtum & dæmoniacum eſſe non poſſit. Chriſtus enim & Apoſtoli omnes eundem Spiritum, eandem puritatem & ſanctitatem habere volunt. Et Presbyteri typi eſſe gregis debent. Quod igitur prohibetur paucis, toleratur quidem, ſed reprehenditur in omnibus; & oſtenditur eſſe res inhoneſta, indecora, turpis, mala. Quod dogma cum veteribus Hæreticis Encratitis, Manichæis, &c. Papiſtæ commune habent. Verbis ergò, ſe nuptias, ut rem malam, prohibere negant: re affirmant, & cauteriatam conſcientiam produnt. Legitimum enim amorem, & legitimas nuptias dicunt eſſe contrarias puritati Sacerdotis: & magis contrarias, quàm ſcortationem. Quare enim prohibent, ſi non eſſe contrarias Sacerdotis Sanctitati reputant? Sacerdotem propter tractatum corpus Chriſti, cœlibem eſſe oportere ſanciunt: atque idem corpus Chriſti uxoratis, quorum puriores manus ſunt, quàm Sacerdotum labia, in os inſerunt. Quid verò multis? Conjugii illud Papale interdictum, manifeſtè injuſtum, impium, dæmoniacum eſt, tum, quia contrarium eſt honori matrimonii, quod Deus inſtituit, quódque S. Paulus ἐν πᾶσι, *in omnibus*, in omni genere hominum, τίμιον *honorabile*, ſeu honoratum eſſe Hebr. XIII. 4. declaravit: tum, quia Spiritui S. & χαρίσμασι, donis ejus, quæ liberè, uxoratis & non uxoratis diſtribuit, contrariatur, dum uxoratos per dona ſua Eccleſiæ utiles eſſe vetat, adeóque Spiritum S. extinguit: tum quia prohiben-

hibendo matrimonium incenditur, πύρωσις, & occaſio ſcortationi vagiſque & infamibus libidinibus datur: tum, quia ratio hujus præcepti, fictum ſcilicet Sacerdotium, quo corpus & ſanguis Chriſti in manibus & ventriculo hominis offeratur, cum Chriſti gloria pugnat: tum, quia vera hujus præcepti ratio eſt conſtabilitio hujus Hierarchiæ, & conſervatio dependentiæ Cleri univerſi à Papa: tum, quia laqueum conſcientiæ injicit, 1. Cor. VII. 35. tum, quia præcepto Chriſti Matth. XIX. 12. & Pauli 1. Cor. VII. 2. Col. II. 18, 19, 20, 21. repugnat: tum denique, quia interdictum illud temerarium & plenum τόλμης & αὐθαδείας eſt, non tantùm, quia ex propriæ prudentiæ præſumtione oritur; ſed etiam, quia conjugium ſic interdicentes, id faciunt abjecto timore, quem illis Prophetiæ Dan. XI. 37. & hujus loci injungunt.

nec non ciborum certorum in jejunio interdictum Pontificium directè impetit.

XXXIV. Par deficientium illorum à fide, & dæmoniacis doctrinis attendentium ψευδολογία ἐν ὑποκρίσει, & cauteriata conſcientia ſe prodit, dum præceptum abſtinendi à cibis, quos Deus condidit, quódque characterem eorum, qui apoſtaſiam & dæmoniacas doctrinas invexerunt, Apoſtolus fecit, interpretantur de iis, qui jubent abſtinere ab omnibus cibis, & quidem, ut à re mala. Quis enim omnes cibos, & ut rem malam prohibere poteſt? Annon enim iidem hæretici, qui carnem à malo Deo eſſe dixerunt, ederunt tamen biberúntque? Sicut nemo omnibus conjugium prohibere potuit, quin genus humanum extingui cuperet: ſic nemo omnibus cibos omnes prohibere potuit. Reſtringere ergò apoſtaſiam ad ejuſmodi conditiones ſtolidas, non aliud eſt, quàm apoſtaſiam quandoque futuram fuiſſe, negare, adeóque Prophetiam ipſam infringere. Cœterùm,

rùm, Apoſtoli verba validarum inſtar compedum, Pontificios conſtringunt. De iis enim vaticinatur, qui in hypocriſi mendacia locuturi; adeóque etiam hanc ipſam epiſtolam, & totam Scripturam probaturi, & tamen hanc Prophetiam impleturi erant: quod palam eſt à Pontificiis fieri, qui & Prophetiam eam pro Divina habent, & exactè implent, facientes id, quod facturos Apoſtatas à fide, prædictum eſt. Iidem cibos quoſdam prohibentes, eoſdem noxios eſſe, vel impuros, reclamantes licet, arguunt. Neque illud obſtat, quòd certis tantùm diebus vetant; quia etiam Lex Divina V. T. certos cibos ad tempus duntaxat vetans, eoſdem Legaliter impuros declaravit. Ita fermentatus etiam panis Iſraëlitis in Paſchate, quo ſolo vetitus erat, impurus fuit, & edentes imò domos ipſas, in quibus erat, polluit. Neque etiam juvant exempla magna, quibus hîc utuntur iidem, quæ per ſophiſticen uſurpata, ſunt cauterium illud, quo conſcientiam ſuam, quoad hoc præceptum, exurunt. Dicunt enim, jejunatores fuiſſe Eliam, Danielem, Johannem, Chriſtum, Chriſtianos Veteres. Quaſi ſcilicet vel Apoſtolus, vel nos apoſtaſiam collocaremus in eo, ut quis carnem ſuam ſubigat, & temperanter vivat, aut etiam orandi cauſa, ſua ſponte vel communi conſenſu jejunet. In eo potiùs cum Apoſtolo collocamus, quòd homines hypocritæ & mendaces, præceptum dent de diſtinctione ciborum, vel etiam partem religionis in eo ponant, ſi voveant abſtinentiam à certis cibis; & quòd homines talibus, tanquam Spiritum Dei ſingulari ratione habentibus, & pro lubitu docentibus, præcipientibúſve attendant.

XXXV. His ergò characteribus Papatui exactiſſimè con- *Ex characteribus iiſ-*

Digitized by Google

dem ad liquidum perducitur, Papatum dæmoniacarum doctrinarum corpus integrum in ſinu ſuo fovere.

congruentibus, ad liquidum perducitur, in eodem, non alibi, apoſtaſiam à fide, & doctrinas illas *dæmoniacas*, quas noviſſimis temporibus invalituras, Spiritus S. prædixit, regnare; adeóque in eodem dæmoniorum domicilium fixum eſſe. Nam duo illa Papatûs dogmata, puta de Conjugio Sacerdotum, & Jejunio piſcario, dæmoniacas doctrinas neutiquam abſolvunt, ſed characteres duntaxat notiſſimi eorum ſunt, ex quibus clariſſimè cognoſci poſſit & debeat, quinam illi ſint, qui noviſſimis temporibus à fide deficient, & doctrinas dæmoniacas cujuſmodi ipſæ etiam characteriſticæ illæ ſunt, invehent. Neque illud obſtat, quòd apoſtaſia à fide, & doctrinæ illæ dæmoniacæ etiam ante Reformationis tempora in Papatu obtinuerunt. Non enim domicilium dæmonum Roma, dæmoniacas doctrinas ſectata licet, dici potuit, quamdiu cum eadem vera Eccleſia commixta fuit: ſed tum demùm, cùm ſecedente ab eadem verâ Eccleſiâ, non alii ferè remanſerunt, quàm ii, qui dæmoniacas doctrinas pridem equidem introductas, nunc demùm confirmatas, & anathematis etiam roboratas, mordicùs retinerent, & in erroribus illis ſe obdurarent.

Cujuſmodi ſit Papalis Eccleſia, etiam ex definitione Eccleſiæ à Bellarmino prodita,

XXXVI. Cujuſmodi Eccleſia Romana, poſt ſeceſſionem ab eadem Eccleſiæ Euangelicæ, evaſerit, vel ſola Eccleſiæ definitio à Bellarmino perhibita, demonſtrat. Is nempè *de Eccl. Milit. cap.* 2. Eccleſiam definit *cætum hominum ejuſdem Chriſtianæ fidei profeſſione, & eorundem ſacramentorum communione colligatum, ſub regimine legitimorum Paſtorum, ac præcipuè unius Chriſti in terris Vicarii, Romani Pontificis.* Porrò definitionem ſuam ſic explicat, ut tradat, illam ſolùm comprehendere eos, qui *ſpe aut timore ali-*

aliquo temporali profitentur fidem, etiamſi *nullam habeant virtutem internam*, *& ſint ſicut capilli*, *aut ungues*, *aut mali humores in corpore humano.* Dignum profectò tali capite corpus, & dignum tali corpore caput! Deinceps *cap.* 7. diſputat, etiam *reprobos* eſſe membra Eccleſiæ Catholicæ, & *cap.* 10. non adversùs Calviniſtas duntaxat, quos vocat, ſed etiam adversùs Johannem de Turrecremata, etiam *infideles occultos* eſſe vera Eccleſiæ membra, pertendit. Cùm ergò Bellarminus ad hoc, ut membrum aliquis ſit corporis veræ Eccleſiæ, ullam virtutem internam requiri neget, ac eos ſolùm comprehendat, *qui ſpe aut timore aliquo temporali profitentur fidem*, *& pro Capite agnoſcunt Papam;* qui homo peccati & filius perditionis eſt, & ejuſdem Eccleſiæ ſuæ membra vera, etiam reprobos & infideles occultos conſtituat; quàm parùm ejuſmodi Eccleſia malignantium à dæmoniorum domicilio diſtet, res ipſa clamat. Neque enim membra ejuſmodi Eccleſiæ, virtute interna nulla prædita, reprobi, occulti, infideles, dæmoniis præſtare dici poſſunt, quia vel fidem Chriſtianam profitentur ore, & corde abnegant, adeóque ſpeciem pietatis habentes, potentiam ejuſdem tollunt: vel Sacramenta ad tales non pertinentia, injuſtè uſurpant: vel Papam pro capite ſuo agnoſcentes, ab unico veróque Eccleſiæ Capite, Chriſto, deficiunt. Hypocritica ejuſmodi confeſſio, ſacramentorum, ceu gratiæ pignorum, rapina & ſacrilegium, denique defectio à Chriſto Capite parùm profectò, vel nihil à Dæmoniis eos diſparare poſſunt.

XXXVII. Pertinent huc etiam novæ illæ creaturæ, quas Concilium Tridentinum, à Calice Babylonicæ Meretricis ebrium, in medium Eccleſiæ theatrum evo- *nec non novis Tridentini Concilii creaturis colligitur.*

 muit,

muit, puta *Fideles fornicarii, fideles adulteri, fideles molles, fideles maſculorum concubitores, fideles fures, fideles avari, fideles ebrioſi, maledici, rapaces, &c.* Talia enim ſanctis Patribus illis, non ſine Numine, ne quorum domicilium ſit Romana Eccleſia, dubitari ampliùs poſſit, exciderunt *Seſſ. vj. cap.* 15. ubi ſic illi probaturi ſcilicet, *quolibet mortali peccato amitti gratiam, ſed non fidem*, loquuntur: *Adversùs etiam hominum quorundam callida ingenia, qui per dulces ſermones & benedictiones ſeducunt corda innocentium, aſſerendum eſt, non modò infidelitate, per quam & ipſa fides amittitur, ſed etiam quocúnque alio mortali peccato, quamvis non amittatur fides, acceptam juſtificationis gratiam amitti, Divinæ Legis doctrinam defendendo: quæ à Regno Dei non ſolùm infideles excludit, ſed & (NB)* FIDELES *quóſque fornicarios, adulteros, molles, maſculorum concubitores, fures, avaros, ebrioſos, maledicos, rapaces, cœteróſque omnes, qui lethalia committunt peccata.* Bellos profectò *fideles*, genuinæ Babylonis incolas, à Patre *Diabolo* genitos, Patriſque ſui genio ingenióque præditos. Non his *fidelium* auguſtum illud nomen, ſed *Dæmoniorum*, qui ipſi quóque credentes, non tamen *fideles* contremiſcunt; juſtiùs appellatio quadrat.

Papatum poſt Reformationem cuſtodiam immundorum ſpirituum, & avium impurarum exoſarúmque

XXXVIII. Non *Dæmoniorum* duntaxat domicilium, ſed etiam φυλακὴ, *cuſtodia omnis ſpiritûs immundi, & avis immundæ atque exoſæ*, Babylon eſſe debuit. Cui non ſtatim hîc φυλακῇ, *cuſtodiæ*, ſeu clauſtra, monaſteria, religioſorum κατ' ἀντίφρασιν talium, qui plerique ſanè (bonos ſimplicéſque paucos fortè excipio) flatibus aëreis, tenebroſi hujus Seculi acti, cor-

Digitized by Google

corvorum & bubonum inſtar Pontificium Regnum pervolitant, in mentem veniunt? *Volucres immundæ*, ſic Rupertus explicat, & *odibiles omnes ſuperbi tam dæmones, quàm homines rectè intelliguntur. Volatus námque volucrum levitatem & vanitatem ſignificat ſuperbientium. Nec verò qualibuſcúnque volucribus, ſed immundis aſſimilantur, verbi gratia, noctuis, ſive upupis, quæ ſtercoribus humanis inſidere delectantur.* Immundæ aves eædem etiam voraces, rapaces ſunt. Ea porrò de impuritate, crudelitate & avaritia Hierarchiæ univerſæ, atque in eadem etiam Religioſorum ſuperiùs diximus, quæ huc reſervata dubium neutiquam relinquunt, quorum in Hierarchica Babylone ſymbolum immundos Spiritus, immundas illas, & exoſas aves Spiritus S. eſſe voluerit.

factum eſſe, ex clauſtris religioſorum oſtenditur.

XXXIX. In eo cenſu haud poſtremi Jeſuitæ λεγόμενοι, Lojolæ ſocii, ferales, ſi qui alii, bubones ſunt, quorum ſingulares hæreſes Hiſtoria Papatûs ediſſeruit. Eſſe illos ὄρνεα μεμισημένα, *volucres exoſas* omnibus, ipſis etiam reliquis in Papatu ordinibus, eas ad orcum ipſum, ſi facultatem haberent, properè relegaturis, in propatulo omnium eſt. Eorundem crudelitas, impuritas, avaritia, lippis & tonſoribus nota eſt. Vel ſola Theologia illorum Moralis & Caſuiſtica, de qua peculiari diſſertatione, & in eadem Papatûs hiſtoria nonnulla diximus, impuritatis doctrinæ illorum teſtis omni exceptione major eſt. Atque ne injuriam iis, quæſitiſſimum honoris ſui ſenſum habentibus, facere videar, operæ pretium, teſtimonio domeſtico, Cenſuræ videlicet Facultatis Theologicæ Pariſienſis, in librum Amadæi Guimenii, pleraque Theologiæ Moralis Jeſuiticæ capita complexum, publica authoritate ante annos viginti, & quod excurrit,

Ieſuitas præ cæteris aves impuras & exoſas eſſe, cùm ex aliis, tum ex Theologia eorum Caſuiſtica, nec non Cenſura ejuſdem in Facultate Pariſienſi adornata, in qua permultis ejus Propoſitionibus dæmoniacarum doctrinarum ſtigma inuritur; demonſtratur.

rit, vulgatæ, & Pariſiis apud Guilhelmum Deſprez impreſſæ, impuritatem impietatemque Sacerrimæ illius Societatis, propalare duxi. Ex ea enim jubare meridiano clariùs eluceſcet, ubi, judicibus ſanioribus iis, qui in Pontificia communione viventes, nondum planè cauterio exuſtam conſcientiam habent, ſtabulentur *doctrinæ* illæ *dæmoniacæ*, & domicilium ſuum dæmonia fixerint. Nam Guimenium, adeóque Jeſuitas pleróſque omnes, quorum Interpretem Guimenius egerat, ipſa illa Cenſura ex eorum numero eſſe, quos in noviſſimis temporibus ſurrecturos prædixit Apoſtolus, *attendentes ſpiritibus erroris*, & *doctrinis dæmoniorum*, &c. candidè fatetur. Sed Cenſuram ipſam de verbo ad verbum repræſentemus.

CEN-

CENSURA SACRÆ
FACULTATIS
THEOLOGIÆ PARISIENSIS,

In Librum, cui titulus eſt,

AMADÆI GUIMENII LOMARENSIS,

Olim primarii Sacræ Theologiæ Profeſſoris, opuſculum, ſingularia univerſæ ferè Theologiæ Moralis complectens: Adverſus quorundam expoſtulationes contra nonnullas Ieſuitarum opiniones Morales ad Tractatus de peccatis; de opinione probabili, &c. Editio noviſſima, &c. Lugduni, ſumtibus Phil. Bordee & Guillelmi Barbier, 1664. cum Appr. & Superiorum permiſſu.

Immanem Pſeudo-Theologorum de rebus moralibus ſcribendi libidinem, Summi Pontificis Alexandri VII. omniúmque ferè Gallicanæ Eccleſiæ Præſulum auctoritate, ac ſuâ Cenſurâ, in damnatâ Caſuiſtarum Apologiâ compreſſam penitùs æſtimaverat Sacra Facultas Pariſien-

riſienſis. Neque ſibi ampliùs quicquam in tam Sancto negotio agendum ſupereſſe autumabat, niſi ut Sancti Auguſtini freta conſiliis, *æternum diligeret homines, quorum interfecerat errores, & ſine ſuperbiâ de veritate præſumeret, quæ ſine ſævitiâ pro veritate certaverat, ac pro illis oraret quos redarguerat atque convicerat.* Cùm ecce tranquillitatis Eccleſiaſticæ hoſtis acerrimus, nec tam Caſuiſtarum, quàm ſpurcitiarum omniúmque ſcelerum Patronus, ſuis è latebris larvatâ fronte prodiit, Amadæus Guimenius; qui ſe ex eorum eſſe numero ſatis ſuperque comprobavit, quos in noviſſimis temporibus ſurrecturos prædixit Apoſtolus; *Attendentes ſpiritibus erroris & doctrinis dæmoniorum in hypocriſi loquentium mendacium, & cauteriatam habentium ſuam conſcientiam; errantes & in errorem mittentes.* Edidit quippe ille auctor opuſculum, ſeu potiùs Anti-Euangelium in rebus ſpurciſſimis obſcœna curioſitate ac ſagacitate indagandis horrendum: ut mirum ſit alicujus pudoris hominem, quippe primarii Theologiæ Profeſſoris ſibi nomen affingit, tot monſtra efformare ac ſcribere potuiſſe; quæ modeſtioris ingenii Vir ſine rubore ac verecundia legere non poſſit. Neque ſuos modò errores propalare de induſtriâ tentavit; verùm etiam aliorum ejuſdem furfuris ſcriptorum fœces, apertis neſcio cujuſdam, quam ab extrinſeco vocant, probabilitatis canalibus, in corda fidelium effundere conatus eſt. Quamobrem cùm anno Domini 1664. die primâ, menſis Septembris, Honorandus M. N. ANTONIUS DE BREDA, ejuſdem Facultatis Doctor & Syndicus, in ſolenni congregatione habitâ in aulâ majore Collegii Sorbonæ, poſt Miſſam de Spiritu Sancto, ut moris eſt, factam, Librum

ad

ad Facultatem detuliſſet, cui hic titulus erat inſcriptus: *Amadæi Guimenii Lomarenſis olim primarii Sacræ Theologiæ Profeſſoris opuſculum, ſingularia univerſæ ferè Theologiæ Moralis complectens: adversùs quorundam expoſtulationes contra nonnullas Jeſuitarum opiniones Morales ad Tractatus de peccatis; De opinione probabili, &c. Editio noviſſima, Lugd. ſumtibus Phil. Borde, Laur. Arnaud. Petri Borde, & Guillelmi Barbier*, 1664. *cum Appr. & ſuperiorum permiſſu.* Cúmque idem Honorandus M. N. Syndicus, ſcandala expoſuiſſet, quibus quotquot ſunt Viri frugi, atque Euangelicæ diſciplinæ amatores ſinceri, occaſione horribilis libelli, afficerentur. Sacra Facultas, pro eâ quâ pollet authoritate, non uno, ſed pluribus Seculis totius orbis Chriſtiani conſenſu probatâ, Apoſtolici dicti potiſſimùm memor, quo ſibi præſcriptum novit, ut eos *arguat & increpet in omni patientiâ & doctrinâ, qui ſanam doctrinam non ſuſtinent, ſed ad ſua deſideria coacervant ſibi Magiſtros prurientes auribus, & à veritate auditum avertunt*, intelligítque neceſſe eſſe, ut Doctores verè Chriſtiani tanquam *boni Miniſtri Chriſti Jeſu, enutriti verbis fidei & bonæ doctrinæ, eos redarguant, qui docent quæ non oportet, turpis lucri gratiâ:* atque adeò à S. Cypriano edocta *imperiti eſſe medici tumentes vulnerum ſinus manu parcente contrectare:* Hujus libri examinandi provinciam tredecim ſelectis Doctoribus cum D. Decano ac Syndico commiſit. Qui quidem cùm repetitas inter ſe collationes per menſem integrum habuiſſent, in ſolenni congregatione apud Sorbonam, poſt Miſſam de Spiritu S. ut moris eſt, celebratam, plurimas propoſitiones ex prædicto Libro in indiculum collectas, primùm Facul-

tati retulerunt die 1. menſis Octobris. Quas propoſitiones Sacra Facultas, *nunquam errari æſtimans in defenſione nimiâ veritatis, & in rejectione nimiâ falſitatis*, ex famoſo illo Amadæi Opuſculo excerptas, typis mandari juſſit, eáſque ſive ab authore propugnatas, ſive non defenſas, infelici tamen illius ſolertiâ, contra mentem, & ad mentem ejus ex variis ſcriptoribus ab ipſo depromtas, adeóque externæ, quam tuetur, probabilitatis fundamentis fulcitas ac ſtabilitas examinandas cenſuit: ut uno cenſuræ ictu non unicum modò ſcriptorem, ſed & alios quoſcunque fumoſæ laxioriſque Theologiæ Agyrtas percuteret, qui, ut rectè ait S. Cyprianus: *Cùm felices homines dicunt, illos in errorem mittunt; cùm peccantes blandimentis adulantibus palpant, peccandi fomitem ſubminiſtrant, nec delicta comprimunt ſed nutriunt.* Ac ne quis forſan illud minùs æquum exiſtimet, quòd Sacra Facultas propoſitiones nonnullas ex eodem libello excerptas, damnaverit, quas author nec probare, nec improbare, imò & aliquando repudiare videtur; omnes monitos vult hunc Amadæi in miſerabili illa *lucubratiuncula fuiſſe ſcopum*, ut Caſuiſtarum quorumlibet patrocinium ſuſciperet, atque *omnibus*, quemadmodum ipſe in operis ſui præfatione teſtatur, *Theologiæ Profeſſoribus veritatis ſpeculum Jeſuiticæ, abſque nævo referens, doctrinæ vultum ſuo objiceret opuſculo.* Quamobrem poſtquam in operis ſui prælimine *Propoſitiones, quæ, ut improbabiles, ſcandaloſæ, temerariæ, & erroneæ, & Jeſuitarum commenta in libro Anonymi notantur*, vindicandas aggreſſus eſt, hanc toti ſuo operi coronidem imponit. *Ex dictis jam apparet, quâ veritate, quo jure, quo zelo Anonymus in ſuo garriat libello propoſitiones præobjectas &c.*

fal-

falſas, improbabiles, ſcandaloſas, temerarias & erroneas, &c. Quomodo enim ſcandaloſæ & erroneæ, quas Eccleſia in tot tantiſque Doctoribus, opinionibus, opiniones non corrigit &c. nullibi ergò ſcandalum, nullibi error. Ex quo apertè intelligitur, id præſertim hoc ſuo libello molitum fuiſſe Amadæum, ut omnes illas propoſitiones ab omni cenſurâ immunes, atque externæ probabilitatis munimine tutas præſtaret. Cùm igitur iidem deputati à Sacra Facultate Doctores, ſæpiùs inter ſe ſuper illis propoſitionibus conveniſſent, notiſque affectas ad Facultatem detuliſſent, eadem Facultas toto negotio pro more, in deliberationem per D. Decanum, in quatuordecim Comitiis generalibus miſſo, de prædictis propoſitionibus ſelectis & examini ſubjectis ſic cenſuit.

PROPOSITIONES EXCERPTÆ

EX LIBRO

AMADÆI GUIMENII &c. DE EBRIETATE

Pag. 3. *Num.* I.

Mirum non eſt, quòd hi Doctores doceant, ebrietatem eſſe licitam ad vitandam mortem, quando alii ad conſervandam etiam ſalutem licere putant.

Pag. 70. Ad evitandum grave malum, quod aliter vitari non poteſt, licitum eſt inebriare authorem.

P. 108. n. 2. Ex quo principio ſe inebriantem ad vitandam mortem, ab extrinſeco aliter imminentem, excuſant à culpâ.

CENSURA. *Doctrina his propoſitionibus contenta, eſt falſa, ſcandaloſa & contraria verbis Apoſtoli.*

DE CONTUMELIA. p. 86. n. 2. & 3. Quando contumelioſus non ſperatur ſe cohibiturus; ſed perſtiturus in contumelia ſemel dicta, aut aliàs aggreſſurus, is, qui eam patitur, poteſt licitè illi dicere: Mentiris, &c. Et ſanè difficilè videtur, quòd hoc non liceat.

CENSURA. *Hæc propoſitio intellecta hoc ſenſu, quòd liceat dicere, Mentiris, per modum convicii, falſa eſt, & Scripturæ Sacræ contraria.*

De HOMICIDIO. p 6. Licitum eſt deſiderare alteri mortem, & de illa gaudere, non quatenus illi mala; ſed quatenus tibi bona: v. g. ut ei in bonis ſuccedas.

P. 7. n. 2. A mortali excuſatur mater, quæ mortem filiabus exoptat, quia occaſione ipſarum, malè ſecum agitur à marito, aut injuriis afficitur.

P. 87. n. 3. Eum qui imponit falſum teſtimonium alicui, ut ſuam juſtitiam & honorem defendat, non peccare mortaliter: cur ergò pecccabit ex eo quòd convicianti dicat: mentiris? & quidem ſi pro defenſione honoris licet alterum occidere, cur non & vocare mendacem?

P. 98.

P. 98. n. 2. Credo, quòd per injuriam percuſſus, poſſit ſtatim repercutere, etiamſi invaſor non deberet ultra progredi, ſed ad vitandam ignominiam & dedecus: poſſet qui colaphum, exempli gratiâ, accepit, gladio ſtatim repercutere, non ad ſumendam vindictam, ſed ad vitandam infamiam.

P. 94. n. 1. Poteſt etiam interfici qui Virum aliquem honoratum conviciis & maledictis afficit, nec poteſt aliter cogi ut taceat; talis enim eſt invaſor honoris.

Num. 2. Reſpondeo eſſe cuipiam licitum prædictum injuriantem & detrahentem, notabiliter famam alterius, clàm occidere, ſi nullâ aliâ viâ talis famæ læſionem evitare queat, in praxi tamen difficile eſt hoc modo defenſionis uti.

P. 102. n. 3. Neſcio ab alio, quàm à Baſilio Pontio improbabilem dici opinionem aſſerentem, patrem poſſe occidere filiam in adulterio deprehenſam, & maritum ſimiliter uxorem; me enim judice, ſtando authoritati, eſt probabilis, & ſtando rationi, quam debuiſſet percallere Baſilius, certa & evidens.

CENSURA. *Hæ propoſitiones ſunt falſæ, ſcandaloſæ, & reſpectivè pietati, charitati & juſtitiæ contrariæ; vindictæ, crudelitati & avaritiæ viam aperientes.*

De DUELLO p. 88. n. 3. Poſſéntque pro illa citari Doctores aſſerentes, honoris defendendi causâ, non ſolùm licere acceptare duellum abſque animo pugnandi, ſed etiam ad illud provocare.

P. 89. n. 5. Ad vitandam infamiam, quando prudenter judicatur non ſupereſſe aliud remedium, niſi accepta-

ptatio, & in præfixum locum egreſſio, quamvis ſequatur congreſſio, & ex iſta mors, vel vulneratio alicujus concertantium, licitè poteſt acceptari. Idem dici debet de oblatione.

CENSURA. *Hæc doctrina falſa eſt, ſcandaloſa, contraria juri divino & humano, tam Eccleſiaſtico, quàm civili, imò & naturali.*

De PROBABILITATE p. 27. n. 1. Ex authoritate unius tantùm, poſſe quem illam (nempè opinionem) in praxi amplecti, licet à principiis intrinſecis falſam & improbabilem exiſtimet.

P. 28. n. 3. En quot Doctores militent pro ſententia Tanneri, cujus unius authoritas ſufficeret ad efficiendam probabilem.

Item, dicit idem, quod frater ſimplex, vel quilibet homo cum ſalute poteſt ſequi in conſiliis quamcunque opinionem voluerit; dummodo alicujus magni Doctoris opinionem ſequatur, ſic ille & meritò. Nam unicum gravem Doctorem conſtituere opinionem extrinſecè probabilem, docent quatuor ſuper viginti Doctores.

P. 27. prop. 1. Quamvis opinio ſit falſa, poteſt quilibet tutâ conſcientiâ illam practicè ſequi, propter authoritatem docentis, judicare probabilem & juxta illam operari : quæ doctrina ferè communis eſt inter Doctores.

P. 28. n. 2. Imò quæ ſi el conſultante pideque le aconſeje conforme à la opinion mas favorable, pecca en no hazerlo aſſi.

Imò ſi is, qui ſibi conſulti vult, poſtulat, ut ſibi conſulatur ſecundùm opinionem omnium faventiſſimam, peccatis qui conſulitur (licet ejuſmodi opinionem judicet

dicet improbabilem) ſi morem conſultantis cupiditati non gerit.

CENSURA. *Doctrina harum propoſitionum falſa eſt, temeraria, innumeris novitatibus & corruptelis viam aperiens, & conſcientiæ regulas evertens.*

P. 191. n. 4. Puto omnia eſſe hodiè meliùs examinata, & hanc ob rem, in omni materia, & præcipuè morali, libentiùs juniores, quàm antiquiores lego & ſequor.

CENSURA. *Hæc propoſitio falſa eſt, temeraria in moribus periculoſa, ſanctis Patribus & antiquis Doctoribus contumelioſa.*

De CHARITATE. p. 66. n. 3. Et illam amplectuntur non ignobiles Magiſtri, atque Doctores, quando defendunt præceptum charitatis, per ſe tantùm obligare in articulo mortis.

P. 68. n. 8. Præceptum affirmativum amoris Dei & proximi, non eſſe ſpeciale, ſed generale; cui per aliorum præceptorum adimpletionem ſatisfit.

CENSURA. *Hæc doctrina falſa eſt, erronea, impia, & primo ac maximo Legis Euangelicæ mandato contraria.*

De CORRECTIONE FRATERNA. p. 74. n. 6. Probatur multipliciter, quòd ille ordo procedendi Euangelicus neminem obliget, ut præceptum, ut communiter accipitur à Theologis, pro lege obligante ad mortale peccatum, ejus tranſgreſſores.

Fruſtrà excipiuntur tot caſus & conditiones ab illo

præcepto Euangelico, quia non datur tale præceptum; cùm ſecundùm naturale præceptum charitatis correctio fraterna debeat regulari, &c. tertio loco oſtendetur id, quod graviùs eſt, præceptum illud perniciosum fore, nedum inutile: præcepta verò Chriſti eſſe verè utilia teſtatur ipſe Dominus, Eſaiæ 48. Ego Dominus docens utilia.

CENSURA. *Doctrina his propoſitionibus contenta, falſa eſt, & temeraria, Sanctis Patribus contraria, & quatenùs dicit fore pernicioſum præceptum, ſi quod foret in Euangelio Matthæi, cap. 18. blaſphema.*

De MISSA ET COMMUNIONE. p. 127. n. 3. Dico tradentem ſtipendium taxatum (ſacerdoti Miſſam celebranti) retenta ſibi parte minori, aut etiam majori, non peccare mortaliter, nec teneri ad reſtitutionem &c. Quia nulli infertur damnum, neque injuria, ſed ſolùm fit contra ſimplicem prohibitionem, quod non poteſt eſſe niſi peccatum veniale.

CENSURA. *Hæc propoſitio, ut jacet, falſa eſt & ſcandaloſa, favet turpi lucro, avaritiæ & injuſtitiæ.*

P. 236. prop. 4. Non datur præceptum ſub lethali obligans, ad recipiendam Euchariſtiam in articulo mortis.

P. 237. n. 3. Addunt alii, nullum dari præceptum Divinum Communionis, ſed tantùm Eccleſiaſticum, ac proinde, ſecluſo Eccleſiæ præcepto, non peccaturum, qui in tota vita non communicaret.

CENSURA. *Doctrina harum propoſitionum falſa*

ſa eſt, ſcandaloſa, & reſpectivè verbo Dei ſcripto & non ſcripto contraria.

De SIMONIA p. 113. n. 2. Non eſſe contra juſtitiam beneficia Eccleſiaſtica non conferre gratis, quia collator conferens illa beneficia Eccleſiaſtica, pecuniâ interveniente, non exigit illam pro collatione beneficii, ſed veluti pro emolumento temporali, quod tibi conferre non tenebatur; tum quia dum excluſis aliis, te præfert conferendo tibi Beneficium, affectum ad te determinat, & ſe privat poteſtate alteri gratificandi; quod eſt magno pretio æſtimabile. Hæc ille, qui à fortiori tenetur idem dicere in noſtro caſu, cùm eadem prorsùs militet ratio.

P. 149. Non eſt Simonia pacto expreſſo ſe obligare ad aliquid temporale pro ſpirituali ex gratitudine conferendum.

P. 150. n. 2. Ex pacto velle, non eſt vendere ſpiritualia; quia pactum non mutat materiam actuum.

P. 152. n. 6. Non eſt Simonia donare aliquid temporale, vel antè vel poſt, ei qui exhibet aliquid ſpirituale, etiam, cum intentione quod donatarius moveatur ad dandum ſpirituale ex gratitudine. *Et Inferius,* ſi quis mutuum daret non ut pretium Beneficii Eccleſiaſtici, ſed, ut hac ratione provocet amicitiam collatoris, aut ut gratiam præſtet, quam non vult præſtare, niſi alter ſtatim gratificetur conferendo Beneficium, probabile eſt nec uſuram, nec Simoniam fore.

CENSURA. *Hæ propoſitiones falſæ ſunt, & Simoniam contra jus divinum apertiſſimè approbantes, atque aliàs à Facultate damnatæ.*

P. 154. n. 5. Electores ad Majoratum vel Cathedram

 poſſe

poſſe pretium accipere ; ut unum præ alio eligant ; &
quòd ejuſmodi prælatio, cùm huic determinatæ perſonæ non ſit debita, & aliundè ſit ei valdè utilis, pretio æſtimabilis eſt.

P. 155. prop. 3. Qui Electores pecuniâ corrumpit, ut eum in Generalem, Provincialem, Priorem, vel Guardianum eligant, non ſubjacet pœnis contra Simoniacos latis.

CENSURÆ. *Hæ duæ propoſitiones, ut jacent; ſunt falſæ, temerariæ, juri Canonico contrariæ, & reſpectivè turpe lucrum ac Simoniam in Eccleſiam invehentes.*

De USURA. p. 158. prop. 1. Mutuanti licitum eſt aliquid ultra ſortem exigere, ratione periculi, cui in ea recuperanda exponitur.

P. eadem n. 1. Quamvis enim uſura ſit, ſi quis recipit aliquid ultra ſortem, ratione mutui: non eſt uſura, ſi recipit ratione periculi tantùm, ut pretium periculi. *Et inferiùs.*

Nullus poteſt eſſe ita ſecurus, quin poſſit aliquod intervenire periculum, vel ſaltem aliqua difficultas, vel labor in re habenda.

P. 160. n. 7. Licitum etiam eſſe mutuanti, aliquid ultra ſortem exigere, ſi ſe obliget ad non repetendam ſortem, uſque ad certum terminum.

P. 161. n. 10. Et ſi mutuans dicat, non mutuabo, niſi ultra ſortem loco intereſſe, aliquid certum ſolvas, quòd hoc non ſit de ſe illicitum, apparet ex dictis.

P. 163. prop. 2. Licitum eſt mercatori credito vendere merces pretio rigoroſo v. g. 100. & ſtatim nume-

meratâ pecuniâ eas emere 80. quod eſt pretium infimum.

P. 166. n. 6. Nec etiam ad rem facit, ſi quis vendat ex neceſſitate, vel non neceſſitate oppreſſus, quia neceſſitas non mutat rei pretium.

N. 7. Poſſe aliquem emere rem viliùs ab illo qui vendit, neceſſitate compulſus, quia ex modo vendendi minuitur pretium rei, & merces efficiuntur ultroneæ.

N. eodem. Vileſcit res non ſolùm pro tertia, ſed etiam pro dimidia parte, quando quis illam vendere neceſſitate compellitur.

P. 166. n. 2. Si contractui Societatis ſuperaddantur contractus aſſecurationis capitalis & venditionis lucri incerti pro lucro certo, ex vi horum licitum eſt exigere lucrum certum, ſalva ſorte.

CENSURA. *Doctrina harum propoſitionum falſa eſt, ſcandaloſa, inducens ad uſuras committendas; variaſque aperit artes: eas palliandi; juſtitiam, ac charitatem violandi, & à Sacra Facultate jam damnata.*

De FURTO. p. 172. prop. 4. Licitum eſt Tabernariis vinum aquâ miſcere; & agricolis triticum paleis, & communi pretio vendere, dummodò deteriora non reddantur eis, quæ communiter venduntur.

CENSURA. *Hæc propoſitio falſa eſt, bonæ fidei, & publicæ juſtitiæ contraria.*

p. 218. n. 3. Eum qui rem furtivam à Latrone accepiſſet, ſciens eſſe furtivam, non teneri ad ejus, ſeu

fructuum reſtitutionem, etiamſi illis factus ſit locupletior, dummodò fur non reddatur impotens ex illa donatione ad reſtituendum vero domino, & res ab illo accepta ſit unico uſu conſumtibilis, & materia mutui, qualis eſt pecunia, pannus, vinum &c.

P. 109. n. 3. Utrum ille, qui pecuniam accepit mutuò, ut redimeret ſe à latronibus, teneatur reſtituere? Cujus prima ratio difficultandi, pro parte negativa, eſt; Quia tempore neceſſitatis omnia ſunt communia &c. Cùm ergò ille, qui in latrones incidit, fuerit in maxima neceſſitate conſtitutus, utpote in periculo mortis exiſtens, videtur quòd factum ſit ſibi commune aliquid, quod erat alterius, & ita non teneatur ei reſtituere, qui mutuavit, ac ſi eſſet proprium ejus, &c. Ergò cùm non poſſit per amicos à mortis periculo ab extrinſeco imminenti ſe liberare, fient ei omnia communia.

P. 282. n. 4. Non ſolùm in extremâ, ſed in gravi etiam neceſſitate licitum eſſe furari: v. gr. quando eſt periculum amittendi honorem, & homini valdè inhoneſtum eſſet mendicare, dummodò aliter non poſſit ſibi ſuccurrere, & habeat animum reſtituendi cùm poſſit.

CENSURA. *Hæc doctrina falſa eſt, & temeraria, Reipublicæ pernicioſa, furibus ac furtorum conſciis, favens, & abutitur author doctrinâ ſancti Thomæ.*

De JUDICIBUS. p. 113. prop. 11. Quandò litigantes pro ſe habent opiniones æquè probabiles, poteſt judex pecuniam accipere pro ferenda ſententia in favorem unius, præ alio.

N. 1.

N. 1. Quia non accipitur pretium pro ſententia, tanquam merces functionis, ſed quaſi compenſatio pro commodo alteri parti collato, & pro illa electione, quæ eſt pretio æſtimabilis.

CENSURA. *Hæc doctrina falſa eſt, temeraria, ſcandaloſa, Legum & æquitatis everſiva.*

De MENDACIO. p. 111. n. 1. Falſare non eſt, nec peccatum mortale, amiſſæ ſcripturæ de hæreditate, aut nobilitate, aliam ſimilem efficere. Nulli enim fit injuria.

P. 112. n. 3. Nota modò, quòd ſi quis privatam aliquam ſcripturam, aut ſyngrapham, aut apocham, quâ conſtaret ſe certæ quantitati pecuniæ mutuò acceptæ ſatisfeciſſe, falſificaret; quia aliam legitimam à conditore confectam amiſiſſet; nec alio modo probare poſſet ſolutionem; non damnarem peccati mortalis, quia falſificationes hæ privatarum videlicet ſcripturarum, non ſunt ita Reipub. pernicioſæ.

CENSURA. *Hæc doctrina falſa eſt, ſcandaloſa & Reipub. pernicioſa.*

De HORIS CANONICIS. p. 117. n. 6. Eum, qui non poteſt ſolus recitare, non teneri admittere ſocium, etiam ultrò ſe offerentem. Quia recitare cum ſocio eſt favor unicuique conceſſus, & nemo tenetur uti favoribus invitus.

CENSURA. *Hæc propoſitio, falſa eſt, & in contemtum officii Eccleſiaſtici temerè, & ineptè excogitata, atque à debita ejuſdem recitatione abducens.*

De JUSTIS TRIBUTIS. p. 34. prop. 2. Subditi poſſunt juſta tributa non ſolvere.

CEN-

Digitized by Google

CENSURA. *Hæc propoſitio falſa eſt, verbo Dei contraria, & ſeditioſa.*

De JEJUNIO. p. 133. prop. 1. Qui habent privilegium edendi ova, & lacticinia in Quadrageſimâ, poſſunt edere lardum & ſagimen.

P. 134. n. 3. Pueri non obligantur uſque ad duodecimum annum (abſtinere à carnibus & ovis, tempore quadrageſimali) quando aliis tenentur Eccleſiæ legibus.

P. 135. n, 2. Materia collationis olim ſoli fructus erant, nunc autem ſumat quilibet quod vult: nihil refert, dummodò parvitas apud pios recepta non excedatur.

P. 136. n. 3. Deducitur ſecundò ſine violatione jejunii, ſervatâ debitâ quantitate, ſumi poſſe ova, lacticinia, &c. in veſpertinâ refectiunculâ, quando licitè comeduntur in die jejunii. *(Et Inferiùs,)* Poſſunt & nimiùm ſtudentes & capite debiles, qui malè cœnati non dormiunt; aliquantulò in hoc largiores eſſe, quibus uſque ad paris ovorum eſum concedebat, neque nobis videtur in hoc largus, cùm ſciamus jejunium cum illis omnibus ſervari poſſe, quæ ejus eſſentiæ neque ſaluti repugnent.

P. 142. prop. 6. Si quis voluntate abſoluta, vellet in die jejunii ſæpiùs comedere, ſemper tamen parùm cibi ſumendo, peccaret mortaliter, ſecùs ſi voluntate conditionatâ, in quâ conditione interveniret, quòd omnes ſumtiones eſſent veniales.

CENSURA. *Doctrina harum propoſitionum falſa eſt, ſcandaloſa & leges Eccleſiæ de jejunio infringens.*

De

De POENITENTIA. p. 210. prop. 15. Prælatus, qui ex Confeſſione Sacramentali ſubditi peccata cognoſcit; poteſt, hujus notitiæ virtute, ab officio ad nutum tum amovibili eum amovere.

P. 21. n. 8. Si pœnitens abſque neceſſitate manifeſtavit in confeſſione complicem ſui peccati, non tenetur confeſſor complicis peccatum occultare ſub ſigillo confeſſionis; & ſic pro bono communi eſt manifeſtandum; ſicut & alia ſecreta naturalia, dùm tamen non explicetur pœnitens.

CENSURA. *Prima harum propoſitionum abſolutè, & ſecunda, ut jacet; falſæ ſunt, ſcandaloſæ, contrariæ ſigillo Confeſſionis, & à Sacramento Pœnitentiæ avertunt.*

P. 203. prop. 10. Defloratio Virginis ſpontè conſentientis, etiam ſub patria poteſtate, malitiam tantùm ſimplicis fornicationis continet, & per conſequens circumſtantiam virginitatis in confeſſione explicare non eſt neceſſe.

CENSURA. *Hæc propoſitio falſa eſt, & favet raptoribus, Patriæ poteſtati injurioſa, & contraria integritati confeſſionis.*

P. 208. prop. 13. Qui habuit copulam cum ſoluta, ſatisfacit confeſſionis præcepto, dicens (commiſi cum ſoluta grave peccatum contra caſtitatem) non explicando copulam.

CENSURA. *Hæc propoſitio falſa eſt, & erronea, Conciliis & Traditioni contraria.*

P. 216. n. 4. Si ipſe confeſſarius petat quantitatem

Digitized by Google

(furti) ipſum poſſe dicere, non teneor ad hoc confitendum.

CENSURA. *Hæc propoſitio falſa eſt, ſinceritati & humilitati confeſſionis, fini Sacramenti adverſa, atque authoritati Sacerdotis detrahens.*

P. 225. n. 21. Non poſſe abſolvi qui nullum ſignum dederit, quo videatur actualiter petere confeſſi nem. Sentis quidem probabiliſſimè. Tibi enim Viri Doctiſſimi conſentiunt. Et tamen te peccaturum eſſe mortaliter, ſi non mutes dictamen, aſſero, cùm moribundo omnibus ſenſibus deſtituto, qui nullo ſigno externo confeſſionem petiit, non occurris.

P. 224. n. 13. Quod ſi fortè ita actualiter peccando, ſubitò deſtituatur ſenſibus, ut non poſſit humanitùs loquendo atteri; reſpondeo, tunc non eſſe præſumendum attritum; atque adeò nec abſolvendum docent, communiter: ſed ego ſub prædicta conditione vix illum regulariter ſine abſolutione dimitterem; quia rariſſimè evenit, ut tam citò ſenſibus quis, dum actu peccat, deſtituatur; ita ut vicinus morti, non velit ſuæ ſaluti conſulere per aliquam attritionem. Sic ille; & ego, cùm è ſuggeſtu tractatum de Pœnitentia diſcipulis dictavi anno 1645. &c.

P. 226. n. 23. Militant etiam pro hac ſententia Doctores alii, aſſerentes agoniam Catholici eſſe probabile ſignum, tum contritionis, tum voluntatis confitendi: nam ita frequenter contingit inter Catholicos.

CENSURA. *Doctrina his tribus propoſitionibus contenta, falſa eſt, temeraria, ſcandaloſa, & Sacramento Pœnitentiæ injurioſa.*

P. 221.

P. 221. n. 1. Talis infirmus, qui amiſit loquelam vel uſum rationis, ſi benè vivebat, ut bonus & fidelis, & frequentabat Confeſſionem, quamvis non petierit Sacramenta, quia ex inſperato talia acciderunt, debet præſupponi contritus, & faciente aliquo Confeſſionem generalem pro eo, ſicut fit in populo, Sacerdos faciat abſolutionem ab omni ſententia & peccato.

CENSURA. *Doctrina hujus propoſitionis univerſim & abſolutè ſumta, eſt in praxi periculoſa.*

P. 233. n. 5. Hanc opinionem benignam fateor, ſed neſcio, an benignior eâ, quæ non ſolùm dubitanti, ſed certiſſimè etiam ſibi conſcio de culpa lethali, concedit licitum eſſe, omiſſa Confeſſione, Euchariſtiam ſumere, etiam præſente idoneo Confeſſario, ſi ſperatur idoneïor, cui devotiùs & ſecuriùs confiteatur.

CENSURA. *Hæc propoſitio falſa eſt, & contraria Concilio Tridentino.*

P. 277. n. 17. Imò, addunt alii, non ſolùm eum, qui bona fide putat ſe habere dolorem, cùm reverà non habeat; ſed etiam qui ſcienter, abſque ullo prorsùs dolore accedit, judicans, bona fide non eſſe neceſſarium, confeſſionem validam & non iterandam efficere. *Et paulò inferiùs.* Et ſecundùm aliquos, licèt cognoſcat, ſe peccare lethaliter, accedendo ſcienter ſine dolore ſufficienti, dum de tali defectu doloris ſimul cum aliis peccatis ſe accuſet. *Et inferiùs.* Quod de accedente etiam abſque ullo prorſus dolore tenet.

P. 277. n. 18. Sacramentum in non ponente obicem, ſuum ſemper habet effectum. Et ſaltem illum qui confitetur cum aliqua diſplicentia & dolore, ſed tamen

ggggg 2 ſcien-

ſcienter, ſine propoſito vitandi lethalia, efficere confeſſionem validam & non iterandam.

P. 278. n. 19. Ex his inquam, doctrinis, poteſt argui. Contritio eſt materia proxima pœnitentiæ; peccata verò materia remota; ſed confeſſio valida eſt deficiente reverà contritione: ergò & deficientibus peccatis: potuit ergò beatiſſima Virgo, licet nec contritionem habuerit, nec ullum vel leviſſimum peccatum commiſerit. D. Johanni confiteri.

CENSURA. *Doctrina hæc prout ab authore intenditur & infertur, falſa eſt, temeraria, erronea, & contraria Conciliis & Traditioni, ac ſacramentum Pœnitentiæ prorsùs evacuans.*

P. 216. n. 3. Poſt Concilium Tridentinum poteſt Parochus ſacerdotem ſimplicem, non approbatum ab ordinario, exponere ad audiendas ſuorum Parochianorum Confeſſiones.

CENSURA. *Hæc propoſitio falſa eſt, & contraria Conſilio Tridentino.*

De SUMMO PONTIFICE. pag. 177. n. 4. Ideò etiam ad fidem pertinet inhærere determinationi Summi Pontificis in his quæ ſunt fidei, etiam in his quæ ſpectant bonos mores, quia in hujuſmodi etiam Eccleſia errare non poteſt, & conſequenter nec Caput ejus &c.

P. 50. n. 2. De Fide eſſe, non poſſe Pontificem errare, &c. Ita ut approbet tanquam conſentaneum Euangelicæ perfectioni, quod conſentaneum non ſit. *Et inferiùs.* p. 61. n. eod. Tam certa eſt concluſio, ut oppoſitum non dubitem eſſe hæreticum.

CEN-

Digitized by Google

CENSURA. *Doctrina his propoſitionibus contenta & illata, falſa eſt & temeraria, Gallicanæ Eccleſiæ libertatibus contraria, Univerſitatibus, Theologicis Facultatibus, ac orthodoxis Doctoribus contumelioſa.*

De CENSURIS. p. 283. prop. 5. Qui Clericum occidit veneno in cibo vel in potu, non incurrit excommunicationem.

P. 284. n. 1. Item, excommunicatio Canonis poſita occidenti Clericum, ajunt quidam, non incurritur, illum veneno occidendo niſi per vim illum interficeret, probant ex eo, quòd Lex dicat: *Si quis manus violentas* &c. Sed non occidit, niſi per vim cogat venenum ſumere: ergò.

N. 2. Si verò excommunicatio lata eſſet contra committentes homicidium, & quis alteri propinato veneno, ante ejus mortem reſipiſceret, non incurrere excommunicationem.

CENSURA. *Hæc doctrina falſa eſt, temeraria, Canonibus & cenſuris Eccleſiæ illudens.*

De VOTO. p. 244. prop. 2. Religioſus profeſſus, qui judicio ſibi probabili, crederet ſibi factam à Deo revelationem de diſpenſatione ad contrahendum matrimonium, poſſet licitè contrahere.

CENSURA. *Hæc propoſitio falſa eſt, votorum & diſciplinæ regularis deſtructiva, ſacrilegiis & apoſtaſiæ viam aperiens.*

De IMPURITATE. p. 25. prop. 12. Furtum triginta regalium, majus peccatum eſt, quàm Sodomia.

CENSURA. *Hæc propoſitio falſa eſt, & piis ac caſtis auribus horrorem injiciens.*

P. 91. n. 4. Licet locare domos meretricibus; non intentione, ut peccent, ſed ut ibi inhabitent.

Poſſe ſervos deferre literas, quibus vocantur ad peccandum, & eos verbis à ſua domina prolatis vocare; dum tamen neque eos ad malum incitent, ſed ſolùm ſimpliciter proponant verba Dominæ ſuæ. *Et paulò poſt.*

Si ergò hæc licent, quare non & apponere pecuniam in loco patenti, & uxori conſulere, ut conſanguineam viſitet? nam etſi conjuncta ſint peccato, tamen ſecundùm ſe & ſuâpte naturâ non ſunt peccata, & conſequenter, propter bonum finem ſejungi poterunt à peccato.

CENSURA. *Hæc doctrina falſa eſt, & ſcandaloſa, pernicioſa Reipublicæ, novis & futilibus inventis ad turpia inducens.*

P. 8. prop. 4. Pollutio pag. 11. prop. 6. Inter ſponſos p. 13. prop. 7. Sentienti p. 14. prop. 8. A ſanguine. p. 204. n. 3. Quare. p. 251. prop. 5. In Conjugatis p. 252. prop. 6. Conjugati, p. 253. prop. 7. Conjugatus p. 257. prop. 8. Si conjugatus p. 259. n. 4. Addunt p. 260. n. 5. Si ergò. p. 261. prop. 10. Si conjugatus. ibid. n. 2. Addit. p. 262. n. 4. Dicit p. 264. n. 3. Videatur p. 266. n. 2. De adſtricto.

CENSURA. *Hæ propoſitiones (quas Sacra Facultas verbis tantùm initialibus deſignandas de induſtria judicavit, ut modeſtiæ & pudori caſtarum aurium ac mentium conſuleret,) ſunt turpes, ſcandaloſæ, propudio-*

pudioſæ, nefandæ, piarum aurium offenſivæ, atque ab Eccleſia & ab omni hominum memoriâ prorsùs abolendæ.

Declarat autem Sacra Facultas, etſi plura ex prædicto libello ſelegerit damnaveritque, multa nihilominùs ſupereſſe, quæ quia ut veritati, morum integritati, caſtitati ac publicæ honeſtati adverſantur, ſic & juſtâ poſſent ſigillatim cenſuræ notâ configi; à qua tamen hujus authoris ſordibus attonita abſtinuit; *Ad quas Theologos non decet inaniter eſſe curioſos, qui nec propter libidinis malum nuptias condemnare; nec propter nuptiarum bonum, libidinem laudare debent.* Quamobrem non intendit Sacra Facultas ea probare, quæ velut intacta reliquit, quinimò totum hoc putidum opuſculum damnat, ac reprobat, dignúmque judicat quòd æternæ oblivionis ſilentio ſepeliatur. Sanxit etiam Facultas diem dicendum eſſe Doctoribus, qui ejuſdem libelli approbationi ſubſcripſerunt, uti coram eadem Facultate compareant ad primam diem menſis Martii proximi, rationem reddituri dictæ approbationis. Ac ſi comparere neglexerint, dicto die elapſo, ex hoc ipſo atque impræſentiarum donec præſenti mandato iiſdem ſignificando ſatisfecerint, omnibus Facultatis juribus privat ac privatos declarat, eandémque cenſuram in Comitiis generalibus relectam & confirmatam, quàm primùm prelo committi atque evulgari juſſit. Datum in Sorbona, die tertiâ, menſis Februarii. 1665.

Demandato D. D. Decani & Magiſtrorum dictæ Facultatis Sacræ Theologiæ Pariſienſis.

PH. BOVVOT,
Major apparitor.

XL. Ha-

Vaticinium de immundis avibus Babylone relictis, ex hiſtoria Concilii Romani, cui feralis bubo præfuit, illuſtratur.

XL. Hactenus *Cenſura*, impuras illas, infauſtas; & Deo hominibúſque inviſas, atque in Romanæ Eccleſiæ communione haud poſtremo loco nidulantes Aves ex nativis plumis ſuis exactè referens. Haud denique ἀπροσδιόνυσον fuerit, vaticinium illud de immundis avibus in ſpirituali illa Babylone nidificantibus, etiam ad literam impletum, ex Concilii Romani hiſtoriâ comprobare. Johannes XXIV. priùs Balthaſar Coſſa dictus. Ille (liceat hominem Gobelini Perſonæ, Bilcfeldenſis quondam Decani, verbis, quæ in *Coſmodromio* ejus extant, deſcribere) *Pauperum oppreſſor, juſtitiæ perſecutor, Iniquorum columna, Simoniacorum ſtator, Carnis cultor, Vitiorum fæx, peregrinus à virtutibus, Infamiæ ſpeculum, & omnium malitiarum profundus adinventor, adeò & in tantùm ſcandalizans Eccleſiam Chriſti, ut inter Chriſti fideles vitam & mores, ejus cognoſcentes, vulgariter dicatur Diabolus incarnatus.* (En Dæmonium!) hic inquam, narrante hiſtoriam Nicolao Clemangis Archidiacono Bajocenſi, in Epiſtolis; ſtatim atque electus eſt Papa, Sigiſmundum Hungariæ Regem, Cæſareâ Coronâ impertiturus, Romæ Synodum celebravit. In Synodi illius prima ſeſſione, poſt Miſſam de Spiritu S. cùm ipſe Johannes in ſublimiore cathedra præſideret, mox aderat bubo (exoſa! ſcilicet & immunda avis) qui ſupra Templi trabem horrifica ſua voce, injectis in Papam oculis, ipſum monſtrifico modo ſalutavit. Aſtantes autem cùm vehementer oſtentum mirarentur, non pauci ſubmiſſa voce dicebant. *En Spiritus S. adeſt, quem tam ardenter invocabant, ut illis expectatum ferat auxilium.* Cœteri ſe mutuò, & Papam aſpicientes, riſum non continebant. Papa ipſe rubore ſuffuſus ſudore, atque intra

ſemet

ſemet ipſum æſtuare. Tandémque non inveniens, qua ratione confuſioni illi ſuæ conſuleret, ſoluto Concilio ſurgens diſceſſit. Secuta eſt altera ſeſſio, in qua ſimilia rursùs, ſed majori cum verecundia paſſus eſt. Nec bubo aut clamoribus abigi, aut fuſtibus terreri poterat. Occiſus tandem turbare deſiit. Conciliúmque ipſum ſine fructu ſolutum eſt. Atque tales ex hoc portento ſpirituales columbas Eccleſiam illam longo tempore rexiſſe, à multis palàm aſſertum eſſe, idem Clemángis confirmat.

Vox alia ex Cœlo audita, exitum ex Babylone mandans, patefacit, futurum, ut janua exeundi quandoque aperiatur.

XLI. Sed Prophetiæ filum pertexamus. Poſtquam cecidit Babylon & dæmoniorum facta domicilium eſt, S. Johannes aliam vocem ſeu hortationem ἀδέσποτον, non expreſſo edentis nomine, audivit, dicentem: *Exite ex ea, popule mi, ne communicetis cum peccatis ejus, & ne accipiatis de plagis ejus.* Apoc. XVIII. 4. Non confundendum id eſſe cum annuntiatione caſûs Babylonis, ſive quòd jam cadere cœperit, ſatis apparet. Non poteſt igitur intelligi tantùm præceptum vel adhortatio ad fugiendam communionem peccatorum Babylonis, ſed vox quaſi ex cœlo audita, ut egrediantur Babylone; quæ vox illa ipſa eſt, quæ hîc & alibi in Sacro Codice ſcripta eſt. Ex qua intelligitur, futurum tempus, ut poſt Babylonis caſum jam cœptum aperiatur janua, libérque ex Babylone, velut inferni portis, exitus detur. Cùm igitur peccata Babylonis extant, & ejuſdem plagæ imminent, & libertas exeundi datur, & locus, in quem confugiant, qui piè vivere velint, ubi id liceat, patet; tum verò quaſi de Cœlo auditur hæc vox: *Exite ex ea, populi mi*, quid cunctamini? Aperuit januam is, qui clavim Davidis habet, quo aperiente claudit nemo, Apoc. II. 7. Ita cùm

Cyrus promulgavit edictum, licere omnibus, qui eſſent de populo Dei, in patriam reverti, tantundem id fuit, ac ſi ex cœlo audiretur vox Prophetæ: *Fugite ex Babylone*, Eſai. XLVIII. 20. Jer. LI. 6. 45. ſic cùm auditum eſt: *Pax, Pax propinquo & longinquo*, Eſai. LVII. 19. tum audita eſt vox & celeuſma cœleſte: *Exite ex ea, populi mi.*

Impletum id in Pacificationibus Religioſis oſtenditur.

XLII. Cùm primùm cœleſtis ille Splendor terram, uti vidimus colluſtravit, atque ſic Papatus cadere cœpit, magna hominum, Regnorum, Provinciarum, Civitatum pars à Papatu abhorruit, Miſſam abolevit, Idololatriam ſuſtulit, Papæ authoritatem ſprevit, denique religionem ad S. Scripturæ amuſſim exactam, reformare alacriter cœpit. Sed piis conatibus reſtitit Papa, non ulla pietatis, vel ſtudii veritatis, ſola commodorum ſuorum ratione ductus. Neque defuerunt etiam paſſim, qui pro ejus focis ſtrenuè pugnarent, ſtylum pilúmque ſtringerent; adeò ut paſſim etiam armis decerneretur. Nondum ergò hinc inde tutum fuerat Babylonem deſerere, & cœleſtis luminis ductum ſequi. Paulatim tamen Deum Eccleſiæ dediſſe locum in diverſis Civitatibus, Regnis, Terris, ubi ei fidem profiteri, pietatémque exercere tutò liceret, in propatulo eſt. Maximè autem tum Eccleſia ex Babylone vocata eſt, quando Lege Imperii, ſeu Pace Imperiali A. MDL. IL. Auguſtæ ſancita, & A. MDLV. Paſſavii conſtituta, Principum & Civitatum, quæ Euangelio nomen dederant, vel deinceps datura erant, infeſtatio vel perſecutio ob cauſam religionis prohibita eſt. Quod ipſum antehac etiam A. MDXXXI. in Helvetia, Pace Provinciali pacta, contigerat. Idem in Dania, Succia, Anglia, Scotia, Gallia, Hungaria, Bohemia, Belgio Fœderato factum. Omni-

Omnibus hiſce in locis Eccleſia libertatem religionis, Dei immenſo beneficio, nacta, ſicut Babylon reliqua domicilium dæmoniorum; ita ipſa hoſpitium fidelium, ſive indigenarum, ſive advenarum, Babylone, apertâ veluti januâ, exeuntium evaſit. Tum ergò paſſim cœleſtis illa vox percrebuit: *Exite ex ea, populi mi*, dato ſcilicet tuto loco, ubi ſine periculo cuivis vera loqui & recta facere liceret; & conſcientia magno teſte cuíque ſuggerente, non eſſe tentandum Deum, neque diligendum locum, in quo ſemper tentetur, & ad communionem mali ipſe illiciatur.

Exitum ex Babylone commendant Viri pii & docti, fermentum Pontificium magis magiſque expurgantes, & Syncretiſmo reſiſtentes.

XLIII. Sed & impleta eadem vox eſt, hodiéque impletur in ore multorum, qui diſputârunt diſputántque adhuc vel de reliquiis fermenti Romani, vel de reconciliatione cum Papatu. Sic enim & in Germania alibique Reformati Auguſtanos: & in Anglia Presbyteriani Epiſcopales, ad abjiciendas Romani fermenti reliquias, adeóque pleniſſimè reformandam Eccleſiam, Babylonémque deſerendam penitùs, ſtrenuè cohortantur. Ac majore etiam contentione vox illa cœleſtis; *Exite ex ea, populi mi*, ingeminata eſt, & ingeminatur adhuc adversùs eos, qui Papatum incruſtare, Babylonem cum Sione, Belialem cum Chriſto conciliare, adeóque ἀμικτα μιγνύειν nunquam non tentârunt: cujuſmodi jam olim fuêre Eraſmus, Caſſander, Wicelius, Modrevius, Milleterius, Grotius, alii, Syncretiſtarum nomine famoſi, quibus ſe Lutherus, Calvinus, alii; ac non ita pridem Joſephus Hallus & Andreas Rivetus, cœleſtem illam vocem pleno gutture declamantes, maſculè oppoſuerunt.

Regum, qui Babylonem oderunt, de-

XLIV. Pertinet huc, quòd Apocalypſis cap. XVII. 16. dicit: Reges & Principes *cornua Beſtiæ*, Babylo-

ſolârunt, & carnibus privârunt, hiſtoria.

nem *odio proſecuturos , deſolatam nudámque reddituros , ejus carnes comeſturos , eámque denique igni crematuros*. Illud quoque judicium poſt exitum ex Papatu fidelium impleri cœpit , impletúrque quotidiè. Nam juxtà eandem Prophetiam , ex iis , qui poteſtatem ſuam , ut Reges , unam horam acceperunt cum Beſtia , potentiam & poteſtatem ſuam Beſtiæ & per eam Meretrici tradiderunt , & cum Agno συμφερῆ ἀρετῆ , pro Papa ejúſque παμβασιλεία belligerati ſunt , eo ipſo tempore , quo Leo X. Papa , Lutherum damnavit ; quos *Diſſ. viij. ſ. 2. th.* 23. nominatim recenſuimus ; nonnulli , puta Reges Angliæ , Scotiæ , Hiberniæ , Daniæ , Sueciæ , unà cum parte haud exigua Germaniæ , Helvetiæ , Hiſpaniæ , cui priùs Fœderati Belgii Ordines ſerviverunt , ab Agno , Domino Dominorum & Rege regum , atque iis , qui cum ipſo fuerunt , vocatis , electis & fidelibus , victi ſunt ; hoc eſt , demonſtratam ex Dei verbo veritatem , per ὁμολογίαν τῆς πίστως illi receperunt , & in Regnis ac Provinciis publica authoritate introduxerunt. Ita enim , ut ſuperiùs dicta repetam , in Suecia , in locum Sigiſmundi perſecutoris , qui Rex Poloniæ factus erat , Carolus patruus ipſius Rex factus eſt , doctrinæ Euangelicæ addictus. In Dania & Norwegia , Chriſtiano , Fridericus I. & ipſe Euangelicæ confeſſioni addictus , ſucceſſit. Anglia poſt Eduardum VI. & Johannem Grajam , Eliſabetham faventem nacta eſt. In Scotia Mariæ exauctoratæ , Jacobus VI. Euangelicam religionem profeſſus , ſucceſſit. Hi ergò Meretricem agnitam odio habuerunt , deſertam ſubductis aquis , hoc eſt populis ſibi ſubditis , deſolârunt , nudârunt & devoratis ejús carnibus , eidem funeſtum carnisprivium indixerunt. Quod factum eſſe tum pu-

blicis

blicis confeſſionibus ſcriptíſque, Meretrici huic habitum ſuum meretricium detrahendo; tum Papæ obſequium omne ſuum populorúmque ſuorum negando; tum eidem Archiepiſcopatus, Epiſcopatus, Abbatias, Canonicatus, Beneficia, Annatas, Denarios, Decimas, omnia denique culinæ Papalis & luxuriæ, quibus hactenùs fraudulenter violentérque raptis, cuticulam uncta illa cohors curaverat, inſtrumenta ſubducendo; vectigalia reſecando; Romanáſque nundinationes in regionibus ſuis in univerſum prohibendo; res ipſa loquitur: ſic autem bona illa, quatenùs rapinæ rationem non habuêre, Meretrici huic ſubtraxerunt, ut eadem in legitimum Eccleſiæ vel Reipublicæ uſum converterint. Neque profectò clariùs dici, vel diſertiùs cogitari quicquam poteſt.

Ipſe quoque Imperator, & Reges Hiſpaniæ, Galliæ, Hungariæ &c. licet amorem Papatûs præ ſe ferant, Hierarchiam odiſſe, deſolare & carnibus privare pridem cœperunt:

XLV. Sed & cœteri Reges plerique poſt prædicationem Euangelii inducti ſunt, non quidem ut veritatem hactenùs amarent, tamen Meretricem ſubindè odio (utcunque illud, externæ Papæ communioni adhærendo, occultare ſatagunt) ut haberent, deſolarent, imò carnes ejus devorarent. Ita enim ipſam Urbem Romam Carolus V. per Carolum Borbonium A. MDXXV cepit, captam non leviter concuſſit, & Papam juxta atque Cardinales ipſos extremo ludibrio expoſuit. Ipſe quoque, & ſecuti ad modernum uſque Imperatores, coronam ſuam à Papa excipere, vel Romæ pedes ejus præſentes oſculari neglexerunt: quod certè cùm amoris indicium haberi nequeat, ſecreti odii argumentum haberi debet. Accedit, quòd non tantùm Ferdinandus I. Imperiali pace ſancita, Proteſtantibus per univerſam Germaniam pacem ſecuritatémque procuravit, adeóque odium Hierarchiæ, deſolationem & triſte il-

lud carniſprivium remiſit: ſed etiam Ferdinandus III. ſancita ſolenniter pace Monaſterienſi, fruſtrà uti *Hiſt. Pap. §. cclviij.* narravimus, proteſtante & ringente Innocentii X. Nuntio, Fabio Chiſio, cum Proteſtantibus Imperii ſolenne pactum inivit, cujus vi Germaniæ Principibus bona Epiſcoporum occupare, Diœceſes in terrenos dominatus convertere; Epiſcopos, Capitula, Monaſteria, Abbatias, &c. extinguere fas integrúmque fuit. Annon ſic carnes Meretricis devoratæ ſunt? Neque enim Reges Meretricis carnes comedentes Cannibales antropophagi ex Braſilia eſſe debuerunt. Hiſpaniæ quoque Rex Catholicus, non ſolùm Belgicis Provinciis ſolenni pacto libertatem utrámque civilem & religioſam conceſſit; ſed etiam Romanæ Curiæ libertates Regni, velut in patronatibus Regiis, cœteríſque laicis; beneficiorum patrimonialium à reſervationibus, præventionibus, expectativis, Romanis, nec non beneficiorum quorumvis, vel penſionum exteris, veluti Curtiſanis Romanis, non conferendarum immunitate; nominationes Regias; jura Regia in bona temporalia Eccleſiaſticorum delinquentium; aliáque ejuſmodi invadenti, non ſemel fibulam impoſuit: quin & Papales Bullas, ne Regis & Regni jura delibare poſſint, Regiorum judicum examini ſubjicere ſolet: quod nundinationis Papalis præſentiſſimum frœnum eſt. Venetos quoque cum Paulo V. pro ſuis circa bona immobilia à Clero non poſſidenda, juriſdictionémque in Eccleſiaſticos, depugnantes, magna cum Papæ ipſius, cujus fulmina bruta jam eſſe, ex contentione illa omnibus innotuit; nec non Jeſuitarum, pupillæ oculorum Papæ, ignominia, ſtrenuè depugnantes victores diſceſſiſſe, Papámque ipſum foro cedere coactum, *Hiſtor. Pap. §. ccxx.*

ß. ccxx. narravimus. In Gallia, Hungaria, Polonia, Bohemia, Religioſa Libertas Proteſtantibus conceſſa, non parùm etiam Babylonem denudavit, deſolavit, carnibúſque ſuis privavit. Nihil dicam de nundinationibus Papæ poſt Reformationem in Regnis ac Provinciis ei adhærentibus, multis modis infractis prohibitíſque: nihil de libertatibus Regnorum, Galliæ inprimis, noviſſimè à Rouſſelio in Hiſtoria Juriſdictionis Pontificiæ fusè admodùm deductis, & à Petro de Marca, Pariſienſi Archiepiſcopo, libris de Concordia Sacerdotii & Imperii editis, propugnatis: nihil denique de noviſſimis Definitionibus Regni & Cleri Gallicani, quibus Papæ in temporalibus poteſtas omnis, & in Spiritualibus dominatio ac infallibilitas, Papatûs anima, penitùs, uti in Hiſtoria etiam Papatûs *ß. cccxlij.* commemoravimus, ſic concuſſa & convulſa eſt, ut jure meritóque aſſeveretur, Papæ nomen & authoritatem, quæ in ejuſdem ἐπάρσει *elatione*, dominatione ἀνυπευθύνῳ & infallibilitate etiam extra Concilium conſiſtit, per Galliam omnem jam extinctam abolitámque jacere.

XLVI. Ex Regum igitur Occidentalium Chriſtianorum, de quibus Prophetia loquitur, numero, non pauci Papatum hoſtili odio proſecuti deſolârunt, nudârunt, carnibus privârunt in ſolidum: reliqui id ipſum aggreſſi, præciſa vel circumciſa ſaltem Curiæ Meretricia mercede ſua, ſubductíſque ejus obedientiæ populis nonnullis ſuis, nondum planè perfecerunt. Spes tamen eſt, perfecturos quandoque, dummodò tanto Divinæ gloriæ zelo ducantur, quantam ſuorum commodorum rationem habent. Æquiſſimum enim eſt, ut cùm jura ſua adversùs Papas, Prælatos & Clerum univerſum, armis

& perfecturos odium, ſpes eſt.

Digitized by Google

armis & minis ſtrenuè defendant, majorem longè Dei & Chriſti rationem habeant, neque Dei verbum profanari, & Chriſti meritum conculcari ſemper ſinant: ne indicio tali ſe prodant, quòd à ſemetipſis loquantur, adeóque Dei verbo & Spiritu inſtructi nondum ſint. Hunc enim indagandæ & cognoſcendæ veritatis Canonem, Chriſtus ipſe oſtendit Joh. VII. 18. dicens: *Qui à ſemetipſo loquitur, gloriam ſuam quærit. Quiverò quærit gloriam ejus, qui miſit eum, is verax eſt, & injuſtitia caret,*

Exitum ex Hierarchica Babylone multùm Concilii Tridentini anathemata promoverunt.

XLVII. Ad exeundum ex Babylone, eámque magis magiſque deſolandam, nudandámque, acerrimum ſtimulum populo Dei fulmina Concilii Tridentini, nullo legitimo judicio contra veritatem vibrata, addiderunt. Effecerunt enim ea, ut qui veritatem nôſſent, & anathemata illa audirent, in Babylonica Civitate hærere ampliùs non poſſent. Quin & ea ipſa anathemata Babylonem ſe ipſa deteriorem reddiderunt, quia errores ſuos decretis firmârunt, conſcientiis obtruſerunt, ceu Idola quædam adoranda, ab omnibus ſub æternæ mortis pœna erexerunt, denique id, quantum in anathematizantibus eſt, effecerunt, ut nemo ampliùs in ea communione veritatis amans & ſtudioſus reperiatur. Per anathemata illa, qui in eadem communione habitant, ſe quaſi ſepeliverunt, & mortuos inter collocârunt, uti Ezechiel cap. XXXIX. 11. loquitur.

Separatos à Papatu Schiſmatis reos non eſſe, cùm aliis argumentis;

XLVIII. Fruſtrà ergò ſic exeuntibus Babylone, & ſeparatis, ſchiſmatis reatum objiciunt. Nam Babylone omninò, Deo ipſo ex Cœlo inſtante, & vehementer urgente, exeundum fuit. Romam autem Babylonem eſſe, exeuntes iis ipſis, quæ hoc libro paulò accuratiùs deduximus, argumentis compertum habuerunt. Neque enim

enim ſeparatio vel diviſio, ſed cauſa ſeparationis injuſta, & Dei verbo contraria, ſchiſma facit. Abitus verò noſter laudabilis fuit, talis videlicet, qualis Abrahami è Chaldæa, & Apoſtolorum è Judæa fuit. Sed inſuper non tam exivimus, quàm Leonis Papæ, & Tridentini Concilii anathematis, expulſi fuimus; atque ſic expulſi, niſi in merum Atheiſmum prolabi voluiſſemus, de cultu Publico, eóque Legitimo proſpicere nobis debuimus. Neque adeò Eccleſiâ exivimus, ſed ad veram Eccleſiam à Chriſto & Apoſtolis inſtitutam, veterémque adeò Apoſtolicam & Romanam, regreſſi ſumus. Non nos denique Eccleſiam deſeruimus, ſed in nobis Eccleſia Papatum deſeruit.

XLIX. Sed noſtros non fuiſſe ſchiſmatis authores, ex ipſa hiſtoria clariùs longè eſt, quàm imber, cùm pluit. Cùm enim Tezelius aliique in Germania, Simſonius in Helvetia, indulgentias prædicâſſent, & venum expoſuiſſent, nihil non Lutherus & Zwinglius cauponationi huic adverſantes, pro piis Chriſtianis & ſanis cordatíſque Theologiæ Doctoribus fecerunt. Publicè quippe cauponationem illam reprehenderunt, & ex Scripturis refutârunt. Tam enim fœda illa fuit, ut honeſtiores Pontificios hodiéque ejus pudeat. Ipſum Concilium Tridentinum, indulgentiarum illam nundinationem, verbis ſaltem, uti ſuprà oſtendimus, prohibens, haud obſcurè id confirmat. Illene ergò ſchiſma facit, qui fratres falſum prædicantes & malum facientes, reprehendit: an qui falſum prædicat, ſordium cauſa malúmque facit? Is verò fuit Leo X. Papa, de quo id ſcriptores omni exceptione majores teſtatum feciſſe, alibi oſtendimus. Neque id Laurentius Surius ipſe, qui omnem hiſtoriam ſuam purgando Papatui

tum ex hiſtoria ipſa ſeparationis aſſeritur,

contexuit, diſſimulare potuit, ſcribens: *Fortaſſis importunos quoſdam indulgentiarum prædicatores turpis quæſtûs cauſa pro concione temerè multa dixiſſe.* Culpam tamen à Pontifice abſtergere nixus, fatetur nihilominus, *Lutherum pleríſque Viris gravibus & eruditis non peſſimo zelo moveri viſum eſſe, planéque nihil ſpectare aliud, quàm Eccleſiæ reformationem; cujus quidem*, inquit, *deformes abuſus non paùm malè habebant omnes bonos.* Hæc in Commentariis ejus *ad A.* 1517. *p.* 93. legere eſt. Narrat deinceps, Lutherum provocâſſe ad Papam, ſed poſt ab eo palàm defeciſſe, & jus Canonicum combuſſiſſe, quod ipſius inconſtantiæ imputat. Sed omittit homo ex dolis conſutus, Bullam Leonis in Lutherum priùs emiſſam, cujus capita præcipua Sleidanus *Lib. II.* commemorat. Summa Bullæ eſt, quòd Papa *damnat Lutheri ſententias; vetat ſub pœna graviſſima, ne quis ita ſentiat: Lutheri libros incendi jubet: damnat inprimis, quòd à Papa ad Concilium provocaverit contra Pii II. & Julii II. decretum, quo decretum ſit, ut qui ſic provocant, pœnam hæreticis conſtitutam ſubeant.* Poſt Bullam emiſſam, Lutheri libri incenſi ſunt. Omittit etiam Surius mala fide, quæ Hadrianus VI. ad Principes Imperii, Norinbergæ congregatos, A. MDXXII. ſcripſit, ubi inter alia vetat Lutherum admitti ad defenſionem eorum, quæ de fide & Sacramentis ſcripſit; ſimúlque per os Cheregati, cui ita in mandatis dederat, fatetur, *aliquot jam annis in ſancta ſede multa abominanda fuiſſe, abuſus in ſpiritualibus, exceſſus in mandatis, & omnia denique perverſum mutata, nec mirum, ſi ægritudo à capite in membra, à ſummis Pontificibus in alios inferiores Prælatos deſcenderit.*

Polli-

Polliceberis, ſic Hadrianus ad Cheregetum Nuntium, *nos omnem operam adhibituros, ut primùm Curia hæc* UNDE FORTE OMNE HOC MALUM PROCESSIT, *reformetur, ut ſicut inde corruptio in omnes inferiores emanavit, ita etiam ab eadem ſanitas & reformatio omnium emanet.* Conſentiebant verba hæc cum ſententia Concilii Conſtantienſis & Baſileenſis, præ ſe ferentium, quòd Eccleſia in Capite, Papa, & membris reformanda ſit. Liquet adeò poſt Papalem damnationem Lutheri omnes, qui quicquam quod is docuiſſet, profiterentur, & non in omnibus ſe ad nutum Papæ componerent, pœnis hæreſeos ſubjectos eſſe; atque inſuper Concilium Tridentinum anathema dixiſſe omnibus, qui Romanenſes reprehenderent: inprimis traditiones Scripturæ æquâſſe; Romanam Eccleſiam Eccleſiarum Magiſtram definiviſſe, & Concilium ipſum Papæ ſubjeciſſe. Quinam igitur ſchiſmatis authores argui poſſunt? Illine, qui apertos & confeſſos abuſus, ſcandala, mendacia, conſentientibus bonis omnibus reprehenderunt, & ſe opponentibus adverſariis, eóſque vexantibus, confiſi ſunt, ſe Papæ cauſam ſuam approbare poſſe, exiſtimantes, illum, officii ſui memorem, manifeſtis rationibus locum daturum, atque ita acturum, uti vero Eccleſiæ Epiſcopo, non fidei Domino conveniebat; quique, Papa officium negligente, & anathemate ſuo veritati præjudicante, ad Concilium liberum, nulliſque juramentis Papæ obnoxium provocârunt, ſpe bona freti, fore, ut in tali Concilio non dicta & opiniones hominum, ſed Scriptura pro regula fidei admittatur, ex qua ſola demonſtranda ſint omnia, declaretúrque; quoúſque Eccleſiæ per demonſtrationem Scripturarum pervenerint; deni-

 que

que error ex eadem arguatur, ſive is apud plures ſive pauciores eſſet? An potiùs Papa, ejúſque complices, qui indulgentiarum nundinationem inſtituerunt, nihil emendarunt, reprehendi noluerunt, provocationem à Papa ad Concilium hæreſin dixerunt, veras, ſaltem tolerabiles doctrinas damnârunt, diſſidentes quosvis anathematizârunt & perſecuti ſunt, traditiones incertas Scripturæ æquârunt, Interpretationes Papales genuino ejuſdem ſenſui ex ipſa Scriptura demonſtrato, prætulerunt, Papam ſupra judicii aleam conſtituerunt, Romanam Eccleſiam Magiſtram Eccleſiarum omnium fecerunt, atque in his omnibus ſic obſtinatè pergunt, ut nihil apud ſe in doctrina emendandum, quin & ad ſalutem neceſſarium eſſe, nihil eorum, quæ Papa dictat improbare, apertè profiteantur? Adeò certè ſi ſchiſmatis authores & rei ſunt, ut cum iis pii in æternum jungi nequeant, donec Papales bullæ & Tridentinum Concilium aboleantur, atque Papali idolo profligato, Scripturæ in arce collocentur.

Concilii cujuſpiam reformaturi expectatio irrita fuit, & erit ſemper.

L. Plurimos præclaros, in ipſius Romanæ communionis gremio Viros, ipſáque Concilia nonnulla, Conſtantienſe & Baſileenſe, à pluribus retrò Seculis, Reformationem in Capite & membris non ſolùm deſiderâſſe, ſed vehementer etiam flagitâſſe, non ſemel vidimus. Fruſtrà deſiderârunt, exſpectârunt. Concilium enim Tridentinum nihil tale præſtitiſſe, quin potiùs in fide hæreſes fundamentales, in cultu idololatriam, in regimine tyrannidem, ſtatuminâſſe, Sole meridiano clariùs eſt. Neque alia ſalutaris Reformatio expectari potuit. Papa enim Concilia omnia haud ſecùs, quàm urſus palum, cui alligandus eſt, reformidat: neque ullum aliud inſtituere ex eo tempore auſus eſt, vel audebit

debit deinceps. Si quæ tamen Concilia inſtitueret, vana illa forent, fructúque deſtituerentur omni; quia à Papæ, cujus hodiè in jure & facto infallibilitas propugnatur, nutu & oraculis ſuſpenderentur tota, atque ſic illa inſtituerentur, ne Tridentinis anathematis, quæ Papa ſine infallibilitatis & poteſtatis ſuæ jactura refigere non poteſt, quàm minimam derogarent. Sic Babylon planè *ἀθεράπευτος incurabilis* deſeri omninò à nobis debuit, ſi ſalvos nos cuperemus. *Suſtulimus theriacam ad dolorem ejus, ſi fortè ſanetur. Curavimus Babel, & non eſt curata.* Jerem. LI. 9. Quibus malis immedicabilibus illud demùm accedit, quòd nullus turpi huic in Babylone manſioni, color prætendi potuerit, detecta jam agnitáque ejus turpitudine. Cum quà proin in eadem ſede morari; nedum longiorem conſuetudinem colere, quid aliud fuiſſet, quàm Chriſto ipſi ſe opponere, & Deo bellum indicere? Sicut ergò Iſraëlitæ Babylone relicta, altare Dei & templum reſtaurabant; ita à nobis valere, & res ſuas ſibi habere juſſa Spirituali hac Babylone, externo etiam opere verus veri Dei cultus inſtaurandus fuit.

Argumenta cuncta Reformationi oppoſita inciduntur.

LI. Jam ergò Reformationi, ſeu ſeparationi noſtræ Hierarchici mille maculas, ſi velint, inurant; vocationis, ſucceſſionis, alióſque ejuſmodi defectus; ſeceſſionem à matre, à corpore, à trunco, novitatem, aliáque uti ſolent, plurima cauſſentur. Pigmenta hæc ſunt meretricia, quæ apud eos, quibus Babylonis fœditas innotuit, flocci penduntur, meritò Babylone exire, peccata & plagas ejus vitare, non aliud, cœleſti oraculo ſeverè juſſi ſumus. Roma Babylon eſt. Nos Româ exivimus, Hierarchiam Romanam valere juſſimus, Babylonem illam purgavimus; ejus peccata plagáſque ex-

horruimus. Divino ergò mandato religioſè obſecuti, Meretricis illius criminationes, convitia, fucos univerſos adeò validè altéque ſpernimus, ut haud poſtremam felicitatis noſtræ partem in eo collocemus, quòd ingens modò murus nos inter & Babylonem intereſt.

Vox cœleſtis vindictam de Babylone ſumere, eámque cruciare imperat.

LII. Tantùm verò abeſt, ut Hierarchicorum illa concepta indignatio, odia, inſultus, convitia movere ſeparatos quicquam potuerint, ut ipſi potiùs non ſatis habuerint ſic à Babylone illa ſecedere, ſed facta etiam in eam impreſſione acriter hactenùs eam impugnaverint, memores veterum, quas ab eadem perpeſſi ſunt, injuriarum. Impulit eos, impellitque adhuc acerrima illa, & planè militaris ex Cœlo concio, quæ ſic exeuntes exhortatur: *Reddite illi* (Babyloni) *quemadmodum & ipſa reddidit vobis, & reduplicate ei ſecundùm opera ejus. In poculo, quod infudit, ei duplum. Quantum glorificavit ſe ipſam & laſcivivit, tantum date ei cruciàtum & luctum.* Apoc. XVIII. 6. 7. Babylon ſanctos dolore graviſſimo, per ſuas abominationes affecit. Vox ergò ex Cœlo imperat exeuntibus, ne & ipſi Babyloni parcant, blandiantur, vel eam excuſent; ſed viciſſim potiùs ei dolorem revelatione & publicatione turpitudinis & abominationum ejus, demonſtratione veritatis, ſanctáque converſatione inurant; atque ſic inurant, ut διπλᾶ διπλοῦν *duplum* illi *reddere*, utroque ordine Eccleſiaſtico & Politico Babylonis fundamenta ſtrenuè ſubruente, atque ſic exercitam ab ea hypocriſin & tyrannidem largiſſimè rependente, contendant. Glorificavit ſe impotenter Babylon, & laſcivivit ſupra modum: Viciſſim ei eadem menſura βασανισμὸν καὶ πένθος, *cruciatum & luctum* rependere, Cœleſtis vox jubet.

Digitized by Google

jubet. Planè ſicut Apoc. xi. 10. de Teſtibus Jeſu contra Beſtialitas locutus fuerat, quòd ἐβασάνισαν cruciaverint, probè *vexaverint* incolas terræ, retegendo nimirum turpitudinem, & arguendo fraudes ac mendacia Beſtiæ.

LIII. Vindictam hanc cœleſti imperio exeuntibus injunctam Hierarchia, ad inſaniam & furorem ejus, hucúſque experta eſt. Certàrunt enim ad hunc uſque diem ſancto zelo ingenia doctiſſimorum, & in S. Literis verſatiſſimorum in depingenda & coram univerſo orbe confundenda Meretrice, ejúſque in fide hæreſibus perditiſſimis, in cultu idolomania & ſcortatione tum ſpirituali tum corporali, in regimine tyrannide crudeli. Papam eſſe Anti-Chriſtum, hominem perditionis, Pſeudoprophetam, Exlegem illum: Hierarchiam eſſe Babylonem, Matrem Scortationum & abominationum, Beſtiam illam bicornem, in Apocalypſi figuratam: in eandem quadrare vaticinium S. Pauli de apoſtaſia noviſſimorum temporum: Concilii Tridentini anathemata non hæreſes, ſed veritatem Cœleſtem, Chriſtum, ejus juſtitiam, Euangelium feriiſſe & proſcripſiſſe; aliáque ejuſmodi non nudè illi aſſeruerunt, ſed demonſtràrunt fortiſſimè, ſolidiſſimè, irrefragabiliter: ſophiſmata, quibus veritatem opprimere vel obſcurare Romanæ Thaidis alumni ingeniis aſtutiſſimis præditi, Jeſuitæ inprimis, Babylonici hujus Cœli Atlantes, laboràrunt hactenùs, ſic diſcuſſerunt, ut nunquam non à bello victores diſceſſerint, & adverſariis, tam glorioſis ſcilicet militibus, pudorem, βασανισμὸν, *cruciatum*, reconditum dolorem & luctum reliquerint: adeò ut, quod de tyrannis nonnemo præſtantiſſimus ſapientiæ apud Tacitum *A. vj.* 6, 7. firmavit, *ſi recludantur* vide-

Cruciatum Hierarchia exquiſitum per ſcripta & præconia, quibus impietas ejus denudata eſt, & denudatur quotidiè, experta eſt, & experitur adhuc.

videlicet *eorum mentes, poſſe aſpici laniatus & ictus; quando, ut corpora verberibus, ita ſævitia, libidine, malis conſultis animus dilaceretur;* de Sophiſtis illis, veritatem hactenùs cauteriata cum conſcientia oppugnantibus, dici meritò poſſit. Nota omnibus ſunt מלחמות יהוה *Bella Domini*, feliciter adeò ore & calamo bellata, quibus jam dudum eò promotum eſt, ut Romæ promachi, Jeſuitæ cumprimis, abjectâ haſtâ, omnia alia agere, & vi aperta Euangelium extinguere potiùs duxerint. Sic planè lino abolendum eſſe Anti-Chriſtum, etiam ſuprà Sibyllam Erythræam vaticinantem, vidimus.

Falsò Lipſius, aliique ſtudia oppugnantium Papatum ab aſtrorum poſitu arceſſunt, quem Cœleſti inſpirationi Spiritus S. ipſe tribuit.

LIV. Auſus equidem eſt poſt Gauricum in *Nativitate Lutheri*, & Cardanum, Juſtus Lipſius *adv. Dialogiſtam pag.* 44. pro Politica ſua ſapientia impetum illum, quo hactenùs præſtantiſſima ingenia ad Romanæ impietatis oppugnationem feruntur, ab aliquo maligno aſtrorum poſitu arceſſere. Et univerſam illam Papatûs oppugnationem non aliud eſſe, quàm fatalem ingeniorum ſcabiem, & præſentis ævi curioſitatem, ibidem decernit. Sed aliud longè vox *ἐκ τοῦ οὐρανοῦ ex Cœlo* ipſo à Johanne audita portendit, jubens Babylonem *βασανίζειν cruciare*, & pro abominationibus ejus ſic *duplum* ei *reddere*; innuens, gratum potiùs hoc tempore Dei Optimi Maximi cultum hunc eſſe; quin ipſius Spiritus S. inſtinctum, cui omnes obedire oporteat, qui ex lectione, meditatione, aut auditu verbi Dei ejus aliquem ſtimulum acceperunt. Adeò ut heic tandem locum habeat illud Jeremiæ quo aliàs ſe in iſtis calamitoſis certaminibus mutuò exhortantur: *Maledictus, qui fecerit opus Domini fraudulenter.* Jerem. XLVIII. 10. Sicut ergò Deus in cor Regum dedit, ut Meretricem odio

odio habendo, denudando &c. voluntatem ejus faciant. Apoc. XVII. 16. Sic Deus, non aſtrorum poſitus aliquis, vel ingeniorum ſcabies, Viris Dei inſpiravit, & inſpirabit deinceps, ut Babyloni, denudando ejus turpitudinem & abominationes, cruciatum luctúmque infligere nunquam deſinant.

LV. Ecquænam verò cauſa fuit vindictam illam tanto ardore adversùs Babylonem injungendi? Babylonis equidem abominationes univerſæ, quas in lucem protrahi Deus voluit: præ cœteris autem Babylonis, jam lapſæ & detectæ licet, procax gloriatio, in corde ſuo ſic ſibi applaudentis: κάθημαι βασίλισσα, καὶ χήρα οὐκ εἰμὶ, καὶ πένθος οὐ μὴ ἴδω. *Sedeo Regina, vidua non ero, & luctum non videbo.* Apoc XVIII. 7. Si quicquam in hoc de Babylone Magna vaticinio notatu dignum eſt, hæc certè verba ſunt, propter evidentiſſimam præteritorum & præſentium temporum experientiam, ubi jactantiæ de æterna & invicta Eccleſiæ Romanæ perduratione & dominatione nec finis, nec modus eſt. Perſpicua enim & propriiſſima eſt mimeſis verborum, quibus Romani Pontifices, eorúmque Gnathones gloriari conſueverunt. *Sedet* in cathedra Pontifex. Gloriatur Roma, ſe Dominam & *Reginam* Eccleſiarum & Regnorum omnium. In cujus rei ſymbolum Eccleſiam Romanam depingunt REGINAM, ſedentem in throno diademate Regio coronatam, Codicem Decretalium cum impoſita infula Papali tenentem dextrâ, claves duas decuſſatas ſiniſtrâ, pedibus Lutherum & Calvinum cum ſuis Bibliis proculcantem, uti ex Stapletoni *Relectione Princip.* Antuerpiæ A. MDXCVI. edita liquet. Sed & *Viduam* nunquam ſe fore Roma jactat, quæ ut Matrem Eccleſiarum, ſic *Sponſam* Chriſti, quam nun-

Cauſa cruciandæ Babylonis ejuſmodi inſolens ejuſdem jactantia, quòd ſedeat Regina &c. perhibetur:

quam Chriſtus Sponſus deſerat, ſe fert, & errare, inquinari, labi unquam poſſe, negat, eò quòd Spiritum S. paranymphum & perpetuum pudicitiæ ſuæ cuſtodem habeat. Denique *luctum* nullum unquam ſe viſuram, ſibi Roma blanditur, cui ſic acclamare Gnathones ſolent. *Hæc eſt Eccleſia ædificata ſuper petram, adverſùs quam portæ inferni non prævalebunt: Hæc PETRI navicula, quæ ventis jactari, quaſſari, premi, fluctibus mergi non poteſt.* Quò etiam Bellarminianæ Eccleſiæ Romanæ, Catholicæ notæ, proſperitas defenſorum, & infelicitas hoſtium Romæ, pertinent. En quàm exactè Cathedrali huic Reginæ Babylonica illa jactantia quadrat! Sed jactantiæ ejuſdem, etiam poſt caſum priorem, occaſio diſſimulanda non eſt.

cujus occaſio eſt ingratitudo populi Babylone exeuntis:

LVI. Etenim Prophetia de iis, qui liberationis ex Babylone participes facti ſunt, teſtatur apertè, quòd ingens Dei beneficium, haud perinde grato plerique animo exceperint recoluerintque; néque planè, ita ſe geſſerint, uti dignum erat ea gratia, auxilio & potenti brachio, ſapienti gubernatione Dei, libertate & verbo, quod quotidiè audiverunt. Multis enim hujus gratiæ Divinæ conſortibus, quæ Apoc. III. 1. 2. 3. & 15. 16. &c. èxtant, dicta videri poſſunt. Neque tamen Prophetiis opus eſt, cùm res ipſa locuples nimis ejus rei teſtis exiſtat. Licet enim nunquam defuerint, vel deſint verè fideles, ſancto gloriæ Divinæ zelo flagrantes, & digno Euangelio tramite incedentes; conſtat nihilominus, alios etiam ad exitiales hæreſes præcipites deviâſſe: alios, qui communem cauſam agere debuerunt, lites de rebus exigui momenti ἀσπόνδους agitâſſe: alios in ſententiis, ad principia, dogmata & fermentum Pontificium relabi cœpiſſe: alios à fratribus ſine ſontica cauſa

ſa ſeſe ſeparâſſe & erroribus deteſtandis fores patefeciſſe: Scripturæ ſtudium, piúmque ſolius verbi Divini diſcendi docendique ſtudium, apud plures refrixiſſe: circa Eccleſiæ Regimen exortas controverſias hinc inde Eccleſiam diſtraxiſſe: Doctores accenſis litibus, de rebus ſubindè frivolis, odio, invidiâ, aliiſque carnalibus affectibus frœnum laxâſſe: non eos paſſim cerni fructus, qui populo Dei conveniant: denique in pleríſque neglecto Dei Regno, ejúſque juſtitia, rerum hujus ſeculi ſtudia fervere.

LVII. Hæc, inquam, & ſimilia Babyloni, Divino judicio iterum ab Eccleſia incipiente, vires ſuas colligendi, & inſoleſcendi anſam ſuppeditârunt hactenùs, atque hodiè magis quàm unquam ſuppeditant. Diu enim eſt, ex quo bellis geſtis ferociſſimis, aliiſque rationibus, per reliqua illa ſua cornua Eccleſias ampliſſimas in Auſtria, Stiria, Carinthia, Bohemia, Sileſia, Moravia, Palatinatu Superiore, alibíque ſub ſuum iterum jugum Papa miſit. Noſtrâ verò, atque eâ recentiſſimâ memoriâ, quot in Gallia, Pedemontio, Eccleſiæ florentiſſimæ feralibus edictis perverſæ ſunt? Quanto in miſeriarum caucaſo fideles diriſſima quæque in deſertis, carceribus, triremibus patientes hærent? Quot animarum myriades, perſecutionum, quibus pares ætas nulla vidit, gravitati tolerandæ impares, ad inferni portas uſque deſcenderunt, atque intra eas conſtituti gemunt, clauſiſque undique januis, exitum nullum reperiunt? Nihil de Eccleſiis à Babylone diu equidem ſeparatis, in Anglia, Scotia, Hungaria, Tranſylvania, ac nunc demùm in præceps adductis, cum Babylone ancipite eventu luctantibus, dicam.

quæ ipſi Babyloni vires colligendi & inſoleſcendi anſam ſuppeditavit, & ſuppeditat adhuc:

LVIII. Adcò Babyloni evenit, quod Tyro myſticæ (al-

quod ex Prophetia Eſaia

de Tyro illuſtratur. (alteri ſimillimóque Hierarchiæ emblemati) quæ (Eſai. XXIII. 15, 16, &c.) per ſeptuaginta annos relicta & contempta rediit ad שירת זונה *Carmen* ſuum *meretricium*, hoc eſt, lœtitiam & gloriationem de victoriis ſuis in nomine non Dei veri, quale carmen Tyri recitat Ezechiel cap. XXVI. 2. *Dixit Tyrus ſuper Hieruſalem, Euge, fracta eſt, valvæ populorum, revoluta eſt ad me, implebor, vaſtata eſt.* Cum quo Babylonis epinicion: *Sedeo Regina & vidua non ero, & luctum non videbo;* congruit. Haud difficilis eſt ſeptuaginta annorum illorum computatio. Nam inde ab anno MDLII. quo Auguſtæ Pax Imperialis Religioſa ſancita eſt, ad A. MDCXXII. ſeptuaginta anni lapſi ſunt. Circa poſterius tempus, Bohemia & Palatinatu ſubactis, Jeſuitæ Pragenſem & Heidelbergenſem Academiam occupárunt, & Papa Gregorius XV. Ignatium Lojolam, alióſque ejuſdem ordinis canonizavit: quæ apotheoſis magna ubique feſtivitate celebrata eſt; ſimulque iis, aliiſque idolis de victoriis Cæſaris & ſubactis Proteſtantibus gratiæ actæ ſunt. Addit Prophetia v. 16. epiphonema, ſeu adhortationem ſarcaſticam: *Accipe citharam, perambula civitatem* זונה נשכחה *Meretrix oblivioni tradita*, ſeu *exoleta* הטיב נגן *Stude benè modulari, multiplica carmen, ut tui ſit recordatio.* Convenit, quòd Jeſuitæ cœterique Doctores Pontificii ſcriptis & præconiis ſuis veritatem exoſam reddere, & falſitatem incruſtare ſategerunt, Romanenſes quoque artibus & fallaciis ſuis homines reddere ſecuros conati ſunt: denique univerſi ob victorias ſuas incredibilem lœtitiam teſtati, Eccleſiæ inſolenter inſultârunt, & ſuper malis ejus exultârunt. Poſt etiam Tyrus (v. 17.) reverſa eſt לאתננה *ad quæſtum ſuum, & ſcortata eſt*

cum

cum omnibus Regnis terræ in ſuperficie terræ. Teſtis ejus rei eſt *Germania Sacra Reſtaurata* Caraffæ Legati Papæ. Ipſa quoque experientia docuit, docétque hodiè, plurimos ubique cum Romanis fornicatos eſſe, & adhuc fornicari. Denique concinunt Prophetiæ omnes, primam reformationem, ſeu ſtatum Eccleſiæ Reformatæ inſignem ad tempus cataſtrophen & eclipſin paſſuram, per Anti-Chriſtum vehementer interturbatum & res Eccleſiæ denuò ad eas anguſtias redactum iri, ut diſſipata populi Sancti manu (Dan. XII. 7.) de Eccleſia victa & oppreſſa, hoſtes ubique ferè terrarum triumphaturi ſint.

Hucuſque progreſſo Dei adverſùs Hierarchiam judicio, finale & decretorium eidem imminere oſtenditur.

LIX. Hactenùs ergò progreſſum eſt Dei adversùs Babylonem judicium: atque ea hodiè tempora vivimus, quibus Hierarchia non tam ſuis viribus vel cauſæ ſuæ bonitate, quàm noſtris peccatis, noſtra illa paſſiva ingratitudine nixa, recepto paſſim; in ſpeciem ſaltem, amplitudinis ſuæ faſtigio, ſuum illud Meretricium carmen: *Sedeo Regina, Vidua non ero, luctum non videbo,* adeóque Romanæ Eccleſiæ magnificentiam, amplitudinem, durationem perpetuam, infallibilitatem, victoriam, pleno gutture decantat: & decantabit porrò, donec Deum pœniteat ſuper ſervos, & jactantiam hanc faſtúmque Meretricis ſubitaneo & improviſo excidio contundat. Quia enim ſic ſe glorificavit, & ante victoriam inſolenter adeò triumphum cecinit, adeóque periculorum ſuorum ſecura, ceſſantia fata provocavit, idcircò, ſic Prophetia definit, *in uno die venient plagæ ejus; mors & luctus & fames, & igne comburetur.* Apoc. XVIII. 8. Hæc illa decretoria dies eſt, quæ Babyloni adhuc imminet; & quæ tam certò, definito à Deo tempore, Hierarchiæ ſuperveniet, quàm

verè reliqua de Babylone prædicta, uſque ad excidium illud finale, omnia in Hierarchia exitum nacta ſunt. Qui enim tot de Babylone prædictiones in eventu jam repræſentavit, is fidem dictorum ſuorum in poſtremo illo actu neutiquam deſtituet. Ille enim *annuntiat ab exordio noviſſimum, & ab initio ea, quæ nondum facta ſunt, dicens: Conſilium meum ſtabit, & omnem voluntatem meam faciam.* Eſai. XLVI. 10.

Plagæ noviſſimæ Babyloni imminentes explicata.

LX. Plagæ Babyloni imminentes, & uno die ſuperventuræ erunt, θάνατος, πένθος, λιμὸς & κατάκαυσις; *Mors, luctus, fames & combuſtio.* Totis enim quadrigis ſuper eam irruent. Occidentur mœchi & filii ejus, ut utróſque Babylon, tanquam vidua & orba lugeat. Inceſſet fames, ut conſolationem non inveniat, voluptate, quam in hoc Seculo ex laſciviæ ſuæ abundantia percepit, ſublata. Denique comburetur igni; ſive hic πανωλεθρία totius politiæ Babylonicæ; ſive cum eadem Romæ etiam urbis conflagratio ſignificatur, quod eventus, Prophetiarum optimus interpres, docebit. Singulæ porrò hæ plagæ ſingulis Hierarchiæ ſceleribus reſpondebunt. Fortunam ſibi perpetuam Roma promiſit, & bacchari interim, inebriari, & conſervos ſuos verberare non ceſſans, ſubitanea morte fortunam abrumpet. Voluptatibus tripudiiſque exultavit; ideò luctu opprimetur. Luxuriæ inſatiabili cum cupiditate indulſit. Idcircò fame necabitur. Pios martyres, ceu hæreticos, flammis exuſſit. Ergò ipſa quoque flammis exuretur. Hoc illud Babylonicum ἀντιπεπονθὸς erit, quòd juſtiſſimus mundi judex jam decretum ei meritiſſimum ſupplicium infliget.

Celeritas excidii ejus ab Angelo adumbrata.

LXI. Celeritatem abolitionis Babylonis hujus Magnæ, novus Angelus, qui v. 21. introducitur, ſigno ſub-

Digitized by Google

ſublati magni lapidis, impetu in mare projecti, adumbrat. *Suſtulit* enim *unus Angelus robuſtus lapidem, ut molarem magnum, & conjecit in mare, dicens: Sic impetu conjicietur illa Magna Civitas, & non invenietur ampliùs*, ἰσχυρὸς, *Robuſtus* Angelus vocatur propter ſymbolum, quod robur plus quàm humanum requirebat. Lapidem enim quaſi molarem, eúmque ingentem, quem vix decem Viri robuſti loco moverent, ipſe plumæ inſtar leviſſimæ in profundum mare cum impetu projecit. Sic planè Roma, Babylon Magna lapide molari longè immobilior viſa, ἐν ὁρμήματι, cum repentino impetu præcipitabitur; & ſicut lapis molaris in mare cum impetu projectus, ſic ibidem ſepelitur, ut inde extrahi nulla vi poſſit: Sic Roma igne, contrario elemento devorata, reſtaurari ampliùs nullo modo poterit, ſed in æternis tenebris ſuis ſepulta jacebit.

LXII. Propène inſtet, an procul abſit, finalis hujus excidii dies, quo Babylon, hoc eſt, Politia integra Babylonicæ Hierarchiæ delebitur, adeóque juxta fatidicas illas Friderici II. Imperatoris pientiſſimi & fortiſſimi voces:

Tempus finalis excidii hujus approximans licet, vix exactè definiri poteſt.

Roma diu titubans longis erroribus acta,
Corruet & mundi deſinet eſſe Caput;

inveſtigare hujus loci non videtur, quia omnium conſenſu, Prophetia de Babylone, quam ſolam heic explicandam ſuſcepimus, certos temporis, anni, vel diei, quo horribile illud judicium ſuccedet, characteres nullos præfixit. Ex aliis Prophetiis, quibus Anti-Chriſti duratio definita videtur, Viri temporum noſtrorum doctiſſimi ſcrutari & eruere temporis illius articulum conati ſunt. Veréque adeó impletur quotidiè vaticinium Danielis cap. XII. 4. de ultimis temporibus ſic prædicentis:

centis : *Tempore* finis ישטטו רבים *ſcrutabuntur multi*, *& major fiet cognitio ;* hoc eſt , Prophetias cum eventu comparabunt. Et ſicut *Prophetæ ſcrutati ſunt , in quod & quale tempus Spiritus Chriſti , qui in ipſis fuit, ſignificaret , antè teſtificans paſſiones Chriſto eventuras , & glorias , quæ poſt eas.* 1. Petr. 1. 10, 11. Sic hi quoque tempus , in quod Anti-Chriſti tempus excidiumque incidet, ex Prophetiis eruere ſtudioſiſſimè ſatagent. In quo ſcrutinio infeliciùs paulò verſatos eſſe nonnullos, Viros cætera haud malos, eventus ipſe , qui interpretationis clavis eſſe ſolet, docuit , & poſt alios, Vir Celeb. Theophilus Spizelius, Diatribâ geminâ , *de ultimo Romæ excidio* , narravit. Horum in cenſu ſunt Martinus Harky, Tubæ Belli ſacri buccinator, Belga; Anonymus Anglus, author libri, cui titulus eſt: *Romæ Ruina finalis , A.* MDCLXVI. *Mundíque fines ſub A.* MDCCXI. qui eo ipſo anno Milleſimo , ſexcenteſimo, ſexageſimo ſexto inſtante , mihi anſam *de ſignis Temporum* ſcribendi libellum ſuppeditavit, in quo de tempore excidii Babylonis ſic implicatum, animi mei notionem evolvi, ut rationes hactenùs nullæ apparuerint, ob quas dictum mutandum putem. Paucis repeto , pleráque omnia, quæ juxta univerſas V. & N. T. Prophetias excidium illud præcedere , & approximans clarigare debuerunt , eventu ipſo repræſentatas eſſe , neque aliud fortè ſupereſſe , quàm ut Deus omne opus ſuum in monte Sionis perficiat. Quod vel ſola Prophetiæ de Babylone , quam hucúſque tractavimus , ſeries clariſſimè demonſtrat. Feſtinantis enim excidii ſignum noviſſimum in eo ſtatuitur , quòd Babylone , poſt priorem caſum ad priſtinam ſuam amplitudinem omnibus viribus enixa , eouſque proceſſum eſt , ut depreſſis & pe-

nè

nè ad incitas redactis iis, qui ab ea exiverant, thraſonicum ſuum epinicion decantet: ***Sedeo Regina, Vidua non ero, luctum non videbo.*** Quando poſt priorem caſum ſonora magis voce illud decantavit, quàm hodie? Quæ ſeptem ſigilla, tubæ, phialæ, portendunt, pleraque omnia ad excidium úſque Babylonis Magnæ impleta eſſe, ibidem demonſtravimus. Non defuit hactenùs Deus Eccleſiæ, quam non ſemel præſente & potente auxilio ſuo erexit. Non ea tamen inter eos, qui unà Chriſtum invocant, concordia apparet, quam Deus ab iis exigit: & πλινίαν Euangelio dignam omnes boni deſiderant meritò. Ut porro mirum videri non debeat, ſi magis etiam populi Dei brachium debilitetur, & juxta Eſaiæ vaticinium ſuprà laudatum, tota terra rursùs cum Tyro ſcortetur, ut Babylonicum illud carmen, ***Sedeo Regina*** &c. diſtentiore gutture declamari poſſit. Ea enim perpetua eſt Euangelii ratio, ut ira de cœlo reveletur adversùs eos, qui eo haud dignè uſi ſunt, & veritatem in injuſtitia, detinent. Expectemus ergò poſſidentes animas noſtras in patientia, & ſtemus tanquam in ſpecula, obſervantes, quæ Deus facit; ſi fortè nobis vigilantibus & obſervantibus, ut in ultima noctis excubantibus, aurora illuceſcat. Ita Eſai. xxi. 6. cùm conſtitutus eſſet excubitor in ſpecula juſſu Dei, qui viſa indicaret, is leonis inſtar clamâſſe dicitur: *Domine, ego in ſpecula ſemper ſto, interdiu & in obſervatione mea perſevero omnibus noctibus, &, ecce venit currus viri, jugum equitum.* Tum verò reſpondit Dominus v. 9. *Cecidit, cecidit Babylon.* Quem caſum ſaltem in ὑποτυπωσεί, & in exemplum novæ Babyloni ſive Babylonis noviſſimæ propagini, ex Apoc. xiv. 8. & xviii. 2. liquet. Sive ergò Deus inexpectata facit, & quæ non videntur portendere caſum Babylonis; veluti cùm Ba-

bylonem triumphare ſinit, & manus populi Sanctorum contunditur magis magíſque; ſive pauliſper ſuſpendit opus ſuum, & propterea, velut in ſilentio illo ſemihorii Apoc. VIII. 1. excubitor nihil indicare poteſt, id ipſum appropinquantis caſûs Babylonis argumentum habendum eſt. Fortè etiam ſicut Hieroſolymæ, ita Babylonis excidium, propter electos, qui ad Deum dies noctéſque clamant; & ſanguinem Martyrum, vindictam jugiter poſcentium, aliquam τῶν ἡμερῶν κολόβωσιν *dierum contractionem* habebit.

Pontificiorum nonnullorum de imminente Romæ ruina teſtimonia producuntur.

LXIII. Res nobis eſt cum Hierarchicis. Illi Romæ perpetuam felicitatem & ſtabilitatem promittunt, & ſcævum quid ei annuntiantes rident vehementer, vel peſſimè etiam mulctant. Neque tamen è ſinu eorum teſtes nobis deſunt, qui malè Romæ ominati ſunt. Friderici Imperatoris augurium ſuprà narravimus. Quid Ludovicus XII. Galliarum Rex, animo ſuo volutaverit, cùm in moneta verba hæc excudi curavit: PERDAM BABYLONEM, item: PERDAM BABYLONIS NOMEN; nemini obſcurum eſſe poteſt. Et jam olim Hieronymus Savanorola vaticinatus eſt, *Gallos venturos, ac univerſam Italiam, Romam cumprimis vaſtaturos.* Sed & Guilhelmus Durantus, Epiſcopus Mimatenſis, in libro *de modo celebrandi Concilii Generalis* A. MDXLV. Pariſiis edito, ſcribere non dubitavit: *Proverbium vulgare eſt, qui vult totum, perdit totum. Eccleſia autem Romana ſibi vendicat univerſa (93. Diſt. Diaconi ſunt) unde timendum eſt, quòd univerſa perdat.* In alio etiam Scholæ Pariſienſis libro de periculis Eccleſiæ A. MCCCLXXXIX. conſcripto, verba Dan. V. 25. *Meneh, Meneh, Thekel, Upharſin;* hoc eſt: *Numeravit* Deus Regnum tuum: *appenſus es* in ſtatera, *diviſum* eſt Regnum tuum &c. Romanæ Eccleſiæ applicavit. Sed & Joachi-

Joachimus Abbas Petrum ſeneſcentem rurſus *cingendum* in famoſis vaticiniis ſuis prædixit. Idem in *cap. iv. Jerem.* ſcribere non dubitavit: *Aquila grandis & magnarum alarum, ſcilicet Imperator Alemanniæ percutiet Eccleſiam, ut unde aliquando protecta fuerat, inde flagelletur, & ſic deſtituta ſubſidiis direptioni pateat viatorum.* Pertinet eodem viſio Fratris Nicolai Helvetii, quam ſuprà recitavimus. Ribera *comm. ad Apoc. xiv. & xvij.* & quotquot cum eo Eccleſiam Romanam ſub finem mundi ad Ethniciſmum relapſuram Babylonem eſſe, in Apocalypſi præfiguratam, ſentiunt, ingenuè fatentur, *Romam, hanc urbem fornicariam, in fine mundi:* VASTANDAM ET EVERTENDAM eſſe. Sic juxta Veterum Prophetiam apud Valerium Probum, literis hiſce R. R. R. F. F. F. conſignatam REGNUM ROMÆ RUET, FERRO, FAME, FLAMMA. Imò Viegas in cap. XVIII. Apoc. aſſerit, *Decem Reges Imperium Romanum everſuros, primùm ab ipſa Romana urbe bellum auſpicaturos eſſe, eique primùm excidium & vaſtitatem illaturos:* Addit Ribera, *Romam uſque adeò vaſtandam, miſerrimóque incendio delendam, ut in deſertum & ſolitudinem ſit evaſura, atque habitatio beſtiarum & dæmoniorum futura.* Denique Henricus Vechietus Florentinus *lib. vij. Chronol. M.* cui *ſignificationem noviſſimorum* titulum fecit, *cap.* 26. & 27. argutè admodùm & ſubtiliter de excidio Romæ diſſeruit, quem tamen calculus in eo, quòd ab A. MDCXXI. præcisè intra centum viginti ſex annos Romam deſtruendam exiſtimaverit, falſurus ſit nec ne, tempus docebit. Ratio certè calculi non apparet. Neque refert, quòd, qui Riberam ſequuntur, excidium iſthoc non Chriſtianæ, ſed denuò Ethnicæ futuræ Romæ impendere, pertendunt. Nam qualis hodiè Roma eſt, Chriſtiana nomine-

minetenus, reapſe nihil ab Ethnica diſtat. Et ſatis eſt ab authoribus iis excidium Romæ noviſſimæ, ceu prædictum in Apocalypſi, propugnari acriter.

Ejus potentia & proſperitas præſens judicium Divinum ſufflaminare non poterit.

LXIV. Parùm certè movet, quòd nonnulli humanarum virium præſidia, & ſuperbiſſimæ Babylonis, tantis & ſuis, & Regum aliorúmque ſociorum opibus ſuffultæ, fortunam ſupra omnem periculi, uti videri illis poteſt, aleam poſitam, iniqua lance ponderantes, ſpes noſtras de collapſura ea cœcas & inanem peſſundandæ ejus expectationem eſſe, clamitant. Et profectò, ſi fortunatum hoc Seculo Babylonicæ proſperitatis curſum; ſi Euangelicorum fractas vires, diſſipata conſilia; ſi diſſolutas ſcopas noſtras, aliáque multa profano oculo intueatur & rimetur aliquis, mirùm non erit, ei meram næniam, omnium deteſtatione & odio dignam, videri, quicquid de Hierarchiæ excidio dixerimus. Sed Sanctuarium Domini ingreſſis, alia omnia apparebunt, reputantibus, non tantùm ſummam Babylonis poſt priorem illum lapſum felicitatem, & extremas Eccleſiæ, rerúmque ejus in aciem novaculæ adductarum, anguſtias, certiſſimum imminentis eidem noviſſimi excidii prodromum eſſe: ſed etiam illius executionem in vaticinio ei, qui omnem humanam potentiam ſuâ potentiâ infinitis modis ſuperat & adversùs quem formatum nullum inſtrumentum proſperatur. (Eſai. LIV. 17.) adſcribi. Nam *uno die venient Babylonis plagæ, & igni illa concremabitur*, ὅτι ἰσχυρὸς κύριος ὁ Θεὸς ὁ κρίνων αὐτὴν, *quia robuſtus eſt Dominus ille Deus, qui judicabit eam*, Apoc. XVIII. 8. Sub ductu ergò & auſpiciis Generoſi illius Principis exercitus Iſraëlis, qui *Gentes conterit ſceptro ferreo, & tanquam vas fictile figuli confringit*, Pſal. II. 9. adeóque ſacræ illius militiæ primipili, Agni, qui eſt *Dominus Dominantium*,

&

Digitized by Google

& *Rex Regum.* Apoc. XVII. 14. negotium conficietur. Cui ergò res hæc ex præſente ſtatu impoſſibilis videtur, is reputet, Illius hoc opus fore, qui nutu & unâ voculâ omnes cauſas, occaſiones, & diſpoſitiones, quas vult, producere & in actum deducere poteſt. Ille, Ille Babylonem judicabit, qui Pharaonem, inermem Iſraëlitarum manum, cum validiſſimo Legionum robore perſequentem, rubri maris fluctibus obruit: qui Siſaræ ac Moabitarum copias conſilio manúque Fœminæ delevit: qui Senacheribum Cœlo exitium minitantem, cum univerſo exercitu ſuo, percuſſoris Angeli unius (quomodo unus etiam Angelus molarem illum Babylonis Lapidem maximo virium robore humo ſuſtollens, cum impetu in profundum maris conjecit) virtute deſtruxit: qui Antiochum totius Aſiæ viribus ſubnixum per deſperatas Macchabæorum copias obtrivit triumphavitque: qui denique ſuperiori Seculo Reformatione Eccleſiæ jam cœpta & promota, ipſam Romam, Papam, Cardinales, omnémque Curiam Romanam tradidit in manus Caroli Borbonii, & exercitus ejus, à quibus ex itinere, & velut aliud agentibus contumelioſè habiti ſunt, quo vel uno memorabili exemplo haud dubiè Deus demonſtrare voluit, omnem illam falſam poteſtatem Papæ, & auctoritatem Cleri Romani, atque ita omnem faſtum humanum levi momento à Deo everti, omnémque admirationem ſublimitatis illius in vilipendium mutari poſſe. Illo enim tempore nihil viliùs, nihil contemtiùs, ridiculum magis nihil Papa fuit, qui ab Exercitu Cæſaris, Principis Catholici, uti loquuntur, ita vexatus & illuſus eſt; uti rem totam Sleidanus Lib. VI. narravit. Licet enim irrideri, contemni, ludibrio haberi ab hominibus, per ſe Divini contemtûs argumentum non ſit; quin potiùs ex iis rebus, quibus

Deus ſe tum in Filio ſuo, tum in Apoſtolis & Eccleſia ſua glorificari voluit: nihilominus contemtus & vilipendium humanum in quibuſdam caſibus teſtis & obſes judicii Divini eſt: nempè quando gloria humana & Majeſtas, quæ ſe contra Deum & Eccleſiam effert, contumeliam patitur; inprimis, quando id ſecundùm prædictionem Scripturæ contingit. In univerſum enim Scriptura teſtatur, *omne quod inter homines altum eſt, apud Deum eſſe abominabile*, Luc. XVI. 15. Et *pro exaltatione vilitas eſt filiis hominum*, Pſal. XII. 9. Effundítque Deus iram in Principes. Pſal. CVII. 40. In ſpecie Deus ignominiam & ludibrium ejuſmodi Spirituali Tyro comminatur Eſai. XXIII. 8, 9. *Quis conſuluit hoc ſuper Tyro coronatrice* (talis Roma eſt המעטירה *Coronatrix*, coronas imponens Cæſaribus, Regibus, Principibus & pro lubitu eaſdem auferens) *cujus mercatores ſunt Principes, Inſtitores Honorati terræ? Jehova Deus exercituum conſuluit illud, ad profanandum celſitudinem omnis decoris, ad vilipendendum omnes honoratos terræ.*

Gemina orbis converſio improviſa, à Gentiliſmo ad Chriſtianiſmum una; à Papiſmo ad renovationem Chriſtianiſmi altera, fidem de ſecuturo Babylonis excidio ſuffulcire potis eſt.

LXV. Gemina eſt orbis converſio, quæ non parùm hîc noſtram fidem fulcire poteſt; una à Gentiliſmo ad Chriſtianiſmum; à Papiſmo ad renovationem Chriſtianiſmi altera, ardua, difficilis, improviſa æquè, atque arduum, difficile, improviſum, finale Babylonis judicium erit. Quantæ enim res difficultatis laboriſque videbatur, Dracone, hoc eſt, Diabolo in Gentilibus Imperatoribus Eccleſiam infeſtantibus, imperium adhuc obtinente, Chriſtianam religionem, Judæorum comitiis exploſam, Philoſophorum judiciis ſtultitiæ damnatam, Imperatorum edictis ex communi vita relegatam, acerbiſſimis mundi totius odiis repreſſam, in publicam lucem ſplendorémque producere? Produxit illam Deus, & repreſſo Judæo-

Judæorum furore, jugulata ſapientum ratione, coërcitâ Imperatorum ſævitiâ, in omnes Mundi regiones divulgavit. Patrum verò noſtrorum memoria, Alexandro VI. Papa & Julio II. Imperii Papalis clavum tenentibus, quàm auribus animiſque hominum abſurdum dictu viſum fuiſſet, ſi quis prædixiſſet, brevi Papatum ingentem converſionem paſſurum, & Religionem Orthodoxam Cimmeriis Superſtitionum tenebris involutam, tanta Pontificum rabie vexatam, tot Doctorum ſententiis confoſſam, tanta ſuppliciorum diritate laceratam, ex octingentorum plus annorum tetra nocte revocatam, deterſóque ſitu, atque elutis fœditatis Babylonicæ maculis, Euangelicæ ſinceritatis nitori reſtitutum iri? Quàm ridiculus fuiſſet, qui hoc ipſum, quod mox magnificentiſſimè compertum eſt, & noſtris hodiéque oculis cernimus, ex Daniele & Apocalypſi prædicere auſus fuiſſet? Neque valdè fortaſsè talis deriſus, ſed potiùs, ceu alter Stephanus, non quidem lapidatus, ſed dentibus dilaceratus eſſet. Quomodo etiam olim Prophetæ non ſolùm deriſi, ſed crudeliter occiſi ſunt ab iis, quibus imminentem ſuum & à Deo decretum interitum prædixerunt. Paſſus tamen eſt mox Papatus converſionem illam fatalem: reſtituit Deus & revocavit Eccleſiam per medias Tyrannorum acies, per ignes & tela, remotis obſtantium catervis, ſibi viam facientem. An ergò graviùs nunc erit Deo prædictorum à ſe Babylonis fatorum fidem exſolvere, fideles ab hoſtium ſuorum immanitate, à ſuppliciorum diritate, à Perſecutorum ferro, flamma, tormentis, carceribus, triremibus, ab omni denique formidinum terrore, prætoriâ benignitatis ſuæ vindictâ, liberare? An grave Numini negotium reputabimus, Sui cultum Mundo reſtituere, Eccleſiam ſuam à tantis moleſtiis liberare, ſuæ dignitatis & honoris gravem

vem adeò Adverſarium, piorum ſanguine ebrium, Eccleſiæ lacrymis paſtum, omni ſcelere infamem, commeritis pœnis ſuis mulctare?

Neque illud obſtat, quòd Romæ timendus hoſtis nemo videatur.

LXVI. Fruſtrà ergò Roma timorem omnem animo ſuo excutit, hoc inprimis tempore, quo hoſtis nemo metuendus ei videtur. Nam gentis Othomanicæ, ſic calculum illa ſubducit, vigor indies marceſcit; Hiſpania devotè ſervit, Gallia prehenſando adulatur, Germania, cujus genius ſepticolli iſti Jovi ſemper infeſtus fuit, per inteſtinas diſſenſiones enervatur, & novum Electorem Romanarum partium, mira fatorum diſpoſitione, nacta eſt; denique Britannia & Scotia à Rege, Romæ impensè addicto, regitur. Ad ſingula fortè Politici, rerum, quæ in mundo geruntur, gnari, reponere aliquid haberent. Ego certus, Eccleſiam non humanis rationibus, ſed Divinis conſiliis geri; ſi vel maximè tota Turcia, omniſque Oriens Romano Pontificatui hodiè ſubderetur, & quicquid præterea in orbe Monarcharum eſt, beatiſſimos illos pedes exoſcularetur, de ejuſdem excidio ne minimum quidem dubitarem, iis, quas ex Prophetia adduxi, rationibus fretus. Quod autem de hoſtibus objicitur, ad id Jeremias, parium pari ratione habita, reſpondeat, quando dicit Jerem. LI. 53. *Si Babylon cœlum ipſum conſcendat, communiátque in ſublimi robur ſuum, ex me tamen ipſo venient vaſtatores ejus, dicit Dominus.* Ne etiam, quæſumus, Romani in noſtra confuſione nimium confidant; meminerintque potiùs, id ipſum olim Ægyptiorum Ariolos in præcipitium egiſſe; quando videlicet ab una parte Pharaonis currus militares, ab altera Jſraëlitarum, inter deſertum, Mare rubrum, & Pharaonis præſidia concluſorum, fluctuantem perturbationem intuiti ſunt, & Pharao ipſe dixit: נבכים הם בארץ,

באריץ, *Confuſi, perplexi* hærent *in terra*, & *deſertum eos incluſit.* Exod. XIV. 3. Quales tum, & quàm fervidas Ariolorum inſtigantium exhortationes fuiſſe putamus, quibus Pharaonem & Aulicos ejus ad ſumendam de his profugis perditiſque (tales enim ab iis habebantur) apoſtatis vindictam incitârunt, donec eos in exitium ſuum propulerunt? Ad hoc ſanè exemplum Propheta noſter perſpicuè alludit, quando uno die venturas Babylonis plagas, viduitatem, luctum, famem, conflagrationem prædixit; atque, ut ab humanorum mediorum omnium conſideratione nos avocet, tam disertis verbis ſubjungit: *quia Validus eſt Dominus, qui eam judicabit*, Apoc. XVIII. 8. Neque denique aſſenſum noſtrum turbent rumores, qui quotidiè ex ſingulis orbis partibus, confuſionis & terroris pleni, ad nos perferuntur. Nam & contra hoc remedium per os Jeremiæ proviſum eſt, dicentis cap. LI. 46, 47. *Ne quæſo langueſcat cor veſtrum, propter rumores terræ, qui hoc anno tales, & alio anno iterum alii exaudientur, invaleſcente in terris violentia, & Principe contra Principem inſurgente. Ecce enim dies veniunt, quibus viſitaturus ſum idola Babylonis, ut tota ejus regio confundatur, & interemti ejus in medio illius cadant.* An ad præſentem rerum noſtrarum faciem quicquam evidentiùs, vel ad piorum ſub eadem tot cum malis & periculis conflictantium conſolationem efficaciùs dici poterat?

LXVII. Babylonis finale excidium, Ordinum Regni Babylonici luctus & querela ſuper horribili ejuſdem ruina excipiet. Illas verò in triplici differentia Spiritus S. repræſentat; Reges nempè terræ, Mercatores terræ, & reliquam Nauticam turbam, quæ mari negotiatur. *Reges terræ* ii ipſi ſunt, *qui cum Meretrice hac ſcortati ſunt & laſcivierunt*, Apoc. XVIII. 9. Parùm tamen lachrymabi-

Regum, Mercatorum & Nautarum ſuper Babylonis excidio planctus.

lis & pathetica eorum querela erit. Quippe ἀπὸ μακρόθεν *procul* ſtabunt, propter metum cruciatûs ejus, non auſi ferre ei ſuppetias, vel efficacem medicinam adhibere laboranti. Quin potiùs Dei in peſſundanda Babylone judicium mirabuntur, dicentes v. 10. *Væ, væ, Civitas illa Magna Babylon, Urbs illa Valida, quia in una hora venit judicium tuum.* Mirabuntur, ſubitò adeò excidi potuiſſe falſam illam Eccleſiam, quæ tam potentes in mundo aſſertores, & tam validas altéque fixas radices habuit, ut vulgò inexpugnabilis haberetur. Fortè dolebit etiam primo cœtu per Babylonis caſum antiqui illius Dei ſui Panacei cultus theatralem ſplendorem intercidere, quem Majores eorum ita amplexi olim fuerunt, ut omnes fortunas ſuas cum eodem quaſi conjunxiſſent, quem propterea poſteri eorum ſummo ſtudio, tanquam Regnorum ſuorum palladium conſervatum cupiverunt ſemper, quòd ſuo ſtatui commodum uſque & proficuum hactenùs experti ſunt, & ſibi etiam quodammodo metuere cogantur, ſiquidem illud Idolum ita concideret. *Mercatores* quinam ſint, & quæ eorum *merces*, abundè Diſſertatione ſuperiori diſcuſſimus. Flebunt illi lugebúntque, ὅτι τ̀ γόμον αὐτῶν ὐδεὶς ἔτι ἀγοράζει, *quia mercimonium illorum nemo ampliùs emit*, v. 11. Quæ enim Mercatoribus juſtior querelarum cauſa dari poterit, quàm ſi mercium ſuarum æſtimationem deteriorem fieri ſentiant? Cremata Babylone & everſa, fucus mercium Babylonicarum toti mundo innoteſcet; accidétque illis, quod Demetrio illi Idolopœo, ejúſque conſortibus, quorum quæſtus per S. Pauli conciones, idolorúmque ruinam interceptus eſt, Act. xix. 24, 25. Tertii Ordinis, *Nauticæ* turbæ, planctus, etſi quoad plangentium geſtus lugubrior, quàm priorum, videri poteſt, minori tamen ſtrepitu perficietur. Clamabunt illi, videntes fumum incendii Babylonis, dicéntque v. 18. *Quæ ſimilis Civitati*

Digitized by Google

ti illi Magnæ? Fortè illi in mundo circumſpicient Civitatem Magnam, cui, deletâ hâc, nomen ſuum dare poſſint. Vel certè verba hæc erunt contendentium pro authoritate Civitatis illius, & reſtitutionem ejus flagitantium. Conjecto in capita ſua pulvere, vicem geſturo mitrarum & coronarum, quibus redimiti fuerant, clamabunt, & flentes lugentéſque dicent v. 19. *Væ, væ, Civitas illa Magna, in qua ditati ſunt omnes habentes naves in mari ex pretioſitate ejus: quia unâ horâ deſolata eſt.* Lugebunt meritò interitum Meretricis, apud quam inveniebant mercedem nequitiæ, quam nunc gratis exercere cogentur.

LXVIII. Hinc adeò liquet, Babylonis excidium cum mundi totius excidio conjunctum non fore; quia conſummato eo ſupererunt Reges, Mercatores, Nautæ, ipſáque etiam, uti ex cap. XIX. colligitur, fidelium Eccleſia, propter quam ſolam mundus durat. Parùm enim probabilis nonnullorum opinio eſt, Romam quidem, Babylonis Metropolin, ante finem mundi incendio conſumtum iri; ſed Babylonem reliquam ad finem úſque Mundi perſeveraturam. Illa enim Babylon comburetur & deſtruetur penitùs, cujus ſcortationem, abominationes, dominium in Regna terræ, caſum priorem, & ab eadem ſeparationem Eccleſiæ hactenùs continua Prophetiæ ſerie Spiritus S. pertexuit. Hanc porrò Babylonem non Urbem ſolam mœnibus ſeptam, ſed Politiam Religioſam, & ſtatum Hierarchicum univerſum figurare, *Differt. iij. §. 13, 14, &c.* pluribus comprobavimus. Non ergò Babylonis finalis excidium ſolam Romanam Urbem, ſed univerſam Politiam Religioſam Babylonicam involvet, & poteſtatem Cathedræ abolebit. Manebunt tamen ad finem Mundi & illuſtrem úſque adventum Domini apoſtatæ, ſeu defectores improbi, Chriſto occaſionem præbituri finiendi tempus patientiæ, celerémque in eos interitum adducen-

Ex quo colligitur, Babylonis excidium mundi fine conjunctum non iri.

di. Tales erunt Mercatores lugentes, aliique, veritati victas dare manus neſcii. Deleta tamen Babylone, hi ipſi quoque deleti cenſebuntur meritò: quia poteſtate, quæ Babylonis anima eſt, & authoritate Religionis omni privati, in mundo agent. Etenim ſi apoſtatæ hi non poterunt efficere, ut non Eccleſia omni in loco colligatur, ipſi contra cogentur occultari, vagari, vixque adeò locum invenient, in quo tutò religionem profiteri auſint, ſatis utique conſumti & deleti videbuntur. Planè ſicut populus Judaïcus conſumtus deletúſque cenſebatur tum, cùm eorum Politia in toto mundo deleta eſt, neque reſtitui in æternum poterit; quanquam Judæi hinc inde palantes, & Chriſtum æternum Regem blaſphemantes, non deſint. Atque juxta illud exemplum actum iri cum Regno Babylonis & Anti-Chriſti, manifeſtè Prophetia noſtra Apocal. XVIII. 8, 9, &c. arguit, ubi licet dicatur, Babylonem, veluti lapidem molarem magnum in mare cum impetu conjectum iri; mox tamen multos procul ſtaturos, & caſum Babylonis deploraturos, ſubjicitur: quemadmodum ſcilicet Judæi nunc procul ſtantes, caſum Hieroſolymæ deplorant.

Locus S. Pauli 2. Theſſ. ij. 8. explicatio.

LXIX. Hac ergò ratione & Babylon ante adventum Domini plagis ſuis confecta, penitùs ſuccidetur: & ὁ Ἄνομος *Exlex* ille, paulatim conſumtus Spiritu oris Chriſti, in reliquiis tamen illis apoſtaſiæ ſuis non ante ἐπιφάνειαν τῆς παρουσίας *affulgentiam præſentiæ* Domini καταργηθήσεται, *abolebitur* penitùs, hoc eſt, ad nihilum redigetur, 2. Theſſ. II. 8. Niſi fortè ἐπιφάνεια παρουσίας *affulgentiam adventûs* Domini, hoc eſt, jubar quoddam Regni ipſius, præceſſurum adventum ad judicandum vivos & mortuos, ſignificat. Solemus enim dicere, Regem venire, qui in via eſt, cujus anteambulones videmus. Ita aurora Solis anteambula, ἐπιφάνεια παρουσίας *affulgentia præſentiæ vel adven-*

ventûs Solis dici poteſt, licet nondum Sol horizontem illum ingreſſus ſit.

Nec non locus alter Apoc. xix. 19. 20. ſententia eidem obſtare viſus.

LXX. Neque etiam Babylonis finale excidium cum mundi excidio conjunctum iri illud evincit, quòd Apocal. XIX. 19. 20. poſt bellum illud Beſtiæ, Regum terræ & exercitûs eorum cum ſedente in equo & exercitu ejus, ſubjicitur. *Et prehenſa eſt Beſtia, & cum ea Pſeudo-propheta, qui fecerat ſigna coram ea, quibus ſeduxerat eos, qui acceperunt ſignaturam Beſtiæ, & adorantes imaginem ejus. Vivi conjecti ſunt ambo in ſtagnum ignis, quod ardet ſulphure.* Ubi *Beſtia* (poſterior nempè eadem cum Babylone Apoc. XIII. 14. &c) & *Pſeudo-propheta*, diſtinguuntur ut ſtatus, & ſtatûs Caput; ad oſtendendam ſcilicet Capitis, & ſimul ſtatûs unà cum Capite ruinam. Sicut autem ſupplicium Corachi, Dathanis & Abiromi non ideò cum conſummatione ſeculi conjunctum erat, quia vivi in infernum, hoc eſt, exitium & tormenta ſempiterna deſcenderunt: ſic neque Beſtiæ & Pſeudo-prophetæ ſupplicium cum fine mundi connexum erit, quia vivi in ſtagnum ignis conjicientur. Quanquam etiam tum ζῶντες *vivi*, adeóque corporaliter non occiſi, in ſtagnum ignis conjecti dici poterunt, quando à judicio & ſupplicio ſuo ſuperſtites, ſed Statu & Politia ſua penitùs privati, incipient illa videre & audire, quæ dolorem & invidiam infernalem creabunt, & cum ulcere malæ conſcientiæ conflictabuntur, perpetuiſque adeò ardoribus æſtuabunt. Sic Zach. XIV. 12. &c. plaga populorum, qui contra Hieroſolymam belligerati ſunt, definitur, quòd *ſtantibus ſuper pedibus ſuis caro & oculi & lingua tabeſcent*. Sed de eo quicquid ſit, fata viam invenient, & deſtinationem eorum Deus, juſtus Judex, ad conſolationem Eccleſiæ, & Regni ſui incrementum implebit.

Planctus Regum,

LXXI. Sic fuit planctus Regum, Mercatorum, & Nau-

Mercatorum & Nautarum, Angeli conclamatio Cœli, Apoſtolorum & Prophetarum ad jubila, opponitur.

Nautarum. Cœterùm, Angelus planctum hunc interpellans Cœlum, Apoſtolos & Prophetas ad jubila invitat. *Lætare*, ſic Apoc. XVIII. 20. hortatur, *ſuper ea Cœlum, & Sancti Apoſtoli & Prophetæ, quia judicavit Deus judicium veſtrum de ipſa.* Quæ aperta erit plangentium deriſio. Eſt autem in verbis iis apoſtrophe in Scripturis uſitata, veluti Eſai. I. 2: *Audite Cœli*, &c. qua ad communem fidelium omnium lœtitiam, non ex carnali affectu, ſed puro corde, ob vindicatum lœſi honoris Divini, lœſæ Eccleſiæ, pupillæ ſuæ nefas, teſtificandam Deus conclamabit. *Lætabitur juſtus, cùm viderit ultionem: pedes lavabit in ſanguine improbi. Dicêtque homo utíque eſt fructus juſto, utique eſt Deus, eſt judex in terra Pſal. lviij.* 11, 12. Itaque luctus Sanctorum convertetur in gaudium interminabile, & lœtitia impiorum peribit.

Cœlum, Apoſtoli & Prophetæ ad jubila invitati, quinam ſint?

LXXII. Compellat Angelus *Cœlum*, vel propriè dictum, vel metaphoricè Eccleſiam; vel Synecdochicè Cœlites, puta *Apoſtolos* & *Prophetas*, hoc eſt, ſive Spiritus eorum τετελειωμένους *conſummatos*: ſive eos omnes, qui propter doctrinam Apoſtolorum & Prophetarum non dilexerunt animas ſuas uſque ad mortem, ſive Prophetarum & Apoſtolorum in communi munere ſucceſſores, omnéſque adeò pios, doctrinâ Apoſtolicam & Propheticam in terris docendi munere defungentes, qui Meretricis hujus malitiâ premebantur maximè; quibus proin majorem conſolationis menſuram Deus impertietur. Hoc enim erit illud tempus denuntiatum. Apoc. XI. 18. quo Deus *dabit mercedem ſervis ſuis Prophetis, & Sanctis timentibus nomen ejus, parvis & magnis, corrumpêtque eos, qui corruperunt terram.* Sic planè v. 24. in Babylone inventus dicitur *ſanguis Prophetarum & Sanctorum, & OMNIUM mactatorum in terra.* Ex quo colligitur, Apoſtolorum & Prophetarum appellationem non tam anguſtè heic eſſe accipiendam, uti

vul-

Digitized by Google

vulgò accipitur; ſed per eos *omnes* illos indicari, qui munerum iſtorum aliquid vel ad Chriſti gloriam, vel ad Babylonis redargutionem quocunque in loco terræ, & quocunque tempore obierunt, & Babylonis ſævitiam eo nomine experti ſunt. Deducunt autem nos hæc Angeli verba ad illud Chriſti Matth. XXIII. 35. quo Sacerdotibus & Scribis Propheticidis improperat: *Ut veniat ſuper vos omnis ſanguis juſtus, qui effuſus eſt ſuper terra, à ſanguine Abelis juſti, uſque ad ſanguinem Zachariæ, Filii Barachiæ.* Sicut igitur Hieroſolymæ ſanguis Abelis: ſic Babyloni ſanguis mactatorum omnium imputatur. Homicida enim unus cum omnibus homicidis communionem habet, & unà cum omnibus homicidis punitur. *Revelabit terra ſanguines ſuos, & non ampliùs occiſos ſuos teget.* Eſai. XXVI. 2. quia in generatione illa omne homicidium punietur, & Deus teſtabitur ſe inquiſitorem ſanguinis longè ſagaciùs, quàm Hiſpanici & Romani Inquiſitores, tot innocentum ſanguinem effundentes, veros fideles omni ſtudio & indagine ſua in hac terra inquirere & cingere potuerunt.

Eorundem hymnus, ſeu Hallelujah, ob deletam Babylonem cantatum.

LXXIII. Invitati ad lœtitiam Cœli, Apoſtoli, Prophetæ, omnéſque adeò fideles in lœtitiam incredibilem erumpent toti, & gratulantium geſtientiúmque voces invicem ineffabili gaudio perfuſi, reddent. Solebat hactenùs Babylon, quoties Sanctos vicit, hymnum illum ſuum Panegyricum, *Te Deum laudamus*, concinere, atque ſic Deo in Cœlis illudere. Sic Roma poſt ferales Eoas illas Pariſienſes, Bartholomæi nomine infames; poſt ſubjugatam Bohemiam, Palatinatum: victam Rupellam, atque noviſſimè non ſemel hymnum illum ſuum ingenti cum ſolennitate & lœtitia cantavit, vel potiùs reboavit. Babylone ergò ipſâ deletâ, cantores Sanctiſſimi, *turba multa in Cœlo*, hoc eſt, Sancti plurimi, Cœleſtis Hieroſolymæ συμπολῖται; *Seniores viginti quatuor, & quatuor animalia; omnéſque Ser-*

Servi Dei, qui timent eum, parvi & magni; ſuum illud *Halleluja*, ſeu verum *Te Deum laudamus*, ſonora voce decantabunt, gloriam, honorem, & potentiam dantes DEO Vindici & Agno Sponſo ſuo, ***quòd judicavit Meretricem Magnam, quæ corrupit terram ſcortatione ſua, & vindicavit ſanguinem ſervorum ſuorum ex manu ejus:*** quòd *Regnum capeſſivit Dominus Deus omnipotens:* quódque *venerunt nuptiæ Agni*, (per Babylonicum huncce Rivalem interpellatæ & ſufflaminatæ hactenùs) *& uxor ejus ſe præparavit*. Apoc. XIX. 1 —— 11. De ſacerrimo iſthoc & triumphali cantico, admirabilique epinicio, myſteriis haud dubiè refertiſſimo, nihil, quàm pauca dicere præſtat. Erit, erit tempus, cùm gaudium iſthoc conſummabitur, & omnes recto corde prædìti, victæ & in æternum exitium præcipitatæ, Babyloni inſultabunt, & HALLELUJAH illud lœtiſſimo pectore ſuccinent.

Concluſio argumenti & operis. LXXIV. Concludimus, Hierarchiam ſeu Clerum Eccleſiæ Romanæ dominantem, ob impietatem multiplicem Severum Dei Judicium provocantem, illud aliquatenus jam ſubiviſſe, & finale illud ac decretorium porrò ſubituram eſſe; adeóque, cùm cœtera omnia paria eſſe, graviſſimis rationum ponderibus demonſtraverimus, BABYLONEM MAGNAM, MATREM SCORTATIONUM ET ABOMINATIONUM TERRÆ eſſe, cui proin ſit confuſio æterna! Tibi verò, O DOMINE, MAGNIFICENTIA, ET ROBUR, ET GLORIA, ET VICTORIA, ET HONOR IN ÆTERNUM. AMEN. HALLELUJA.

F I N I S.

IN-

INDEX AUTHORUM
Tum Eccleſiaſticorum, tum Profanorum, qui citantur, laudantur, notantur vel explicantur.

Numerus major ſeu Romanus, Diſſertationem, minor, Theſin, Alphabethi litera, Diſſertationis Sectionem notat.

A.

Abailardus (Petrus) xiii. 37.
Abulenſis. xiv. 46.
Abundius. xiii. 56.
Abydenus. vi. 9, 11.
Accurſius. xvi. 121. xvii. 12.
Adrianus Florentinus. xvi. 63.
Æmilius. xii. 51.
Æmilius Veronenſis. x. b. 45.
Æneas Sylvius. ix. 10. xvi. 121, 158. xiv. 61, 67. xv. 18, 73. xvi. 79. xvii. 13, 21.
Æſchines. xiv. 42.
Agobardus xi. b. 67.
Agrippa (Cornelius) xiv. 54. xv. 15, 47. xvii. 14. xii. 22, 24. xv. 24, 67, 68.
Alanus de Rupe. viii. a. 69. xiii. 54 xvi. 126.
de Albano (Petrus) xv. 67. 68.
Albericus Monachus trium fontium. xv. 73.
Albertus Argentinenſis viii. c. 55.
Albertus M. vii. 36. x. a. 60. xv. 12, 82.
Alcaſar i. 18, 20, 22, 23, 37, 41, 43, 44, 47, 52, 85, 66, 67, 70, 74. ii. 9, 12, 13, 22, 25, 26-30, 34. iii. 4. vi. 26. x. b. 53. xiii. 9.
Alcuinus vii. 42.
Alegambe viii. c. 48.
Alexander Alenſis viii. c. 40. x. a. 58. xi. a. 43. xv. 55, 59.
Almain (Jacobus) xvi. 106.
Alliacus (Petrus) viii. c. 40. xiv. 14, 67. xv. 82. xvi. 143.
Altingius (Henricus) xiii. 39.
Ambroſius i. 17, xi. a. 48. xi. b. 11. xv. 40.
Ammianus Marcellinus. i. 38.
de Ancona (Auguſtinus) vii. 16. x b. 44, 49, 52. xvi. 55, 73.
Ancyranum Concilium xiv. 46.
Andradius vii. 16. x. a. 55. xi. a. 53. xiii. 14.
Angles (Joſephus) xvi. 72.
Anglo-Rhemenſes xv. 45.
Antidotarius animæ Johannis xxii. Papæ xi. b. 75.
Antoninus Florentinus x. b. 49, 52, xiii. 36.
Antoninus x. b. 2, 3, 18, 49, xv. 78. xvi. 133.
Apollonius Thyanæus xv. 24.
Apringius i. 37.
Apulejus xv. 6, 24.
Aquis granenſe Concilium xiv. 46.
Arauſicanum Concilium xi. a. 60.
Arcudius Corcyræus viii. a. 48.
Areopagita (Dionyſius) vii. 19, 25, 31. viii. a. 24.
Arethas i. 17, 34, 37. iii. 4. xiv. 4.
Ariſtoteles i. 16. iii. 15. vi. 11. viii. a. 4.
Arnobius xi. b. 58.
Athanaſius xii. 8. xiii. 42.
Athenagoras xi. 6, 58. xv. 6.
Aventinus iv. 15. viii. c. 55, 57, 58, 63, 66. x. a. 50, x. b. 13. xiv. 7. xv. 75. xvi. 13, 66.

Averroës xi. b. 46.
Auguſtinus i. 17, 36. iii. 23. viii a. 3, 5, 55. viii. c. 5, 17. x. b. 24, 34, 36, 46. xi. a. 39, 60, 61. xii. 5, 8. xvi. 163. xii. 56, 62. xiii. 42, 48. xv. 6. 20. xvi. 19.
Avila xiii. 2, 7.
Aurelianenſe Concilium xiv. 44.
Aurelius (Petrus) xiv. 32. xvi. 37.
Aureolus xv. 26. xvi. 43.
Azorius viii. a. 53, 63. viii. c. 45, 64. x. a. 60. xi. b. 66. xiii. 6. xiv. 32, 34.

B.

Baal Hatturim xiii. 3.
Bailius Jeſuita xiii. 14, 39.
Balæus xiii. 54.
Baldellus x. b. 52, 53.
Balſamon (Theodorus) xv. 20.
Balzacus xiv. 53.
